













ANTHYPERASPISTES PRO VERA COMPONENDORVM ECCLESIAE DISSIDIORVM RATIONE D. MATTHIAE BREDENbachij Kyrſpéſis, aduersùs conuicia & calumnias Iacobi Andreæ Smidelini, quas inſcripſit hyperaſpiſten τῶν προλεγομένων Ioannis Brentij:

Continens abſolutam potiſsimorum Catholicæ Religionis dogmatum explicationem, & veteris Eccleſiæ praxin in componendis Religionis diſsidijs & exterminandis hæreſibus, tum deindè luculentam eorum quæ ab aduerſarijs adferri ſolent, confutationem.

ANNEXA EST PASSÌM IN IPSO OPERE DEPVLSIO SYCOphantiarum, quas idem Smidelinus in Catholicæ fidei propugnationem Reuerendiß. Domini D. Staniſlai Hoſii Cardinalis & epiſcopi Vuarmienſis &c. atque item in libellum Reuerendi D. Georgij Lautherij, Theologi & Aulæ Bauaricæ Concionatoris, de ſacrificio Mißæ &c. inſolentèr effudit.

Optimo ac deſideratiſsimo parenti Matthię Bredēbachio, & chariſsimę matri ECCLESIAE CATHOLICAE, *amoris & pietatis ergô faciebat Tilmannus Bredenbachius filius, S. Theologię D.*

Singulorum librorum huius operis materiam verſa pagina demonſtrabit.

Cum Indice rerum & verborum copioſo.



COLONIAE
Apud Geruuinum Calenium & Hæredes Iohannis Quentelij, anno M. D. LXVIII.

Cum gratia & priuilegio Imperiali.

ARGVMENTA QVATVOR LIBRORVM HVIVS OPERIS.

Liber primus tractat de ordine & hierarchia Reipublicæ Israelis, & obitèr quædam Religionis capita à Smidelinianis sycophantijs vindicat.

Secundus agit de politia Ciuitatis Dei Ecclesiæ Catholicæ, & primatu Episcopi Romani.

Tertius de legitimis iudicibus cõtrouersiarum Ecclesiasticarũ, & SS. Patrum in ijs definiendis authoritate differit.

Quartus, potissimas Religionis controuersias explicat.

Ex hoc opere perspicuum erit Lectori, quæ sit vera componendorum Ecclesiæ dissidiorum ratio, & quibus præstigijs simplicium mentes perstringere conetur aduersarius.

Annexa est calci operis epistola ad Theologos Louanienses, eorundemque responsio siue censura de hoc opere.

Forma & modus extirpandarum hæresum, in Ecclesia primitiua obseruatus.

Querimonia Martini Luteri de perfida defectione suorũ discipulorum.

SAN.

SANCTISSIMO ET BEATISSIMO PATRI AC DOMINO NOSTRO, D. PIO V. PONTIFICI OPT. MAX. TILMANNVS BREDENBACHIVS S. D.



NDIGNVM PROFECTÒ videri queat, Beatiſſime Pater, poſt infinitas penè diſputationes, poſt varia colloquia, poſt maximos ſumptuoſiſſimosq; Imperij conuentus, deniq; poſt ſacroſanctum Oecumenicum concilium, ad quod, in diſputationum anguſtias redacti, perpetuò prouocârũt hæretici: indignũ, inquam, atq; adeò indigniſſimum videri queat, poſt hęc omnia tot tumultibus, ſeditionibus, turbulẽtiſſimisque factionibus orbem Chriſtianum in hodiernum vſque diem confligere & conflagrare. Quantas enim tempeſtates, iam nupèr à definitis promulgatisq; ſacratiſſimi Concilij ſanctionibus, rebelles quidam concitârunt Belgæ? Quibus furijs, quanto terrore, quàm præcipiti & pluſquàm gigantæa audacia in ſuos ipſorum principes inſurrexerunt, ſacras Ec-

clesias despoliârunt, arasque & focos tãto seculorum consensu perpetua religione reuerentèr cultos violârunt, diripuerũt ac demolíti sunt, sacra profanaque omnia promiscuè habuerunt, vsque adeò, vt non suas ipsorum duntaxàt ciuitates subuerterent, sed vicinis insupèr prouincijs summum terrorem incuterẽt, ac deindè vniuersum penè orbem Christianum seditiosis factionibus concuterent? An non cum beatissimo Athanasio iustissimè commoti, meritò in hãc vocem proruperimus? Hæccine fuit causa, cur totus orbis in concilium coiret? An non verè impios ac sacrilegos cum Valentiniano Imperatore dicemus, qui post tot sacerdotum sententiam, suo iudicio aut (vt veriùs dicam) audaciæ tantum reseruant? Indignũ igitur & tuæ Sanctitati Pater beatissime, & omnibus pacis amantibus videbitur, incendium illud contentionum ac dissidiorum post tot priuatos ac publicos totius Imperij atque vniuersæ Ecclesiæ labores, non solùm non restinctum, verùm etiàm in immensum auctum, rursumque hincindè ad scriptitationis disputationisque palæstram totius orbis Catholici sententiam reuocari. Quid autem? an quia hactenùs nihil intentatum reliquit ecclesia, nullis sumptibus pepercit Imperium, nullis docendi scribendique laboribus supersederunt eruditi, nec tamen quod conati sunt, efficere potuerunt, ideóne fractis animis, abiecta

In 3. actiõe cõc. Chalc.

ĉta ſtyli cuſpide, deſerta ſtatione, patiemur hoſtes religionis ſursùm deorſumque omnia pro ſua libidine iactare? Cùm primùm in Alexandriæ prouincia, deindè Romæ, tertiò in magna Synodo Sardicenſi, Athanaſij & eccleſiæ cauſa definita eſſet, ac ꝓ Athanaſio vniuerſorum ſententiæ dixiſſent, nec tamen aduerſarij de pertinacia ſua multùm remitterent, an à conſcribendis apologijs abſtinuit Athanaſius? Nequaquàm. De Donatiſtis refert Auguſtinus, quòd cùm, exploſo Cæciliano, Maiorinum in Epiſcopatũ eius nefario ſcelere collocâſſent, elegiſſe eos iudices epiſcopos de quæſtionibus quibuſdã, quæ pacis vinculum dirimebant: & quidem Melciadem Romanæ vrbis Epiſcopum cum collegis ſuis, quos ad preces Donatiſtarum miſerat Imperator, de cauſa cognouiſſe ac iudicâſſe. Nec tamen hac ſententia contentos fuiſſe Donatiſtas, ſed omnes (vt inquit Auguſtinus) in pertinacia ſceleſtiſſimi ſchiſmatis ꝑmanſiſſe, eoq; commotum Imperatorem, vt poſteà denuò apud Arelatum eãdem cauſam diligẽtiùs examinandam terminandamque curaret. Illos rursùm ab Eccleſiaſtico iudicio prouocâſſe, vt cauſam Conſtantinus audiret. Quid multis? audiuit Conſtantinus, ſuccubuerunt Donatiſtæ, ſuperati receſſerunt, & in eadem tamen peruerſitate manſerunt. Quid verò Auguſtinus? an poſt hæc omnia, velut de aduerſariorum

Vide Athanaſ. apol. 2.

Epiſt. 162.

iniquitate desperans, cõquieuit? Minimè verò. Post Niceni Concilij de filij cum patre consubstantialitate definitionem, neutiquàm tanto Concilio se submisit Arrius, vt eius decretis acquiesceret, sed publicitùs proclamitauit, patres Niceni Concilij Apostolicam fidem nouorum adiectione verborum corrupisse: nec tamen ob hanc pertinaciam Patres, quos hæc tempestas excepit, ab impijs Arrianorũ dogmatibus refutandis quicquam remiserunt. Refert Irenæus, hæreticos neque scripturis, neque traditionibus obsequi. Cùm enim ex scripturis arguuntur, inquit, in accusationem conuertuntur ipsarum scripturarũ, quasi non rectè habeant, neque sint ex authoritate, & quia variè sint dictæ, & quia non possit ex his inueniri veritas ab his qui nesciant traditionẽ. Cùm autem ad eam iterùm traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones presbyterorum in Ecclesijs custoditur, prouocamus eos qui aduersantur traditioni, dicent se non solùm presbyteris, sed etiàm apostolis existentes sapientiores, synceram inuenisse veritatem &c. Aduersùs tales, inquit Irenæus, certamen nobis est, ô dilectissime, more serpentum lubrici vndiquè surgere conantes. Quid igitur faciendum censes Irenæe? Quapropter, inquit, vndiq; resistendum est illis, si quos ex his retusione confundẽtes, ad conuersionem veritatis adducere possimus.

Athanas. in disputatiõe cõt. Arrium lib. I.

lib. 3. cap. 2. cont. Valẽt.

Eiusdem ingenij sunt hæretici nostri temporis, modò scripturas, modò traditiones ꝓ libitu reijcientes.

Hæc

Hæc & id genus infinita exempla ac documenta, nisì passìm in ecclesiasticis historijs & Patrum monumentis occurrerent, Beatissime Pater, mirari quispiã posset, non me duntaxàt, sed alios insupèr, pristinis scribendi dissertandique armis denuò cum hæreticis bellum redintegrare. Nec minor fortassìs admiratio quorundam subibit animos, me cum tali antagonista certamen inire, quem penè certum iam sit subuersum esse, ac suopte iudicio damnatum, à quo præter conuicia, calumnias & criminationes, nihil hactenùs retulerunt catholici. Neque enim post Luterum vllus propemodùm conuiciosior & maledicentior extitit inter alterius religiõis assertores, eoq́; quòd Sapiens ait, Homo assuetus in verbis improperij, in omnibus diebus suis non erudietur: idem profectò de hoc homine deincèps etiàm expectandum, non improbabilis fuerit coniectura. Ego verò planè superuacaneum arbitrarer, cum tam iniquo & pertinaci antagonista disputationem instituere, nisì exemplo nobis esset ipse filius Dei, qui non cum solis duntaxàt discipulis, vel turbis in ipsum credituris, verùm etiàm cum inimicis tentantibus, obtrectantibus & maledicentibus de veritate sermonem instituit. Quotiès enim aduersùs Iudæos, Pharisæos, Sadduceos, non solùm minimè credituros, verùm etiàm maximè contradicturos & persecuturos, grauitèr &

Ecci 23.

Etiàm non obtemperaturis veritas prædicanda.

audactèr disseruit? Nónne ab eis vltrò, cùm voluit, quæsiuit quod voluit, vt propria illos respõsione cõuinceret? Nónne illis dolosè tentando quærentibus, cùm redarguti obmutescerent, sinè vlla ambiguitate respõdit? Quod cùm faceret, nullus legitur ad eum sequendum fuisse conuersus. Et vtiquè nouerat, quia præscius erat, nihil ad eorum salutem, cùm hæc ad eos diceret, profuturum. Sed nos fortasè suo firmauit exemplo, inquit Augustinus, qui futuram fidẽ perfidiámve hominum prænoscere nõ valemus, nè si quandò nimiùm nimiumque peruersis sinè fructu salutis eorum locuti fuerimus, deficiamus & desistamus ab instantia prædicandi, cùm inanitèr piguerit laborare. Quid quòd etiàm ipsum diabolum, quem iam non solùm Deus, sed ne homines quidem dubitare possunt, nullo modo conuersum iri, filius DEI tamen insidiosè tentantem, scripturis repulit, & respondendo conuicit? Quanquàm mihi cum aduersario longè iniquiore, quàm vel ipse sit diabolus, dimicandũ sit, qui iudicibus illis, quos cum suis optauit, neutiquàm acquiescat, cùm tamen ipse diabolus, si authoritate iudicis, quem vltrò elegisset, totiès vinceretur, non esset tam impudens, vt in causa persisteret, vt inquit Augustinus. Legimus & Prophetas à Deo missos ad homines tam obstreperos & præfractos, vt ipse Deus etiàm prædiceret, verbis Prophe-

tarum

Lib. 1. cap. 8. cõt. Cresc.

Matt. 4.

Smidel. ipso diabolo iniquior.

Epist. 167. ad Festum.

tarum eos non obtemperaturos, tametsi prophetico spiritu quo futura cernebant, etiàm hoc nosse potuissent. Vade, inquit Dominus ad Ezechielem, & intra in domum Israel, & loquere verba mea ad ipsos, Ezech. 3.
quia non ad populum ignotæ linguæ tu mitteris, ad domum Israel, nec ad multos diuersis & grauibus linguis loquentes, quorum verba non possis audire, & Sic legit hūc locum
si ad tales misissem te, forsitan audissent. Domus aūt Augusti.
Israel non audient te, quia nolunt audire me. Om̄is enim domus Israel inquieto & duro corde est. Ego autem dedi faciem tuam fortem aduersùs faciem eorum, & certamen tuū confortabo aduersùs certamen eorum. Eccè, inquit Augustinus, mittitur Dei seruus, & eis loqui iubetur, qui eum nō erant audituri. Qua causa, cui bono, quo fructu, quóve affectu mittitur ad certamen prædicandæ veritatis, aduersùs certaturos & non obedituros? Ezechiel interrogatus, non ineptè responderet, obediendum magìs Deo quàm hominibus: verùm Augustinus alio in loco de hæ- Epist. 167.
reticis redarguendis & corrigendis disputans, nō in- ad Festum.
eptam reddens rationem, ait: Non pro Donatistis hæreticis tantùm hanc curam suscipiendam, sed etiàm pro Catholicis, quibus illorum vicinitas sic infesta est, vt contemni à nobis nullo modo possit. Quocircà non arbitror audiendos illos, qui in communibus hisce periculis, dum arca Dei habitat in papilio-

nibus: dum Catholici exercitûs Duces stant in pro- 2. Reg. 11.
cinctu, pro domo & familia Dei indefesso feruore di-
micantes: dum pastores vigilant & custodiunt vigi-
lias noctis iuxta gregem suum, atque adeò ad lucernā Luc. 2.
de conseruanda suorum salute, de pace & tranquilli-
tate Ecclesiæ restituenda, de castris & munitionibus
hostium subuertendis sunt soliciti: non, inquam, ar-
bitror audiendos illos, qui nec calidi, nec frigidi, nec
vllo generoso pro tuenda Religione zelo flagrantes,
consertis manibus Neutrales (vt vocant) domi desi- Neutrales
dére mâlunt: nec hoc tepore suo contenti, etiàm il-
los tacitis inuidiæ stimulis pungunt, qui se suaq; ma-
iori quadam promptitudine in hanc aciem cooptari
sustinent. Scilicet mâlunt è sublimi specula cum Ne-
rone ἅλωσιν & patriæ incendium spectare, quàm vel
ethnici istius Aeneæ pietatem imitantes, eam Re-
ligionem quæ nos in spiritu & aqua regenuit Chri-
sto, suis humeris à flamma vindicare. Sanè si scriptis
Catholicorum additur oleum caminis hęreticorum,
quid superest, nisi vt propemodùm vniuersi primi-
tiuæ Ecclesiæ scriptores fuerint olearij? Et sanè tales
eos fuisse nō ineptè dixerimus, nimirùm abundârūt
sanctorū studiorū & fraternæ charitatis oleo, cuius
larga cōmunicatiōe & profusione tātum incendiū ex-
citauerunt, vt pulueribus & fuligine hæreticorū op-
pressam sopitamque religionem, luculētissimis sua-
rum

rum lucubrationum facibus tandèm exuſcitauerint, illuſtrauerint, & in priſtinum ſplendorem reſtituerint. Etſi nunquàm tam feliciter actum ſit cum Ecclesia Catholica, vt non aliquandò corruperint & obnubilauerint huius ardentis olei fragrantiſſimum ſplendorem muſcarum morientium, hoc eſt, hæreticorum ad tempus Eccleſiam affligentium altercationes, falſæque doctrinæ, ac tenebrarum hęreticarum lemures & laruæ denſam quandoq; ac diutinam caliginem effuderint oculis mortalium: quã tamẽ ſemp Christus Dominus illuſtratiõe aduentûs ſui per ſtellas & ſidera ſalutaria, diſpulit tandèm, ac muſcas moribundas, facto iam manè & redeunte veritatis die, Exod.10. vento vrente diſſipauit, ſperamusq; Dominum Deum poſt diutinas Eccleſiæ ſuæ calamitates, miſericordiæ ſuæ memorem fore, & deſideratam priſtinæ pacis lucem, profligatis tot caliginoſiſſimorum errorum tenebris, aliquandò reſtituturum. Nouit enim qui ſint eius: nouit pios de tentatione eripere: nouit eos per ignem & aquam deducere in refrigeriũ: nouit fidelium ſuorum animas eripere de laqueo venãtium: nouit ereptos, probatos & examinatos, coronare.

Sed ad propoſitum: nihil efficimus apud Philiſtæorum anteſignanos, etiamſi ad rauim vſque cum illis decertemus. Cur autem illud? quia ſubuerſi ſunt,

Tit. 3. quia proprio ſunt iudicio condemnati, quia ſcientes veritatem oppugnant, quia obtorto collo reſiſtunt Spirituiſancto. Quid ergò? an pro hęreticis duntaxàt curam, ſtudium & laborem hunc ſuſcipimus? an non etiàm pro Catholicis, vt diximus ex D. Auguſtino, quibus illorum vicinitas ſic infeſta eſt, vt contemni à nobis nullo modo poſſit?

Ego verò, Pater beatiſſime, ſic exiſtimauero, illam ipſam auitam, Catholicam & orthodoxam Religionem, quam nunc prô dolor, in pleriſque Regnis & prouincijs miſerè ſauciatam, fœdè peſſundatam, ac deformitèr diſſipatam dolentes illachrymanteſque conſpicimus: illam, inquam, ipſam ſemianimē Religionem, ſi loqui poſſet, clara voce teſtaturam, hunc eſſe ſolum ſui miſerandi interitûs fomitem, hanc eſſe ſicam qua iugulata ſit, hunc gladium quo diſciſſa diſſipataque ſit, quia multis in locis defuerint ſtrenui palæſtritæ, deſiderati ſint idonei vindices, languerint claſſium Eccleſiaſticarum gubernatores, pręcones Euangelici tepuerint, hoſtiles inſidias conniuentibus oculis diſſimulauerint, ad ſanandi vlceris contactum exhorruerint. Non ſic itur ad aſtra, non illud Phrygium ſtrategema locum hîc vel minimum ſortiri debet,

Aeneid. 2. Mutemus clypeos, Danaûmque inſignia nobis
Aptemus &c.

Procùl

Procùl abesse debet à pectore Catholico tam illiberalis & parùm Christiana simulatio. Aut hostes nos profiteamur, aut patriæ defensores: aut ciues, aut perduelliones: aut Catilinas, aut Cicerones. Vsquequò 3.Reg.18.
claudicamus in duas partes? Si Dominus est Deus, sequamur eum: si autē Baal, sequamur illū. Nihil pniciosius amico simulato. In aduersis ꝓbatur amicitia.

Vt fuluum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspiciēda fides,

inquit ethnicus Poeta. Si verè diligimus fratres, cur non callidissimas fraudulentissimi hostis insidias detegamus? cur simus speculatores cæci, canes muti, nescientes latrare? cur non indicabimus, cur non capiemus vulpes demolientes vineam? Nec enim est abbreuiata manus Domini, vt etiàm errantibus & in errorem mittentibus pœnitentiam dare nequeat. Quinimmò sterilem ficulneā indulgentissimus Dominus toto adhuc anno voluit stercorari. Vsq; adeò Luc 13.
verum est, quod ait Propheta: Arundinem quassatā Esa.42.
non conterit, & linum fumigans nō extinguit. Hāc Matt.12.
Domini nostri longanimitatem, hāc lenitatem, hāc tam impigram, &, vt sic loquar, penè superuacaneam ac desperatam sedulitatem imitabimur quotquot Christum profitemur, quotquot fratres, tametsi semineces iam, & extremo in præcipitio constitutos, diligimus. Quotiès volui vos congregare, inquit ille Matt.23.

huius longanimitatis Doctor, quemadmodùm gal-
Matt. 23. lina cõgregat pullos suos, & noluisti? Cur totiès stu-
duit eos congregare, quos sciebat ne semèl quidem
Ioan. 13. velle obtẽperare? Exẽplum dedi vobis, inq̃t idẽ alibì.
Magno igitur Dei Opt. Max. beneficio non solũ
in primitiua Ecclesia reliquisque temporibus & se-
culis, verùm nostra quoquè ætate habuimus datos
Ephe. 4. nobis pastores & doctores: Ad quid? ad consumma-
tionem sanctorum, in opus ministerij, in ædificatio-
nem corporis Christi. Quid ais ô Paule? de qua con-
Heb. 10. summatione tu mihi hìc loqueris? Nónne vnica ob-
latione consummauit Dominus eos qui sanctificã-
tur? Nunquìd Pastores & Doctores, Ambrosius, Au-
gustinus, Hieronymus &c. dati sunt ad consumma-
tionem sanctorum, quos semèl consummauit Chri-
stus? Atquì huiusmodi Euangelicis argutationibus
nos armant illi, qui nihil penè præter tuas, ô Paule,
Epistolas & plerasque vtriusque Testamenti scriptu-
ras recipiunt. Sed venerabilior nobis es ô Paule, q̃
vt fidem tibi detractemus. Agnoscimus in te & vene-
ramur veridicum diuini pectoris tui spiritum, quem
ille pastor, ille aurei oris doctor Chrysostomus, ad-
mirabundus vocat tubam Euãgelicam: Qui spe quo-
dammodò perfecti consummatique sumus, etiàm
imperfectum nostrum videmus oculis nostris. Non
igitur pigritantes grauamur, non inflati dedignamur
con-

consummari per illos quos ille pastorum princeps
nobis dedit ad consummatiõem sanctorum, in opus
ministerij, in ædificationem corporis sui, eoque non
cum Israelitis, velutì super cibo leuissimo nauseam⁹, Num. 21.
sed toto pectore gratias agimus Deo omnipoenti, q
etiàm nolentes volẽtes tot beneficijs cumulat, quòd
omnibus seculis largiatur familiæ suæ plerosq; œco-
nomos, qui stomachis non omninò corruptis aut
fastidientibus, panem veræ intelligentiæ verbi DEI
frangant. Quorum vt multos priora secula, ità non
paucos habuit ætas nostra, qui velut murũ se pro do- Eze. 13.
mo Dei opponerent, acerrimisque disputationibus
voce & stylo cum hostibus religionis congrederen-
tur. Eoque neutiquàm ab eorum sententia recedi-
mus, qui recrudescẽte morbo veterum illorum me-
dicorũ vestigijs, diuino præsidio implorato, insistũt,
& ad vsitata pridèm remedia cõfugiunt, vsurpatosq;
nupèr clypeos, hostibus bellum instaurantibus, rur-
sùm obijciunt. Neque enim quia strenuè cum Arrio
luctatus est Athanasius, idcircò ab asserenda Trinita-
te ac filij cum patre ὁμοουσία destiterũt Hilarius & Au-
gustinus. Vtile & necessariũ est, inquit D. Prosper,
etiàm quæ scripta sunt, scribere, nè leue existimetur, Prosper in epist. ad Au-
quod non frequentèr arguitur. Sanum enim putant gust.
esse quod non dolet, nec vulnus superinducta cute
sentiunt, sed intelligunt peruẽturum ad sectionem,

ſi habuerit perſeuerantem tumorem. Et ipſe D. Pau-
Phil.3. lus, Eadem, inquit, ſcribere vobis mihi quidem non
pigrum, vobis autem neceſſarium. Porrò quicquid
hîc à nobis laboratum eſt, Beatiſſime Pater, id inpri-
mìs Deo quidem Opt. Max. & Eccleſiæ Catholicæ,
deindè verò Tuæ Beatitudini dedicatum conſecra-
tumque, humilitèr offerendum duxi. Cùm enim no-
ſter hic labor eò ſpectet, vt diſſidiorũ in eccleſia com-
ponendorum rationem, à chariſſimo mihi parente
Matthia Bredenbachio paucis abhinc retrò annis
propoſitam ac typis euulgatam, ab aduerſariorũ ca-
lumnijs vindicem, vnicamque illam ac veram pacis
inueniendæ normam eſſe demonſtrem, Tuaq; San-
ctitas præcipua quadam contentione, feruentiſſi-
moque zelo in hoc allaboret, vt tãdem hæc ipſa tam
diuturna & pernicioſa diſſidia componantur: quic-
quid ad hanc pacem & concordiam inueniẽdam &
firmandam ſpectare videtur, id ſummo totius Hie-
rarchici ordinis Antiſtiti, pacem & vnitatem tanto-
perè deſideranti, iure meritoque debetur. Accedit ꝙ
cùm ſuperiori anno cum Reuerendis & Clariſſ. Se-
reniſſimi principis Alberti vtriuſque Bauariæ Ducis
Oratoribus, D. Martino Eiſengreinio Theologo, &
D. Ioanne Pfiſtero I. V. Doctore &c. viris de religi-
one Catholica benè meritis, Romam ablegatus eſ-
ſem, priuato tuo colloquio, ſemèl atque iterùm me
pi-

pientiſſimè benigniſſimeq́ue dignatus ſis, defun-ctiq́ue parentis mei eiuſdemq́ue lucubrationum piam ac honeſtam memoriam habueris. Quocircà quicquid ad eius innocentiam, & quam profeſſus eſt, Catholicam Religionem tutandam pertinet, id Tuæ Beatitudini ac Pietati omninò probatum iri confido. Improbet, laceret, execretur noſtræ pietatis officium, improbum hæreticorum vulgus: ego (vt iam non meis, ſed beatiſſimi Hieronymi verbis vtar) cũ ſucceſſore piſcatoris & diſcipulo crucis eandem religionem veneror: Tuæ Beatitudini, id eſt, Cathedræ Petri communione conſocior: ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque tecum non colligit, ſpargit: hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Hæc eſt fides, Papa beatiſſime, quam in Catholica didicimus Eccleſia, quamq́ue ſempèr tenuimus, in qua ſi minùs peritè, aut parùm cautè, fortè aliquid poſitum eſt, emendari cupimus à te, qui Petri ſedem & fidem tenes. Si autem hæc noſtra confeſſio Apoſtolatûs tui iudicio comprobatur, quicunque me culpare voluérit, ſe imperitum vel maleuolum vel etiàm non Catholicum, ſed hæreticum comprobabit. Deus Opt. Max. Beatitud. Tuã Eccleſiæ ſuæ Catholicæ pacandæ, gubernandæ atque ornandæ q̃ diutiſſimè felicem, florentem, & incolumem cõſeruet. Datum Bonnæ Idib. Septemb. Anno 1567.

Hieron. in epiſt. ad Damaſum.

CANDIDO LECTORI S.



Acilè mihi mea persuasit patientia, amice Lector, vt ad maledicum Iacobi Smidelini libellū hyperaspisten, hoc est, scutarium Thrasonicæ cohortis militem, quo vniuersas penè Religionis Catholicæ partes impetit, & colendos mihi charissimi parentis mei cineres petulanti insultu exagitat, nunc tandèm respondeā. Mâlebam enim aliorum lucubratsonibus in Latinum sermonem transferendis placidū quietumq; studiorum genus, quodq; quàm minimum inuidiæ secum trahat, sectari, quàm cum eiusmodi homine luctari, à cuius contactu nil nisi teterrimam atrocissimorum conuiciorum scoriam & fabrilem fuliginem queas referre. Certè imparem mihi cum hoc obturbatore certandi conditionem agnosco. Nam (sicutì de Catone alicubì commemorat Plutarchus) vt maledicere & malè audire illi facilimum, sic mihi maledicere insuaue, & malè audire insuetum. Nec erat animus vel nunc quidē istū crabronem retundere, sed iugi silentio potiùs ac tolerantia quietem ab inquietissimo redimere, nisi nupèr in longam quandā & egregiè cumulatam spurcissimarum sycophantiarum farraginem incidissem, quas hic idem in Reuerendissimum Dominū Stanislaum Hosium Cardinalem impotentissima conuiciandi libidine euomuit, vbì rursùs venerandos mihi Mánes parentis mei molestat, atque adeò iam olim defunctum odio plusquàm Vatiniano prosequitur, nec viuis nec mortuis parcens. Quocircà nè in perpetuum nostra patientia abutatur, & auitam catholicamq; religionem prophanis ludibrijs exagitet, visum est illi Thrasonico hyperaspistæ hūc nostrum Anthyperaspisten, hoc est, Catholicum Orthodoxæ Veritatis assertorem semèl opponere, neutiquàm tamen eiusmodi armatura munitū, cuiusmodi istum clypeatū pugilem obarmauit Vulcanius heros, qui omne præsidium suum in calumnijs, sycophantijs, sannis & satyricis

ron-

ronchis collocat, tutũq; putauit iam bonus eſſe faber, ſi in ſummos Pontifices, Epiſcopos, Cardinales, & cuiuſuis conditionis ac profeſſionis homines, egregiè loricata & concatenata conuicia fabricare didicerit. Vt autem nôris, amice Lector, cum quali aduerſario mihi dimicandum ſit, viſum eſt ex præſtantiſſimi viri D. Bartholomæi Latomi (in quem eodem quo parentem meũ impetiuit libello, maledicentiæ ſuæ virus euomuit) ſcriptis, eius perſonam qualitercunq; adumbrare. Is in apoſtrophẽ ſua quam in apologetico libello de docta ſimplicitate &c. habet ad Smidelinum, his eum verbis depingit: In celebri conuentu Vuormatię prodijſti & ipſe in publicum, & in cõcionem aſſcendiſti. At quo habitu? pulchro ſanè ac decoro, nec Theologo minùs quàm tali & loco & tempore digno. Ex veteribus certè hierarchicis venerabilem aliquem dixiſſes. At quo tandèm ornatu? nihil mentiar. cum ſago aulico paulùm infra genua, manica altera pictura-ta circa ſiniſtrum humerum, exertis vtrinq; brachijs, & cum cultro venatorio ad latus. Mirum quòd petaſum illum craſſum & villoſum in diuerſorio reliqueras, quo te paucis antè diebus tectum, eodem quo dixi ornatu in frequentiſſima maioris templi concione cõſpexeram &c. Habes deſcriptum noſtrum Antagoniſtam, ſi externam corporis ſuperficiem conſideres. Porrò cùm indoles & ingenium hominis duobus potiſſimùm ſignis ſoleat obſeruari, habitu nimirùm & oratione, cognito habitu, ſupereſt vt ex oratione velutì ex vnguibus leonem depręhendas. Ea autem eſt tam maledica, atrox, calumnioſa, & blaſphema, vt non Chriſtianum gregis Dominici Paſtorem, ſed theatricum ſaltatorem: non Euangelij Apoſtolum, ſed apoſtatam liquidò queas animaduertere. Quibus ènim & quàm atrocibus ludibrijs, ſcommatibus, conuicijs, ronchis, calumnijs & portẽtoſis dicterijs non in parentem duntaxàt meum, verùm etiàm in laudatiſſimum præſulem D. Staniſlaum Hoſium Cardinalem deſtomachatus ſit, nouerunt illi quotquot maledicentiſſimas

eius rhapsodias perlegere dignati sunt. Qua conuiciandi subsannandiq; libidine, cùm totus velutì scabie quadã pruriat, nihilominùs in libro aduersùs Reuerendissimum Hosium optare ausus est aliquem Constantinum, qui tot conuiciorum libellis exustis, sua authoritate Ecclesiæ ministros eò adduceret, vt priuatas offensiones obliti, doctrinæ explicationem sinè conuicijs & sophistica sumerent: fortassè, inquit, minus esset & contentionum, & offendiculorum in Ecclesia. Hæc igitur qualiscunque atque, vt sic dicam, superficiaria adumbratio aduersarij nostri, sufficiet: nam de vitæ integritate & castimonia (quam tamẽ ipse passìm in Catholicis sacerdotibus, episcopis & pontificibus inuidiosissimè criminatur) nolo quicquam inuidiosiùs cõmemorare, quanuìs nec iusta ratio, nec idonea materia nobis deesset. Neque enim ignoramus, quis & qualis sit Iacobus Andreæ Smidelinus, neq; nescimus quàm cõstanti & publica multorũ grauissimorũ testiũ voce de quibusdã rebus, quas ob honorẽ ho͞is, licèt aduersarij, spõtè dissimulo) notetur: Veréne, an falsò, litem non fecero meam: neque enim hîc criminum exprobratiõe, sed religionis integritate certamus. Vtut sit, equidem meliora mihi de ipso persuadeo, nec facilè adducor vt credam huiusmodi deformes næuos in candido præconis Euangelici pectore locum sortiri posse. Pulchrum Christianoq; homine dignum est istud D. Bernardi: Si potes, excusa actionem: sin minùs, excusa intentionem: si neque hanc, excusa tentationem. Illiberaliũ sanè arbitror esse animorum, de eiusmodi rebus acerbè digladiari. Qui literis sese consecrârunt, versantur in studijs humanitatis. Huic humanitati grauem profectò faciunt iniuriam, quotquot vel in artium tractandarum, vel in Religionis asserendæ palæstra constituti, à legitimis armis sese proripiunt ad saxa conuiciorum, & ad lutulentas quarumlibet calumniarũ adspergines. Si dicatur quòd hîc Iliacos intrà muros peccetur & extrà: nusquàm tamen grauiùs peccatur, quàm apud eos, qui Catholicæ Religiõis cultores

tores quolibet criminationum genere persequuntur, qui incō-flanda sacerdotibus inuidia, & concitandis popularibus seditionibus summum præsidium collocant. Nihil hîc de impetuoso illo maledicentiæ Luteri fragore, nihil de versutis Caluini calumnijs, nihil de atris Melanchthonianæ scriptitationis carbonibus referemus: vnicus aduersarius noster exēplo esse poterit, nulla non in pagina teterrimam hostilium criminationum fuliginem in Paulum III. in summos Pōtifices, Cardinales, Episcopos, atq; adeò passìm in quoslibet sacerdotes Catholicos excutiens. Sed cui mortalium parcat, qui ipsos sanctorum Martyrum beatissimos Mánes, qui sacros & venerandos primitiuæ ecclesiæ Patres, & in his ipsum Spiritumsanctum persequitur & oppugnat? Taceo prætereà atrocissimas truculentissimasque Luteri imagines in vniuersum Pontificum & Cardinalium ordinem, famosos deindè totius factionis libellos, clancularia satyricorū hominū poëmata, sinè nomine in quorumlibet nomina passìm euulgata, personatas deniq; sermocinationes ac dialogismos, atq; id genus plusquàm pasquillicæ licentiæ strategemata. Bestiarum est mutuo fremitu in mutuam perniciem insurgere, vitulorum est mugire, felium vnguibus lancinare, murium rodere, coruorum prædari, cyclopum & incendiariorum fabricatas ad hanc insaniam faces subministrare: satisfaciant suis nominibus isti philosophi: ingenuarum artium mansueiudo ab hac μισανθρωπία longè est alienissima. Omissa ergò hac philosophia, solius religionis vindicādæ propositum nostra lucubratiōe prosequemur. Si igitur libet cognoscere qua erga Deum religiōe ducatur aduersarius, paucis vnum aut alterum doctrinæ, quam ꝓfitetur, themation recensebimus. Caput doctrinæ eius est, quòd hominis verè Christiani sit, certò sibi persuadere, se indubitatò salutem obtenturum propter fidem in Christū. Nobis verò obijcientibus, quid si contingat hac spe excidere, istaque certa persuasione falli & defraudari? respondet ex sua sophistica, fieri hoc

Per fallaciam accidẽtis. Ac tametsi Catholici bonos & pios plùs sperare quàm timere iubeant, non tamen hanc nouitiam fidem, & tam arrogantem præsumptionem admittunt, quia nescit homo vtrùm odio an amore dignus sit. Nec id mirum, cùm prauum sit cor hominis & inscrutabile, & quis cognoscet illud? inquit Propheta. Si voluero me iustificare, dicit Iob, os meum cõdemnabit me: si innocentem me ostendero, prauum me cõprobabit: etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Paulum quoq; fidei in Christum promptissimæ cùm adeò non securum fecerit hæc fides, vt etiàm castigaret corpus suum, & in seruitutem redigeret, metuens, nè, cùm alijs euangelizâsset, ipse reprobus efficeretur: Smidelinus tamen prompta certaq; fide sibi pollicetur regnũ cæleste, vndè nulla ratione queat excidere: sed q̃ vanè, facilè perspicit, qui ex scripturis cognouit, neq; hæreticos neq; maledicos regnũ Dei possessuros. Hãc tam hæreticam doctrinam, cùm suis publicitùs inculcet, haud sanè mirũ est, per accidentis fallaciam accidere, vt plurimi sperata salute defraudentur. Rectè igitur D. Hieronymus iam olim contra Iouinianum eandem penè hæresin adferentem: Angeli, inquit, de cælis descendũt, & Iouinianus de eorum possessiõe securus est? Hæc sunt sibila serpentis antiqui: His consilijs draco de paradiso hominem expulit. Nam & ille repromisit eos immortales futuros, quasi nunquàm possent corruere: & dum diuinitatem æqualem Deo pollicetur, expulit eos de paradiso, vt qui nudi & expediti Domini consortio fruebãtur, deiecti in vallem lachrymarum, tunicis consutis & pelliceis vestirentur &c. Hæc Hieronymus. In sanctos Dei Martyres tam execrãdam expuit blasphemiam, vt miracula quæ digito Dei ad ipsorum sepulcra olìm ad fidem Christianam asserendam facta sunt, atq; etiamnùm fiunt, cum Porphyrio & Eunomio damnatis hæreticis, præstigias dæmonum appellet, blasphemia non verbo, sed ferro vindicanda. Chrismatis vsum cùm ex Clemente, Dionysio Areopag. Fabiano,

Eccl. 9.
Iere. 17.
Iob 9.
2. Cor. 9.
1. Cor. 6.
Hieron.
Agnosce lector vocem diaboli, loquentis nũc per Smidel. vti olìm locutus est p serpentem.

no,

no, Cypriano, vetustissimisq; Patribus docemus, cùm Augustinum proferimus disertè scribentem: Chrismatis sacramentũ in genere visibiliũ signaculorũ sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus: respondet, non illum duntaxàt, sed & alios errores id tẽporis ecclesiam inuasisse, Patresq; si admoniti fuissent, hunc errorem facilè emendaturos: vt mirum sit, Christum sponsam suã Ecclesiam tam arcto amore complectentem, hunc prophetam ex fabrili ergastulo tam serò eductum, ante annos mille quingẽtos non misisse ecclesiæ, vt eam tantorum errorum admoneret: Quasi verò ecclesia iam olìm ante annos mille per Nauatianos ob Chrismatis vsum repræhensa non sit: nec tamen ob id quicquam mutauit. Nam quòd Nouatiani Chrismatis vsum impugnauerint, refert Theodoretus: Qui Nouatum sectabantur, inquit, alia quædam illi dogmata attexuêre: qui sibi alteram duxisset coniugem, sacris expellebant mysterijs. Ijs deniquè qui ab ipsis baptizantur, sacrosanctum non exhibent chrisma. Quamobrem eos etiàm, qui ista ex hæresi in ecclesiæ corpus coalescũt, laudatissimi patres constituerunt vngendos. Hæc ille. Hi sunt q nostram ecclesiam ad illius primitiuę imaginem reformare volunt: cuius testimonijs dum maximè premuntur, & hæreses suas nullo fuco palliare queunt, illos etiàm erroris & inscitiæ non erubescunt insimulare, qui ipsorum & Apostolorum discipuli fuerunt, suamq; doctrinam ex ipsis hauserunt. Sed quis portentosissima huius hominis paradoxa vniuersa valeat enumerare? Hæc tantùm veluti per transennam exhibere volui, Lector optime, vt quæ sub reliquis erroribus in ipso opere fusiùs tractatis lateant errorum & blasphemiarum portenta, ex hoc specimine depræhendas. Quę si, vt insignis est hominis superbia, à me retractari indignè tulerit, & conuiciorum clamorumq; fulmina deprompserit, equidem de Dei benignitate & causæ integritate confisus, hoc illi promittere non expauesco, quod de se Milo apud Ciceronem refert, nunquàm se tam inermem fuisse,

lib. 2. ca. 104 cõt. lit. Pet.

lib. 3. de peruers. hæret. fabul.

quin

quin satis armatus esset aduersùs talem fœminam, Clodium scilicet. Nunquàm enim me tam inopis animi fore, per Dei gratiam confido, quin illius tam proterui insultatoris purulétas adspergines facili negocio velut spongia sim absterfurus Si ille præfractus pacem cum scuto petit, & nos oliuæ ramum gladio inserimus. Eligat vtrumcunq; volet, neutrũ subterfugimus. Sanè quæ in hoc opere dogmata tractauimus, eiusmodi sunt, vt in Catholica Christi Ecclesia iam indè ab Apostolico seculo sint obseruata: quę omnia cùm noster antagonista velut erronea & commẽtitia rideat, exibilet atq; explodat, vter nostrûm iustiorem foueat causam, tua candide lector integritas facilè perspicit, boni & cordati omnes non obscurè animaduerrunt, Catholica Christi ecclesia in S. Oecumenico Concilio iudicauit. Itaq; si quæ fortè calumniæ contra me fuerint exortæ, boni omnes me facilè tutabuntur, & causę, quam tueor, synceritate & recti cõscientia fretus, etiamsi fractus illabatur orbis, impauidũ ferient ruinę. Vale.

CAPITUM LIB. I. ARGUMENTA.

Cap. 1. *PRoœmium continens causam & occasionẽ scribendi huius operis, & cur aduersùs hæreses scribendnm.*

2\. *Progreditur author ad defensionem, declarans quàm falsò dicat Smidelinus, deploratum esse in castris Catholicorum, eoq; sacrificos ad Bredenbachij patrocinium confugisse: obijciunturq; ei plurimi scriptores nostræ ætatis, quibus nihil responderunt aduersarij. Producitur etiàm Brentius, qui in Concilio Tridẽtino sæpiùs à Patribus compellatus, vt doctrinæ suæ rationem redderet, obmutuit. Deindè obitèr refertur, quò fiat, quòd viri doctißimi quandoquè in hæreses prolabantur.*

3\. *Quàm ineptè repellat Bredenbachiũ Smidelinus à studio Theologico, quòd sit cõiugatus, cùm ipse cum omnibus symmystis suis sit cõiugatus. Multos deindè coniugatos tam in primitiua quàm nostra Ecclesia de rebus sacris quid conscripsisse. Ineptè prætereà D. Barthol. Latomum Rhetorem, Bredenbachiũ verò Grãmaticum vocari à Smidelino, cùm ipse nec Rhetorẽ nec Grammaticũ se esse declaret.*

4\. *Criminatur aduersarius Bredenbachium, quòd apologum suo libello inse-*

rue-

rueritːrursùm demonstratur, apologos non in profanis dũtaxàt, sed sacris etiã literis esse vsitatißimos, atque adeò ipsum Brentium quem defendẽdum suscepit, sua prolegomena à fabula inchoâsse.

Refutatur aduersarius, docens in Pastore requiri necessariò vitam probatam cum sana doctrina, ad hoc vt oues ei teneantur obedire. 5.

Explicantur Canones prima fronte dissoni, an liceat audire Missam sacerdotis concubinarij. 6.

Smidelinus vult pastorum doctrinam examinandam exemplo ciuiũ Berrhœensium in Actis Apostolicis: confutatur, quia Luterus suam doctrinã voluit ab hominibus, ab angelis, & à Deo ipso habere iniudicatam: Deindè quia Melanchthon voluit ecclesiam veterem consuli in examine doctrinæ, non verò solam sacram scripturam, vt vult aduersarius. 7.

Profertur genuina sententia loci Acto. xvij. an ciues Berrhœẽses hoc pacto scrutati sint scripturas, quasi de doctrina Pauli dubitauerint. 8.

Quomodò pastoris queat examinari doctrina, vt non violetur charitas Christiana. 9.

Nouè & ineptè Smidelinum comparare Romanum pontificem meretrici Babylonicæ, & meretricis nomen potiùs in ipsos competere, cùm in sacris literis per meretricem plerunq; intelligatur doctrina hæretica, veterumq; nemo locum Apocalypseos ità sit interpretatus, vt eum exponit aduersarius. 10.

Declaratur, quanto dolo Smidelinus Bredenbachij ordinem peruertat, & obitèr progreditur author ad explicatiõem istius monostichi, Tu supplex ora, tu protege, tuq; labora: quem versum velut absurdè adductũ criminatur aduersarius, prætermißis solidißimis argumentis, ex quibus hic versus suam lucem & robur accipiebat. 11.

Criminatur aduersarius sacerdotes, quòd sibi vendicent cultum diuinum: refellitur & rationibus, & SS. Patrum Testimonijs. 12.

Demonstratur scripturis, sacerdotes & mediatores, reconciliatores, intercessores, dispensatores mysteriorum Dei, ab ipso Paulo & prophetis vetustißimisq; Patribus appellari. Item quomodò sit mediator Christus, & quomodò mediator sacerdos. Refelluntur deindè cauilli Smideliniani de sacerdotũ officio in ministerio reconciliationis, quos obiecit Reuerendiß. Hosio. 13.

Confutatur diuinis apostolicisq; literis, adeoq; ipsius Luteri testimonio aduersarius, docens hominem debere certa fide credere se indubitatò saluũ fore, doceturq;, Christiano etiàm neceßarium esse pium timorem, & id quamob- 14.

rem, scripturarum Patrumq; doctrina luculentèr & copiosè demonstratur.

15 Explicatur fusè & elegantèr locus Deuteronomij 17. cap. Iudicabunt tibi iudicij veritatem, esseq; hæc verba nō mandati, (vt vult aduersarius) sed promissionis, idq; docetur ex Græco, Hebræo & Chaldæo textu.

16 Demonstratur idem ex Iudæorum Rabbinis & alijs rationibus.

17 Non essè nouum aut impossibile, Cathedram Mosis in causarum iudicijs non potuisse errare, cùm non sit de promittentis Dei fide dubitandum, & vnicuiq; mystici corporis membro instilletur à capite facultas suam functionem exequendi, quod veteris testamenti exemplis docetur, multoq; magis hanc facultatem collatam summo illius Cathedræ præsidi.

18 An tunc demùm Iudæi suo iudici parére debuerint, si iudicaret secūdùm legem Dei, & quatenùs legis diuinæ scientia à populo requiratur, cùm aduersarius indistinctè velit, populum omninò teneri ad scientiam legis diuinæ, explicaturq; obitèr locus Deuteronomij 6. quem ad hoc corruptè adducit.

19 Vriæ facinus, & prophetarum querelas de sacerdotibus & scribis, nihil derogare veritati, quam Deus in ore iudicis Mosaici fore promisit, neque assistentiam Dei promitti in factis Pontificum, sed in iudicijs iudiciali more requisitis, atque in hisce etiàm improbos Pontifices sempèr iudicâsse iudicij veritatem.

20 Exemplum Phassur ex Hieremia cap. 20. non labefactare hāc iudicij veritatem, cùm Phassur non fuerit summus sacerdos, sed præpositus templi: obiterq; declaratur, non esse idem officium Pontificis & præpositi templi, vt per imperitiam putat aduersarius.

21 Demonstratur, qua ratione dici possit in iniquissimo iudicio Caiaphæ contra Christum, etiàm fuisse pronunciatam veritatem iudicij secundùm promissionem illam Dei, factam in Deuteronomio cap. 17. Iudicabunt tibi iudicij veritatem.

22 Declaratur, quàm falsè Smidelinus contra Bredenbachium concludat.

23 Docetur, cur Christus docuerit cauendum à fermento Pharisæorum, hācq; Christi doctrinam non pertinere ad seditionem, vt temerè desciscamus à nostris præpositis. Deindè non omnia, quæ Deo permittente fiunt, essè probanda.

LIBER II.

1 Continet παρασκευὴν & præparationem libri secūdi, & quid in eo tractandum sit, breuitèr exponit.

Quo-

Quomodò Ecclesia Dei Catholica sit visibilis & inuisibilis, & cur hæretici ignorent Ecclesiam. 2

Quo signo vera visibilis & catholica Christi Ecclesia verißimè cognosci posit, nempè si digito Dei demonstretur, esseq; Ecclesiam Catholicam digito Christi nobis demonstratam. 3

Visibili Christi ecclesiæ necessum esse visibile quoddã caput, & generalem gubernatorem, ad vitanda schismata. 4

D. Petrum constitutum esse Christi vicarium & generalem Ecclesiæ gubernatorem, quod multis Euangelij & Patrum testimonijs declaratur: quomodò Petrus dicatur Apostolorum Princeps, & quomodò dicendũ sit, Apostolos fuisse pares. 5

Diuum Petrum in hac generali cura successorem aliquem necessariò habere. 6

Romanum Episcopum esse D. Petri successorem, varijsq; modis probatur Romani episcopi eminentia. 7

Confutantur Smidelini argumenta contra primatum Romani episcopi, & primò, an Christus prohibens discipulos de primatu contẽdere, omnem primatum Petro abrogauerit, solaq; eminentia quædam donorum fuerit, non etiàm potestatis inter Apostolos, vt vult aduersarius. 8

Non omnes illos esse Petri successores, quotquot à D. Petro ordinati sunt episcopi, vt falsò aßerit aduersarius. 9

An rectè faciat Smidelinus, quòd suam suorumq; peruicaciam vocet constantiam. 10

In cathedra Mosis aut Petri sedentes, licèt non æquent Mosen aut Petrum sanctimonia, tamen audiendos esse. 11

Declaratur, quàm falsò & malignè deprauauerit Smidelinus verba Cypriani, vt seditionem excitet in Ecclesia Catholica, & quòd Cyprianus planè ei contrarius sit, videlicet plebem non debere temerè à suo pastore desciscere, quod Cyprianum dicere vult Smidelinus. 12

Non ineptè adductum à Bredenbachio locum Pauli, Tu quis es qui iudicas alienum seruum? ibidèm grauißimus locus ex Chrysostomo adducitur, quo arguuntur illi, qui temerè in pastores Ecclesiasticos insurgunt, Itemq; memorabile dictum Constantini Magni. 13

De ordine Hierarchico Ecclesiæ Catholicæ, eoq; non facilè turbando. 14

De diuersa principum & episcoporum functione, & opus bonũ quandoq; 15

ex personæ vel temporis circunstantia malum reddi.

16 An episcopi habeant potestatem iudicandi causas seculares & vsurpandi gladij. Itemq; D. Augustinum & alios episcopos eius temporis, non rarò aut accidentèr, sed totos dies, idq; frequentèr exercuisse iudicia secularia, quod in nostris episcopis malignè criminatur Smidelinus.

17 Reddit Smidelinus causam suæ defectiōis à Catholica fide, nempè, propter quorundam peccata & falsam doctrinam. Hîc ipsius Luteri verbis confutatur, quō scilicet, Lutero teste, ipsius doctrina exorta, omnia vitia sumpserint incrementum, & hæreses antiquæ sint renouatæ.

18 Demonstratur, quàm improbè obmutescat aduersarius ad præcipua Bredenbachij argumenta.

19 Quàm ineptè & calumniosè aduersarius accuset Paulum III. Pontificem, quòd sua suorumq; peccata publica querela defleuerit, idq; omnibus Prophetis & Sanctis fuisse familiare.

20 An quia Paulus dicat se Gentium, Petrum verò circuncisionis Apostolū fuisse, ideò Paulus Petro par fuerit, & Pauli locum ab aduersario adductū, ipsi maximè aduersari.

21 Cur Petrus circuncisionis Apostolus dictus, & Paulus Gentium.

22 An Petrus à Paulo verè fuerit repræhensus, & si verè repræhensus sit, non ob hoc imminui authoritatem Petri.

23 An Petri eminentiam minuat, quòd scribit Lucas eum à reliquis Apostolis missum esse in Samariam.

24 An ideò biceps monstrum obtrudatur Ecclesiæ, vt vult Smidelinus, si dicamus post primarium caput Christum, etiàm secundarium caput datum esse Ecclesiæ Petrum Apostolum.

25 An quia Christus vicaria opera omnium sacerdotum vtitur, ideò nullus inter eos eminere debeat. Item episcopi à sacerdote differentia, veterum quoq; Sacerdotum in veteri lege distinctio.

26 Rursùs ineptiæ quædam Smidelini refutantur contra primatum Petri.

27 Declarantur Canones quorundam Conciliorum, qui videbantur obstare primatui Episcopi Romani, eorumq; genuina sententia explicatur.

28 Declaratur Canon Concilij Antiocheni.

29 De Ioāne Cōstātinopolitano Episcopo, vocante se patriarchā Oecumenicū, & Gregorio episcopo Romano ambitionē Ioānis reprimēte, Romanosq; Episcopos iam olìm agnitos & nominatos fuisse vniuersalis Ecclesiæ Episcopos.

Cy-

Cypriani verba, deprauatè: Concilij Niceni, falsò ab aduersario adducta, demonstratur. 30

LIBER III.

Deo punienti peccata nostra, an sit resistendum. 1

Quatenùs hæretici Sacramenta, & quæ, possint administrare. Item Smidelinum non esse sacerdotem ordinatum, vtì ipse confitetur aduersùs Staphylũ, eoq; ipsum potiùs quàm Ecclesiam, fraudare populum toto Eucharistiæ Sacramento. Denique quis sit funiculus hæreditatis Smidelini. 2

De chrismate. probatur eius vsum fuisse antiquissimum in Ecclesia Catholica, quem cùm idoneis argumentis non potest confutare Smidelinus, mauult vniuersam primitiuam Ecclesiam erroris accusare, quàm suum errorẽ confiteri. 3

Ob hanc pertinaciam non posse Smidelinum haberi pro Christiano & Catholico. 4

Theodosius Imperator præcepit Canones pristinos obseruari, & an iudex fuerit in Concilio Theodosius, vt vult Smidelinus. 5

Praxis & mos veteris ecclesiæ in iudicandis religionis controuersiis. 6

Ne hæreticos quidem Imperatores Ecclesiasticas causas iudicare voluisse. 7

Smidelinus conuictus, quòd principes non sint legitimi iudices causarum Ecclesiasticarum, respondet, tametsi principes doctorum iudicio ducantur, nõ tamen eos sinè iudicio suæ conscientiæ illis assentiri: obiterq; demonstratur, quàm vanè hisce technis effugere quærat, in summas angustias redactus. 8

Brentius quomodò iudicium causarum Ecclesiasticarum inuoluat. Item ne Ethnicos quidèm Imperatores vsurpâsse sibi iudicium causarum Ecclesiasticarum. 9

Ab exemplo Caroli V. & Ferdinandi Imperatorum demonstratur, quorsùm pertineat iudicium causarum Ecclesiasticarũ, & obitèr nonnihil de historia Socratis & iudicio Theodosii. 10

Quàm malè sibi consulat Brentius, quòd talem elegerit aduocatum, qualis est Smidelinus. 11

Ecclesiam militantem non carere maculis suis, & Euangelicos falsò suum negocium comparare causæ Apostolorum. 12

Nihil vnquàm à Prophetis prædictum, quòd mundus tantis tenebris obrueretur, vtì obrutum esse iactant Euangelici, cùm tamen reliqua quæ hactenùs euenerunt, à Prophetis prædicta sint, teste Augustino: neque prædictũ 13

vspiàm, has tenebras per Luterum aut Caluinum illustrandas. Christi quoq; apud Matth. 24. cap. de venturis pseudoprophetis & Pauli ad Thessal. de Antichristo vaticinia, non de Catholicis & Rom. Pontifice prædicta, vt contra Hosium adstruit Smidelinus, sed de ipsis potiùs Luteranis, verissimis Antichristi præcursoribus, ac demùm de ipso Antichristo.

14 Declaratur, quomodò Euangelici corruperint verba Lyrani, vt eum cnotra Catholicos possint producere.

15 Luculenta & copiosa declaratio, quatenùs debeat fides adhiberi testimonijs SS. Patrum in definiendis religionis controuersiis.

16 Philippi Melanchthonis de patribus censura ineptissima simul & impietatis plenissima.

17 Smidelinus volēs vaticinari de excidio Papatûs & Catholicismi, vanitatis conuincitur.

LIBER IIII.

1 DE votis, Item quibus modis castitas possit conseruari. Nec ipse impossibilem castitatis conseruationem, Catholicorum hæreticorumq; testimonijs docetur. Dictum Christi, Non omnes capiunt verbum hoc, luculentèr explicatur.

2 Tractatur locus Ambrosii ad virginem lapsam, atque item eos Christo desponderi, quæ accepto velo & publico voto, se ad continentiam obstrinxerunt. Melius est nubere quàm vri, ad quos pertineat. Vetustissimum esse vsum sacri veli ac tonsuræ monasticæ.

3 Refutantur cauillationes Smidelini aduersùs Reuerendiss. Hosium de votis Monasticis.

4 Erasmi testimonium de Lutero, minimè inconstans, vt vult Smidelinus. Erasmo consentit Luterus, qui qualis in episcopos & principes seculares fuerit, declaratur.

5. An ecclesia habeat potestatem condendi leges morum, & statuendi articulos fidei.

6. Exemplis docetur, Ecclesiam habere potestatem condendi leges morū &c. Symbolum quod Apostolicum dicitur, an Apostoli condiderint: & an, si dicatur Apostolos illud condidisse, consequatur, Symboli Articulos à veteribus aut ignoratos, aut non creditos, vt vult aduersarius.

7. An rectè dici possit, Ecclesiam tempore Christi fuisse in ipsis Apostolis.

28 *Refelluntur Argumenta Smidelini in Reuerendiß. Hosium & Bredenbachium contra inuocationem & venerationem Sanctorum.*
29 *An Romanus episcopus sit purpurata meretrix, de qua in Apocalypsi, vt asserunt aduersarij.*
Epilogus.

PETRVS MOKELIVS SLEIDANVS in iustißimum clariß. viri D. Tilmanni Bredenbachij Anthyperaspisten, optimi clarißimiq; patris pietatis ergô.

EN tibi post cineres patrem clarißima proles
Vindicat eximio sacræ pietatis amore.
Scilicet hoc pietas & puræ sanctio mentis
Exigit, vt patrios foueat post funera Mánes
Filius, & vani contemnat murmura vulgi.
Si meritò claros fidei veneramur Achates,
Qoi totum libris orbem excoluêre beatis:
Cur non hæc eadem maneat præconia magni
Matthiæ gnatum, calamo qui sæpiùs vno
Personat Ausoniæ Graiæq; idiomata linguę.
Nunc lepidas inter Charites Parnaßidis vndâ
Ora rigans, nunc ambigui per gramina campi
Ingenium exercens, studijs dum consulit æquis,
Instaurans laceræ veterem pietatis honorem.
Siue graues causas calamo tractare soluto,
Seu volet ad certas arctare poemata leges,
Dexter vtranque tenet iusto moderamine Musam.
Ergò festa dies toto nunc panditur orbe,
Qua patris eximij mánes pietatis amore
Vindicat, ac hostem tota propellit arena,
Arma ferens claro sempèr radiantia Olympo.
Macte ista pietate, leuis nec sibila vulgi
Expendas, Tilmanne, tibi sunt præmia certa.
Gloria perpetuis tibi stat decoranda triumphis.

ANTHY-

ANTHYPERA- SPISTIS PRO VERA COMPO- nendorum Ecclesiæ dissidiorum ratione D. Matthiæ Bredenbachij aduersùs Iacobum Smidelinum,

LIBRI I. CAPVT I.

Procemium continens causam & occasionem scribendi huius operis, & cur aduersùs hæreses scribendum.



EA est Veritatis natura, vt licèt plurimis inimica sit, omnes tamen eam habere cõtendant. Et dum omnes decertant, nemo nõ ex hoc certamine aliquas exuuias reportat. Alij enim falsam Veritatis imaginem, alij præsumptam opinionem veri, alij ipsum Veritatis corpus adipiscuntur. Atque hoc initum semèl inter mortales certamen, in amplissimo hoc rerum humanarum theatro adeò frequẽs est & solenne, vt æstus ille contentionis nunquàm sese remittat. Siquidem in omnibus actionibus, tractatibus, pactis, conuentionibus & negocijs humanis, videre est athletas in hoc certaminis genere decertantes. Qui enim inter mortales fraudibus, dolis, technis & imposturis fratrem in negocio circunuenire moliuntur, falsam imaginem Veritatis habere conantur, eamq; ostentant, vt loco Veritatis præsumptam veri opinionem hauriat ꝓximus. Et cùm alij ad fraudes, alij ad integritatem propẽdeant: alij etiàm seu mobilitate, seu simplicitate animi ducti, fucatam veri speciem amplectãtur: fit vt fraudulenti falsam Veritatis imaginem, mobiles & simplices præsumptam veri opinionem, integri & cordati ipsum Veritatis corpus obtineant.

Veritatis natura.

Videmus illud luculentèr in commercijs humanis & negocijs

ciuilibus: ſed omnium luculentiſſimè in contentionibus & controuerſijs Eccleſiaſticis, in quibus catholica Dei Eccleſia cùm varijs hæreticorum portentis iam indè ab Apoſtolorum temporibus luctata eſt, & noſtra ætate nō ſepticipitem, ſed innumerabilium penè capitum hydram experta eſt. Hæreſis enim, inquit Ambroſius, velut hydra quædam creſcit, & dum ſæpè reciditur, pullulat, igni debito incendioque peritura.

Hęreſis hydrę comparatur.

Amb. lib. 1. de fide Cathol. cap. 4.

Ex huius hydræ ceruicibus ſuppullulauit nupèr quidam Iacob' Smidelinus, qui vt falſa & doloſa veritatis imagine prȩſumptā opinionem veri imperitis & incautis ingerat, & ipſum veritatis corp' Eccleſiæ Catholicæ veritatis colūnæ eripiat, paucis abhinc annis, incertum an dictante Brētio, an ſuopte ingenio, fabricauit Hyperaſpiſten quendam τῶν προλεγομένων Ioannis Brentij, aduersùs librū de componendis diſſidijs Matthiæ Bredenbachij, quem olìm vt pientiſſimum non corpuſculi duntaxàt huius, ſed & animi mei parentem ac formatorem, filiali affectu proſecutus ſum: nunc quoniā fato nimiùm acerbo paucis abhinc annis nobis ereptus eſt, piam eius memoriam qua poſſum veneratione complector. Porrò cùm viri quidam doctrina & pietate præſtantes, euulgato hoc Smidelini Hyperaſpiſte, viderent, venenatiſſimas viperas & aſpides ſub doloſis prȩſtigijs ſimplicibus obtrudi, & iniuriam S. Martyrū, Orthodoxorum Patrum, atque adeò totius Eccleſiæ Catholicȩ ſurda aure ſuſtinere nequirent, quorum om̄ium ſanctiſſima ſcripta, modò vt hominum commenta contemnit, modò impudentiſſima, & plusquàm ſacrilega temeritate (vt ſuo loco planiſſimū faciemus) torquet, truncat, & deprauat hic ſiue conductitius, ſiue perſonatus antagoniſta: ſcriptis literis & viua voce me hortati ſunt, vt ſepoſitis pauliſpèr tranſlationibus & interpretationibus, alijsq; id genus ſtudijs, (in quibus hactenùs pro ingenioli mei tenuitate, & collatæ à Deo gratiæ modulo nonnihil deſudâram) huius Thraſonici hyperaſpiſtis confutationem aggrederer. Diù ſanè, illo qui me iudicaturus eſt, teſte, reluctatus ſum, meæ infirmitatis & Aduerſariorū pertinaciæ conſcius.

Hyperaſpiſtes Smidelini.

Cauſæ ſcribendæ hui' defenſiōis.

Verùm cùm viderem hanc lucubrationem me à cōſuetis ſacrarum literarum ſtudijs non abducturam, putaui tantorum virorum

man-

mandatis, tum etiàm pientissimis optimi parentis manibus, atque adeò vniuersæ Ecclesiæ Catholicæ tantillum obsequij & officij nõ esse denegandum. Nam quod olìm solæ imperatorum sanctiões ab hæredibus impetrârunt, vt famam testatoris sub hæreditatis amittendæ periculo legitima ratione vindicarent, id inprimìs à me impetrare debuit Catholicę veritatis amor, filij in patrem charissimũ pietas, & summa diuinorum eloquiorum, S. Martyrum, Catholicorumq; Doctorũ iniuria. Si referente M. Tullio, ea sempèr causa plurimùm valuit, sempèr ea ratio accusandi fuit honestissima, pro socijs, pro salute prouincię inimicitias suscipere, ad periculum accedere, operam, studium & laborem interponere, putârim sanè defensionem pro optimo charissimoq; parente, pro Ecclesia Dei, pro religione, pro aris deniq; & focis, non solùm summa cum honestate suscipi posse, sed & pietatis iure cogente omninò suscipi debere. Enimuerò sanè si priuatìm duntaxàt à Smidelino læsus esset Bredenbachius, facilè profectò id condonarem illis affectibus, quos omnia pseudeuangelicorum scripta resipiunt, quiq; à Philosophis non insipientibus inter morbos καὶ τὰ πάθη & perturbationes referuntur, quos si in consilium adhibeas, planè incõsultos cõsulueris consiliarios. Verùm quia germanam illam auitam, & verè Catholicam apostolicamq; fidem, pietatem & religiõem, & in his ipsis pientissimam matrẽ Ecclesiam, quæ nos in aqua & spiritu regenerauit Christo, per optimi charissimiq; parentis latus sauciari videbam: perfidiam fore putaui, non patientiam, vno vnius maleferiati impetu matricidium simul & parricidium tentatum non prohibere, non pro qualibuscunq; viriculis, quas Deus Opt. Max. dedit, auertere: oppugnatam Veritatem à sycophantę morsu non vindicare.

L. 1. c. de his quibus vt indignis &c. & ibi Doct.

In Diuinat. in Verrem.

Pseudoeuãgelicorum scripta affectibus scatent.

Et quanuìs metuendum nobis sit, nè Smidelini (vt plerunque omnium hæreticorum) vulnus sit insanabile, qui sciens, prudens, immò imprudens & vęcors, plusquàm Sathanico ausu & scripturas sacras & Sanctorum Patrum eloquia manifesta impietate torqueat, corrumpat & adulteret (lubens hîc vanitatis notam sustinebo, amice lector, nisì temporis filia veritas iamiam producẽda, suo irrefragabili testimonio turpissimas scelestissimasq; calumnias &

Cur aduersùs hæreses scribẽdum.

deprauationes non vno aliquo, sed propemodùm infinitis in locis detexerit, accusauerit, damnauerit) laborandum nihilominùs duximus vel propter illos, quorũ simplicitati calumniarum pseudologiarumq; vicinitas sic insidiatur, sic scabiem suam illis affricare conatur, vt contemni à nobis nullo modo debeat aut possit.

August. epi. 167. ad Festum.

Hoc consilio si D. Augustinus contra Donatistas & Circuncelliones sibi dimicandũ existimauit, nostra quoq; tenuitas tanti pugilis vestigijs, in tam sacra palæstra non detrectabit insistere. Itaq; iam nõ ęquis lectoribus modò iudicare, sed tibi quoq; Smideline reputare promptum est, quot & quàm iustis rationibus coactus, in hoc certamen descẽdam, si modò certamen dici meretur, lenis & modesta pressæ veritatis releuatio, simplexq; & moderata meæ aduersùs calumniosas tuas criminationes innocentiæ defensio. Meã innocentiam dico, cui tanquàm filio cum charissimo parente vnã personam Leges & Iura Cęsarea decernunt, quîcum omnia mihi & natura & studijs & conuictu ità coniuncta fuerunt, vt quicquid dictum fuerit in illum, in me lubens recipiã. Iam verò quem animum in causa hac aduersùm te suscipiẽda sempèr habui, eum ipsa quoquè actione testari atque approbare studebo: Faciam enim vt omnes intelligant, me non causæ modò iustitia & synceritate, sed & conscientię rectitudine, cordis integritate, styliq; & sermõis modestia & candore, multò superiorem. Verumenimuerò si conuicijs & oratione atroci & inhumana, quam Σκυθῶν ῥῆσιν non immeritò appellârunt Græcorum filij, bellum mihi tecum suscipiendum foret, non inuitus herbam cum corolla tibi porrexero: declarâsti enim te non solùm inter Cares βαρβαροφώνους, sed omnes in vniuersum αἰσχρολόγους καὶ λογομάχους, inter calumniatores & cõuiciatores (nè quid acerbius dicam) principem tenere locum, & ad ipsum maledicentię fastigium prorepsisse. Luterum pręceptorem tuum sempèr excipio, qui ità in hac palæstra excelluit, vt tibi pręripuerit, nè maledicorum esses primus: tu vicissìm effecisti, nè ille solus esset conuiciator. Et quanuìs perpetuus ille cõuiciorum calumniarumq; fluor alijs sinistram de te opinionem suppeditet, vt eodem carbone te cum scurris, sannionibus, maledicis & conuiciosis rabulis notatum habeant: ego tamen Smidelinum existimo hominem

nem esse Euangelicum, verùm studio & vsu calumniandi, Christianam modestiam, (quam in nobis notam & exploratam esse omnibus hominibus vult Apostolus) Euangelicasq; virtutes ei non venisse in mentem. Si in hoc elaboras, vt hac ratione à tuis in delicijs habeare, non puto defuturos, qui te decentèr togatum inter μωροσόφους καὶ γελωτοποιούς admittãt. Sin tibi ipsi volupè est hoc pacto lusitare, censebo quidem te ludere, sed quemadmodùm solent pueri, ranas lapidibus impetentes, vt inquit ille, Ludunt pueri, sed ranę istę seriò moriuntur. Philip. 4.

Cæterùm tam furiosis conuicijs ludere, famam hominis tibi ignoti labefactare, doctrinã Ecclesię Catholicę, qua nobis & omnibus pijs nihil antiquius, nihil sacratius esse debet, fraudibus, technis, imposturis, mẽdacijs, & falsis ac destinata malitia corruptis testimonijs vulgo deridẽdam propinare, an hoc est hominis Euãgelici? an non potiùs spurcissimi tenebrionis, Corybantici furoris contagio affecti, aut in Lapitharum symposijs enutriti? Si in re vulgari & profana eiusmodi lusum tibi permitteres Smideline, tamen homines cordati indignum te iudicarent grauis viri appellatione. Nunc quid minùs decebat eum, qui se pastorem Goppingensem, & sacrosancti Euangelij præconem profitetur? Appello tuam cõscientiam Smideline, tam serium, tam sanctum, tam arduum negocium, quod vos moliri iactatis, talibus facetijs, technis & imposturis peragendum censes? Liceat hîc mihi pace tua referre magni illius Bataui de vestro instituto sententiam:

Si ex animo iudicatis esse pium quod tractatis, inquit, vtiquè cupitis vniuersos homines eodèm pellicere. At quo pacto valeatis optimum quenq; magìs alienare? Sin persuasum quidem habetis Dei esse negocium, non hominum, & tamen reclamante cõscientia istis fucis hoc agitis, quo sitis multitudine incolumes, vt homines fallatis omnes: non veremini Deum, cuius vindictã nullus potest effugere? Si ille maledictus dicitur, qui opus Dei facit negligenter: quantò est execrabilior, qui facit fraudulentèr? Christus gloriam crucis non passus est tribui humanę sapientię: & illi volunt eam asscribere talibus pręstigijs? Quòd si rem ludicram creditis, & aliud agitis sub Euangelij titulo, quem tandèm speratis fore exitum

Erasmus in Epist. in pseudoeuãgelic.

Iere. 48.

tum istius Tragœdię? Quem, nisì cruentum & infelicissimum? Hęc ille de vobis pronunciauit.

An autem rectè pronunciârit, mores vestri docent: fallax & insidiosa doctrina, dolis & falsis testimonijs fucata, demonstrat: pij & cordati intelligunt, vniuersus Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ Senatus iudicauit. Si Ethnicus ille Orator, sola naturæ scintilla p̄lucente, vidit & agnouit, in virum bonum non cadere sui emolumenti causa mentiri: necessè est, te hominem esse non bonum, qui nobis & vniuerso orbi eiusmodi concatenata mendacia, velut purum putum verbum Dei, & infallibilem veritatē obtrudere moliaris. Vis videri δημωφελὴς, & publicæ salutis vnicè studiosus? At quo pacto? Sola duntaxàt oratione. At virtus eiusmodi in actione consistit. Actionis autem & studiorum tuorum successus declarāt ijs te accersendum, de quibus M. Tullius: Sūt qui cùm populi nō solùm commoda, vetùm etiàm salutem oppugnent & impediant, oratiōe assequi volunt, vt populares esse videantur. C. Gracchus cū largitiones maximas fecisset, & effudisset ærarium, verbis defendebat ærariū. Vt procacitate linguæ, vitæ sordes nō eluūtur, Smideline, ità non ex singulis vocibus spectandi sunt philosophi, inquit idem alibì, sed ex perpetuitate atq; constantia, resq; spectari oportet, non verba. Epicurus personam duntaxàt philosophi induebat, sibiq; hoc ipse nomen inscribebat, cùm non multùm differret à iudicio ferarum, præsertìm cùm omne malum dolore, bonum voluptate definiret. Vestro gregi plausibilem Euangelij titulum primus inscripsit Luterus, tuo quidem testimonio vir sanctissimus, aliorū verò Epicuri gregalis. An autē mores cum professione conueniant, an verò titulus sit ψευδεπίγραφος, affingatque suæ synagogæ Luterus, quod eidem non conuenit, alij præclaris voluminibus extra omnem aleam posuerunt: nos itidèm breui hac lucubratione planum faciemus, si vlli Neochristianorum Euangelij titulus conuenire debeat, neutiquàm tamen in Smidelinum cadere posse: nisì fortè tale nobis Euangelium produxerit, quod veritatem damnet, technas, calumnias & mendacia commendet.

Cicero 3. Offi. 9. In virū bonum nō cadit sui emolumēti causa mentiri.

3. Tusculа. Quæst.

Cicero cōtra Salust.

5. Tuscul.

Cùm hanc ad te responsiōem meditarer, Smideline, apud Belgas in Academia Louaniensi degebam. Intereà cùm aliò vocarer, fa-

facilè mea mihi persuasit patientia, vt quæ meditatus eram, paterer delitescere, donèc cōmodiùs his vacare possem. Iam tu mihi Smideline considera, quorsùm euaserit vestra doctrina, quid moliantur vestri discipuli, quàm verum sit quod ait Apostolus, Sermo illorum velut cancer serpit. Expende quid iam tot annis senserit Gallia, quanto cum terrore non cleri duntaxàt, sed populi vniuersi nunc tumultuentur Belgæ. Rapinę, vastatiōes, seditiosissimæ rebelliones, coniurationes, principumq; & legitimi Magistratûs cōtemptus, sacrilegæ templorum basilicarumq; direptiones, & omne flagitij genus, Euangelij prætextu designare non erubescūt, adeò vt in prouincijs & ciuitatibus hactenùs florentissimis, religiosissimis & optimè constitutis, nunc terribilis quædam formido, omīs legitimæ ciuilisq; politiæ dissipatio, in Ecclesijs horrenda miserādaque desolationis abominatio conspiciatur. Expende, inquam, mihi, ex qua radice hæc proueniant, quis ad hanc defectionē primus classicum cecinerit, quis ante quadraginta annos huic tāto incēdio fomenta ministrauerit. Dices more tuo, hanc esse fallaciam accidentis: accidere enim doctrinæ vestræ, vt homines seditiosi ea ad libidinem & licentiam abutantur. Certè siue per fallaciam accidat hoc doctrinæ vestræ, an secùs, ego non disputo: illud constat, & verè & iustè vobis hanc discipulorum vestrorum perfidiam euenire, vt qui defectione schismatica peccâstis, eadem nunc affligamini. Sic necessum est euenire, vt vbì semèl à veritate recessum est, errorum dissidiorumq; fluctus ac procellæ magìs ac magis inundent, cuius inundatiōis violentia quotidiè eò inualescit, vt Caluinianismus, Anabaptismus, Atheismus, immò cæcus præcepsque & sathanicus furor, nec sacris nec profanis parcat. Quid enim vrbium opibus, rerumpublicarum ærarijs, Principū fiscis, mercatorū scrinijs, priuatorum peculio parcant, qui in ipsa Dei Opt. Max. delubra, in ipsa adyta, totq; seculis loca reuerentèr culta, prophanis & plus quàm sacrilegis ausibus furiosissimè inuolant, diripiunt, lacerant, demoliuntur? Itaq; vides iam, quorsùm euadat vestri Euāgelij catastrophe, an vtilitatem publicam promoueatis, an non verè dixerit Sapiens: Fauus distillās labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius: Nouissima autē illius amara quasi absynthium, & lin-

gua

2. Tit. 2.

Pro. 5.

gua eius acuta quasi gladius biceps, vagi sunt gressus eius & inuestigabiles.

CAP. II.

Progreditur author ad defensionem, declarans quàm falsò dicat Smidelinus, deploratum esse in castris Catholicorũ, eoq́; sacrificos ad Bredenbachij patrocinium confugisse, obijciunturq́; ei plurimi scriptores nostræ ætatis, quibus nihil responderunt aduersarij. Producitur etiàm Brentius, qui in cõcilio Tridentino sæpiùs à Patribus compellatus, vt doctrinæ suæ rationẽ redderet, obmutuit. Deindè obitèr refertur, quomodò fiat, quòd viri doctißimi quandoquè in hæreses prolabantur.

Bredenba. in hyperaspiste cõtra Pileum.

HAec breuitèr simpliciterque præfati, ipsius Bredenbachij verbis hanc pugnam inchoabimus, & auspice, duce ac propugnatore Christo, pro cuius gloria domoq́; dimicatio hæc, non tam aduersùs hominem, quàm aduersùs crudelissimum teterrimumq́; tyrannum diabolum, qui tales homines aduersùs Deum & Ecclesiam eius excitat atq; instigat, suscipitur, in medium prodeo: nec tamen hoc animo, vt atroces illas iniurias ab homine, nullo vnquàm verbo à Bredenbachio læso, sed sua ipsius malitia excæcato, ideoq; magìs deplorãdo quàm feriendo, illatas vindicẽ: sed vt veritatem & iustitiam aduersùs iniquissimas calũnias, pro gloria Dei & publica Ecclesiæ pace defendam. Illa verò iacula, quæ Smidelinus per illud longum & fastu plenum rhapsodiæ suæ præludium, inter prodeundum ad pugnam eminùs in Bredẽbachium iaculatur, in aëra prouolare sinam, donèc vltrò in terram décidant: qualia sunt, quòd titulus operi minimè respondeat, quòd in toto libello nulla sit veræ doctrinæ explicatio, quòd vndiquè horrendæ blasphemię in Deum & Ecclesiam, quòd veras dissidiorum causas prorsùs non attingat, & quòd nullam ordinis rationem obseruet. Huiusmodi iaculis dum suas instruit

ſtruit & educit copias, ad pugnã præludit, atq; dum præludere ſolùm ad pugnam vult videri, nihilo ſeciùs ipſo caſtello, hoc eſt, libello, quem oppugnare inſtituit, paululùm prætermiſſo, protinùs in ipſum Bredébachium velut caſtelli præfectum, venenatam arũdinem, ex apertis calumnijs ac dolo peſſimo fabricatam, violentèr dirigit, ſperans ilicò bellum confectum, & paratam fore victoriam, ſi ipſum caſtelli præſidiarium ducem hoc ſuo telo proſternere & confodere poſſit. Fingit enim deſperatum & conclamatũ in Papiſtarum caſtris, eoq; ſacrificos ad Grammaticorũ præſidia cõfugere. Tandèm ventum eſſe ad Bredébachium, qui oblatum precariò laborem non potuerit aut voluerit declinare, ſcilicet vt gratiam aliquam rependeret illis, (inquit Smidelinus) quorum fauore & ope, vt fama eſt, filijs ſuis opima contigêre ſacerdotia.

Hæc tam inſigni calumnia Bredenbachium adoritur, quem ſi hoc tam doloſo & venenato iaculo non planè proſtratum iri ſperauit, tamen obtento & perſuaſo lectoribus tam impudenti mendacio, velut collem quendam caſtris ſuis faciendis mirè opportunum ſe adeptum putauit, ex quo vniuerſas ſycophantiarum copias in Bredébachij caſtellum commodiſſimè produceret. Multùm enim referre ex Rhetorum ſcholis didicit, quam Iudices de perſona dicentis opinionem concipiant.

Sed quàm impudentem hîc agat calumniatorem Smidelinus, q velut triceps Cerberus, trigeminas calumnias vno rictu nimìs impudentèr exhalat, nemini obſcurum eſſe poteſt, qui vel aliquid Iudicij habeat, & Bredenbachij libellum vel ſyncerè perlegerit, vel alioquì ipſius, filiorumq; ſtatum aliqua ex parte perſpectum habuerit. Nec minùs falſum eſt, quòd deſperatum & conclamatum ait in Papiſtarum caſtris: quàm multos enim generoſos & inuictos athletas habeat Catholica Dei Eccleſia, quorum ad præclara & ingentia volumina ne γρῦ quidem adhuc reſponſum eſt à Proteſtantibus, nemo vel mediocritèr harum rerum peritus ignorat. Quid enim ſolidum veſtra factio reſpondit ad Roffenſes, Fabros, Eckios, Cochlęos, Hoſios, Lindanos, Staphylos, Gropperos, Ruardos, Latomos, Caniſios, Heſſelios, Slottanos?

Quid Theologi veſtri Tridentum miſſi, Concilij Patribus reſpon-

sponderunt, cùm eos sæpè amicè atq; beneuolè, ad disputationem & reddendam doctrinæ suæ rationem prouocâssent? Nullam profectò vocem ab ijs extorquere potuerunt. Testis est Brẽtius tuus, qui Tridentnm ingressus, amicissimè exceptus, rogatus etiàm sæpissimè, vt suam mentem patribus explicaret, vt sententiam diceret, in disputationis arenam per multos menses prouocatus, ex loquacissimo versus in Harpocratem, suæ causæ Pythagorico silentio consulendum putauit. Siluit, quousq; accepit Mauritium cum exercitu numeroso Oenipontum venisse, & quo tempore Concilij Patres, illius aduentu perturbati, nulla iam alia de re, quàm de fuga cogitabant, tum demùm veluti ex aliquo gurgustio prodiẽs acerrimus ille causæ vestræ propugnator, se audiri postulauit, cùm audiri non potuit. Neq; tamen eo consilio petebat dari sibi locum dicendi, vt violatæ à se & dissipatæ religionis rationem redderet: sed vt interìm patres ab hostibus intercepti, furentibus Mauritij gladijs obijcerentur. Hæc ità esse scribit disertissimus vir Petrus Fontidoneus Theologus in Oratione contra Fabricium Montanum pro S. Concilio Tridentino.

Brentius in Cõcilio rogat⁹, vt doctrinæ suæ rationem redderet, siluit.

Quid nunc referam de alijs infinitis propemodùm nostræ ætatis nõ ineruditis, nec instrenuis Theologis, qui & stylo & viua voce vestras præstigias luculentissimè detexerunt & solidissimè cõfutârunt? vt nõ parùm multi summam illam vestram & inauditam pertinaciam summo cum stupore admirentur. Et minùs quidem mirãdum est, imperitum & mobile vulgus, (quod ferè instàr arundinis, cuiusuis doctrinæ vento ἄγεται καὶ φέρεται) tum etiàm populariter literatos his erroribus dementari: cæterùm in studijs liberalium disciplinarum nõ infelicitèr versatos, nec mediocribus ingenijs præditos, tam absurdis & iam olìm damnatis, palamque improbis sectis sese dédere, id est profectò, ad quod non paucos vidi obstupescere: ac tametsi quo ad ipsum populum, hanc rationem adferat Moses, Quia, inquit, tentat vos Dominus Deus vester, vt palàm fiat, vtrùm diligatis eum an nõ in toto corde & in tota anima vestra: ad ipsos verò eruditos quòd attinet, causam non puto subesse aliam, quàm quòd omnium nouatorum ingenijs innatam videamus superbiam, fastũ & φιλαυτίαν, qua inflati, dum in oculis suis

Cur viri eruditi qñq; in hæreses labâtur.

Deut.13.

ſuis pulchrè ſapientes ſibi videntur, ſtulti fiunt, & obſcuratur cor inſipiens eorum, reprobumq́; in ſenſum traduntur, vt velata facie veritatem nec velint, nec poſſint agnoſcere. Abſcondit enim Deus veram ſuî ſuorumq́; myſteriorum cognitionem à ſapientibus, & reuelat paruulis. Nec ſolùm abſcondit, ſed & iuſto ſuo iudicio homines faſtu & ſuperbia plenos indurari patitur, vt demonſtratã ab alijs veritatem non ſuſcipiant, immò aſpernentur & reijciant, ipſosq́; docentes, ſannis, ludibrijs & rhonchis explodant. Rom. 1. Matt. 11.

Didicerunt hoc noſtræ ætatis hæretici à magiſtro ſuo Lutero, qui (vt refert Naogeorgus) multos Theologiæ myſtas cõtempſit ac dimiſit abſq; reſponſo: Magnanimus enim erat, inquit, ſimulq́; iucundus, atq; hilaris ingenij, nihilq́; curabat huiuſmodi culicum atque cimicum morſus. Verùm monetæ iſtius improbos libros iubebat in cœna ſibi prælegi, vt riſûs materiam haberet. Hæc Lycãbæus ille poëtaſter de ſuo Lutero, cuius veſtigijs quàm probè inſiſtant eius diſcipuli, noſtro hoc ſeculo abundè perſpeximus, & adhuc quotidiè perſpicimus. Quorundam Catholicorum Theologorum præclara & ingentia volumina penitùs diſſimularũt ſectarum coryphei, videlicet nè ſi ſe illis opponant, mutua vtrorunque collatione populo innoteſcant Catholici, & agnoſcantur pręſtigię hæreticæ. Aliorum verò ſcripta cùm itidèm ſolidis rationibus impugnare nequeant, reſcriptis pontificijs falsò & mendacitèr fabricatis eludunt: alios paſquillis, carminibus & libellis famoſis, turpiſſimè ludificantur. Quàm minimè hîc mentiar, totus mundus teſtabitur. Eccè Smideline, talibus artibus, dolis & impoſturis, nè dicam improbis mendacijs, olìm Cæſareis legibus rotis & ferro ſeuerè vindicatis, veſtram illam, ſi dijs placet, Euangelicam doctrinã quomodolibèt aſſerere & fucare conamini. Quod ſi à me falſo dictum probare velis, vel vni duntaxàt Catholicorum (vt cæterorũ confutationem tibi remittam) conſtantèr & ſolidè reſponde, non autem (vt hactenùs conſueuiſti) dicterijs, ſcommatibus, conuicijs, & paſquillis, quæ moriõum improbiſſimorumq́; nebulonum ſunt propria, eos proſcinde & ludificare. Si dicas te reſpondiſſe Hoſio, ſanè ex ea tua reſponſione, ſi ludibria, riſus, ineptiſſimęq́; nugę reſecentur, parùm aut nihil ſolidæ reſponſionis remanebit. Sed du- Thom. Naog. in lib. de compo. diſſ. Contigit D. Groppero Card. deſign.

ram illam legem, fortaſsè arbitraberis tibi, quem Staphylus & Latomus hactenùs, & Academia Ingolſtadiana etiamnùm inſignitèr & egregiè fatigat, quorum iugo ferendo tuos illos, quantunuis Vulcanios, humeros nondùm pares eſſe magno tuorum dolore & συμπαθείᾳ conſpicimus.

Cap. 3.

Quàm ineptè repellat Bredenbachium Smidelinus à ſtudio Theologico, quòd ſit coniugatus, cùm ipſe cum omnibus ſymmyſtis ſuis ſit coniugatus. Multos deindè coniugatos tam in primitiua quàm noſtra Eccleſia de rebus ſacris quid conſcripſiſſe. Ineptè prætereà D. Barth. Latomum Rhetorem, Bredenbachiũ verò Grammaticum vocari à Smidelino, cùm ipſe nec Rhetorem, nec Grammaticum ſe eſſe declaret.

Smidelinus Bredenbachium arcet à ſacrarũ literarũ tractatione, ꝙ ſit coniugatus.

IAm & alterum telum quod huic præmiſit, ſi conſideremus, videbit pius lector, quàm abſurdus & immemor ſuî ſit Smidelinus, dum Bredenbachium arcet ab hoc tam ſacro ſtudio, quòd nõ in cælibatu, ſed matrimonio ſit conſtitutus. Quæro hîc ex te Smideline, quo in vitæ genere te vnà cum toto veſtrorum Theologorum ſacerdotumq; grege conſtitutum exiſtimes? Hîc ſcio velles te Polypum agere poſſe, & matrimonium cælibatu aliquantiſpèr cõmutare, nè in hanc, quam ipſe tibi tuiſq; ſtruxiſti, decipulam, tam turpitèr impingeres. Reſpondebis, in matrimonio. Si igitur, iuxta Paulum, quem tu hîc adduxiſti, vxori alligatus, ea quæ mundi, & non quæ Domini ſunt, curat: qua fronte vobis tantum ocium, tantam perſpicaciam, tantum de ſcripturis iudicium vẽdicatis, quo ſolos vos omnium cornicum oculos configere videmini, dum nouis paradoxis orbem vniuerſum concutitis, eoſq; omnes qui prioribus ſeculis Catholicæ fidei obſeruantes vixerunt, aut etiamnũ hodiè viuunt, erroris & inſcitiæ damnatis? Quis eſt in matrimonio conſtitutus, ſi vos non eſtis, quibus Luterus permiſit, vt recuſante vxore (ſit honos caſtis auribus) aduocetur ancilla? Quis autem cõtro-

Smidelinus ipſe cũ omnibus ſuis ſymmyſtis coniugatus.

trouersiarum difficilimarum de fide & religione nō solùm explicatiōem, sed etiàm dijudicatiōem cōfidentiùs suscipit, quàm vos? Eccè Smideline, in quæ præcipitia te cæca & vesana illa calumniādi temeritas impellat. Illud quoq; ex te quæro, quid est quod cauilleris in professionem Bredenbachij. Cur minùs illi scribendo, quàm voce, docere permittis? Si tot annis vtriusq; testamenti scripturas, nullo repræhendēte, explicuit, & præclara volumina in easdem conscripsit, tu nunc repentè velut censorius Cato in eum animaduertes? fortaſsìs veteris illius erga humaniores literas odij scintillæ tuo in pectore etiamnùm hærent, qua maiores vestri Philippus & Carolstadius, Vuittenbergensibus scholasticis persuaserunt, vt combustis humaniorum literarum libris, sibi quisq; cōueniens aliquod opificium Mechanicum assumeret, quòd Paulus vetet inanē Philosophiam sectari, & à Mose scriptum sit, vt homines vescantur in sudore vultûs sui pane suo. Vndè Carolstadius in ꝓxima quadam villa agri Vuittembergensis factus est agricola, cædensq́; ligna, Vuittembergam vehebat, ibidemq́; distrahebat: vini quoq; & ceruisiæ tabernam exercebat, vt de eo scribit Erasmus Alberus, Philippus verò in pistrino pinsendi artem meditabatur. Sed ad Bredenbachium reuertamur: demus ipsum nihil vnquàm anteà sacrarnm literarum professum, vtrùm studia professionibus metienda sunt, an potiùs per se ipsa ęstimanda? Vtrùm titulis, an ipso ꝓfectu ponderanda? Appellitas eum contempto (vt arbitraris) vocabulo Grammaticum, Latomum autem Rhetorē, cùm tu nec Grammaticum, nec Rhetorem te esse demonstres. Neq; enim vel prima Grāmatices rudimēta calles, qui in Prisciani & Donati regulas tam turpitèr impingis: Sicut filij huius seculi, inquis aduersùs Hosium, sunt prudentiores filijs lucis, ità & seduliores. Vbì hanc didicisti Grammaticam? vt cæteris omissis taceam, quotiès hæc vocabula, Aliquis & Quidam, turpissima grāmatices ignoratiōe cōfundas. Disce Grammaticam, ac tunc demùm insultes Grammatico, fortaſsìs plus Theologicarum literarum habenti in recessu, quàm petasatus ille præco Goppingensis. Sed nec Rhetoris appellationem mereris, quum Rhetor (quem eundem hîc dico cum Oratore) sit

Nota cæcā calumniādi libidinem in Smidelino.

Odium erga humaniores literas in Luteranis.

Carolstadius factus agricola.

In lib. cōtra execrabilē doctrinam Carolstad.

Philippus Melanc. fit pistor.

pag. 87. li. 3.

vir bonus dicendi peritus, definiente Cicerone. Tu nec virum te esse bonum, nec dicendi peritum declarâsti. Vir bonus nõ tam improbè mentitur, nec calumnias machinatur. Dicendi peritus, non impingit in formulas Grammaticorum.

Etiàm laici religionem scripto affecuerunt.

Sed fortassè nouum putas, virum non sacerdotem, nec Theologum ex professo creatum, Theologiæ studiosum esse, & sacris de rebus quid conscribere? Sed erras toto cælo Smideline. Scripsit in Ecclesia primitiua Iustinus philosophus, qui nullo sacerdotio functus legitur, præclara volumina, quibus fidem Christianam contra Gentiles tutatus est. Scripsit & Apollonius vrbis Romæ senator. Scripsit Minutius Causidicus quidam Romæ. Scripserunt & alij multi, quos enumerat Hierony. lib. de viris Illust. Nostra ętãte Picus Mirandulę Comes, & diligens ille Ciceronis imitator Christophorns Longolius, pluresq; alij.

Smidelinus à calumnijs exorsus, demonstrat quid in sequentibus ab ipso expectare debeamus.

Vides igitur iam hoc tuum ad sequentem pugnam pręludium, ex meris calumnijs & mendacijs fabricatũ: quod cùm ità sit, haud obscurè demonstras, quid in sequẽtibus à te expectare debeamus, qui tam validos & cornutos calumniarum & sycophantiarũ Achilles ex rei militaris & Rhetorices pręceptis in prima acie constitueris. Perge itaq; iam, si placet, Smideline, & tuum istud tam fœcundum concute pectus, vt tandèm vniuersę tuorum paradoxorum & sarcasmorum cohortes, velut ex equo Troiano turmatìm prosiliant.

Cap. 4.

Criminatur aduersarius Bredenbachium, quòd apologũ suo libello inseruérit: rursùm demonstratur, apologos non in profanis duntaxàt, sed sacris etiàm literis esse vsitatissimos, atq; adeò ipsum Brentium, quem defendendum suscepit, sua prolegomena à fabula inchoâsse.

PRogreditur nũc Smidelinus ex vmbratili pugnę suę præludio, ad ipsum agonem, ad quem pari festiuitate animo plùs quàm gladiatorio se proripit. Atq; in primis non vno in loco salsè Bredẽbachium ludificaris Smideline, quòd

veſtris,immò diaboli per hæreticos organa ſua impoſturis detegendis,apologum adhibuerit aptiorem,veſtraſq́; pręſtigias paulò manifeſtiùs demonſtrantem,quàm vobis placeat.Porrò vt Bredẽbachius Eccleſiaſticorum vitia in hoc Apologo non diſſimulat,ità & ſuam tuorumq́; vocem Smideline admodùm graphicè depingit, vt accommodatior Apologus haud facilè inueniri queat. Hanc autem tuam tuorumq́; nõ minùs doloſam quàm blandam vocem, tu more tuo vix fortè attingis,& intereà qualemcunque anſam nactus,immenſam penè teterrimarum criminationũ conuiciorumq́; molem in pontifices,Epiſcopos & ſacerdotes petulantiſſimè ꝓfundis.Sed quia tam nequitèr te tuoſq́; ſymmyſtas è ſcena ſubducis, neceſſum eſt,vt ego te tua clypeata manica arreptum,in theatrum producam.

Apologus à Bredẽbach. adductus, fuit accommodatiſſimus.

Cùm hircum & agnum ſimul paſcentes è ſuo latibulo proſpiceret lupus,& hircum reformidaret,dolis rem agere inſtituit,aggrediturq́; agnum his verbis: O tu infelix,quis te tam tenerum, atq; tot naturæ ingenijq́; tui gratijs,tam amabilem te coniunxit iſti deformi,teterrimoq́; hirco? Quin tu iſto tali hîc in ſylua relicto,redis domum,ad matrem, quę tu iamdudùm dulci lacte diſtẽto vbere expectat?At ille memor mandati materni,reſpondet lupo: Mater mea,ô lupe,huic me commendauit:huic meĩ ſeruãdi curam iniunxit.Mihi verò præcepit,nè vel tãtillùm ab eo diſcedam. Matris præcepto melius eſt me obtemperare,quàm ſubdolis tuis blanditijs fidem habere.Intelligo quid tu captes, nimirùm vt me ab hoc meo cuſtode abductum,tuo iſto rapaci rictu cõphenſum & ſanguinarijs dentibus diſcerptum deuores.

Verba Apologi.

Vtinàm,viri fratres,nos omnes ad illius agni exemplum ſaperemus, inquit Bredenbachius. Nam prorsùs ad eundem modum ſanguinarius ille lupus,aduerſarius noſter diabolus nobis inſidiatur,omnes dolos ſuos,omnes artes,quibus mille ad nocẽdum inſtructus eſt,ad hoc expedit,vt nos à paſtoribus noſtris, quibus à Deo patre noſtro & matre Eccleſia,cura noſtrĩ eſt commendata, abducat,& in ſuam poteſtatem pellectos,ſua illa inexplebili voracitate deglutiat.Ad hoc,iuxta rationem nominis ſui, Calumniarũ genus nullum omittit,omnia paſtorum dicta factaq́; obſeruans,vt

Diabolus calumniat.

ſi

ſi quid inueniat quod reprehendere queat, quemadmodùm lupus ille grauitatem odoris & pilorũ horrorẽ in hirco, id tãta cum atrocitate exaggeret atq; amplificet, plurima interìm admentiendo, (ab initio enim mendax eſt, atq; ipſius mendacij pater) vt imprudentibus facilè perſuadeat, vt à talibus deficientes, ſe ſuosq́ue pſeudoprophetas, quibus ad hoc abutitur, ſequantur. Neque verò ſingulis duntaxàt agnis de Chriſti ouili ſic inſidiatur, ſed gregibus vniuerſis, & præcipuè ducibus gregum arietibus. Hos quibuſdam artibus, inſidijs ac dolis captat, ſic enim circunueniendos eſſe nouit. Nam alioquì ſi deprehendant inſidias, ſtatìm in inſidiantẽ cõuerſi, cornu feriunt & ipſi. Hactenùs Bredenbachius.

Ex quibus elucet, Apologum, quantunuìs pro argumenti grauitate feſtiuum, appoſitiſſimè tamen ac feliciſſimè præſenti negocio accommodatum. Atq; vt quorundam Eccleſiaſticorum vitam & mores æquo ſordidiores, per hircum denotat: (Om̃es enim epiſcopos & ſacerdotes, tales eſſe quales vult Smidelinus, etiãſi rumpatur, nunquàm probauerit) ità per doloſas & fraudulentas lupi blanditias, diabolum eiusq́; pſeudoprophetas hæreticos perquàm graphicè & abſolutè effigiat: id quod ex ipſorum ſcriptis & quotidianis concionibus liquet, in quibus paſsim inſtàr lupi huius vlulant, & in põtifices & epiſcopos adusq; auditorum nauſeam plenis buccis deſtomachantur. Vides iam, Smideline, & vel inuitus iam olìm proculdubiò vidiſti, nec ineptè, nec inſcitè hunc Apologum à Bredenbachio adductum. Quid igitur eſt, quòd maledicus ille animi tui Satyrus, hoc nomine tam petulãtèr in illum inſurgit? An dolet Aeſopum hominem tam monſtroſum, veſtras præſtigias iam olìm quodammodò præuidiſſe, & tam exactè depinxiſſe? An verò putas nouum & ineptum, Apologos rebus grauibus & ſacris admiſceri, idq́ue Bredenbachium nouo & ſinè exemplo facere? Hoc ſi putas, vt certè putare videris, admodùm te ſtupidum, & profanarum ſacrarumq́; literarum (quas tibi tantoperè vendicas) imperitiſſimum declaras. Nam vt notum Menenij Agrippæ apud Romanos exemplum prætermittam, & Themiſtoclis, qui Athenienſibus perſuaſit, nè nouarent magiſtratus, fabulã de vulpe muſcis obſita: infinitos penè etiàm in ipſis Dei oraculis, in prophetarum conci-

onibus

onibus Apologos adſperſos legimus, eô quòd per eiuſmodi vela- Scriptura
menta, Sacræ illæ ac diuinæ teſſellæ veluti aurata gemmataque κει- ſacra frequẽ
μήλια, per tranſennam aut ſuccina iucundiſſimè pelluceant. Hu- tèr vtitur Apologis.
mana facta vel dicta, inquit Auguſtinus, irrationalibus animanti-
bus & rebus ſenſu carentibus homines addiderunt, vt eiuſmodi Aug. cōtra
fictis narrationibus ſed veracibus ſignificationibus, quod vellent Mendac.
commendatiùs intimarent. Eiuſmodi facetiſſimorũ etiàm Apolo- cap. 13.
gorum vnum aut alterum (ſi fortè, vt appáret, non legeris) in tuam gratiam paucis recenſebo.

In libro Iudicum, Cap. 9. Ioathan cùm ſeptuaginta fratres ſuos per Abimelech tyrannicè imperium ſibi vſurpantem occiſos, vindicare inſtitueret, hoc Apologo ſuam orationem exorſus eſt. Iẽrunt ligna vt vngerent ſuper ſe regem: Dixeruntq; oliuæ: Impera nobis. Quæ reſpondit: Nunquìd poſſum deſerere pinguedinẽ meam, qua & dij vtuntur & homines, & venire vt inter ligna promouear? Dixeruntq; ligna ad arborem ficũ: Veni, & ſuper nos regnũ accipe. Quæ reſpondit eis: Nunquìd poſſum deſerere dulcedinem meam, fructusq; ſuauiſſimos inter cætera ligna, & ire vt promouear? Locutaq; ſunt ligna ad vitẽ: Veni, & impera nobis. Quæ reſpõdit eis: Nunquìd poſſum deſerere vinum meum quod lætificat Deum & homines, & inter cętera ligna prououeri? Dixeruntq; omnia ligna ad rhamnum: Veni, & impera ſuper nos. Quæ reſpondit eis: Si verè me regem vobis conſtituitis, venite & ſub vmbra mea requieſcite: ſin autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros Libani. & cætera quæ ibì ſequuntur. Qui Apologus quàm non infelicitèr ceſſerit Ioathan, ſequentium verborum cõtextus declarat. Similem Apologum habes 2. Paral. 25. & paſsìm in ſcripturis. Eas iam Smideline, & Bredenbachiũ fabulatorem appellites. eadem enim ratione & Deum ipſum & prophetas fabulatores dixeris, quod & blaſphemum & impium fuerit. Quid quòd & ipſe Brentius tuus ea ipſa prolegomena ſua, quæ tu defendenda ſuſcipis, à fabula exordiitur? Adeò te tranſuerſum agit calumniandi libido, vt quod Brentio vſitatum eſt, idipſum in Bredenbachio crimineris.

Cap. 5.

Refutatur aduersarius, docens in Pastore requiri necessariò vitam probatã cum sana doctrina, ad hoc vt oues ei teneantur obedire.

PErgit iam Smidelinus occasione ab Apologo desumpta, & explicare cõtendit, num à Christo, inquit, siue à Matre Ecclesia eius sponsa, filij sint commendati curæ & custodiæ hirci, à cuius latere vtcunquè fœtidi non liceat recedere, nisi in lupi rapacissimi dentes sanguinarios peruenire velint.

Principiò, inquit, negare non possumus, & pastorem ouibus, & oues pastori deuinctas, certis tamen legibus. Sicut scriptura prohibet pastores nè dominentur in clerum Domini, ità oues cùm pastores suum officium non fecerint, ad suum ius redeant. Quod vt rudiores intelligant, altiùs repetendum erit. In pastore ouium Dominicarum, hoc est, Ecclesiæ ministro, duo requiruntur, sana doctrina, & innocens inculpataq; vita, vt quod exhortando monet, exemplo persuadeat, vt doctrina sit sana & syncera. Hactenùs Smidelinus, quibus aliquot scripturæ testimõia subiũgit, ijsdemq; probat sanam doctrinam in omni pastore necessariam.

His enarratis, ad alterum membrum progreditur, scilicet vitã innocentem, citatq; Paulum ad Tim. 3. & ad Tit. 1. & pauca alia, do-
1. Timo. 3. cens pastores debere esse formam gregis, ad quam reliqui suos mo
1. Pet. 5. res componant. His iam subijcit, inquiens: Cùm igitur qui Ecclesijs præficiuntur, sanam adferunt doctrinam, consentienté doctrinæ propheticæ & Apostolicæ, & eam quoq; honesta conuersatio-
Heb. 13. ne ornant, hi sunt de quibus Apostolus ad Hebræos scribit, Obedite pposítis vestris, & subiecti estote eis &c. Magna me hercle Smidelinus in explicandis scripturis vtitur παῤῥησίᾳ, qui suam sententiam nullis solidis argumentis fultam, iam audactèr pronunciat. Sed vt Iureconsulti sinè lege, ità Theologi sinè certis scripturarum patrumq; orthodoxorum testimonijs loqui erubescunt. Vndè autem habes, Paulum ibidèm de illis tantùm pastoribus & præpositis loqui, qui vita simul & doctrina doceãt? Nam hoc te velle, se-

ſequentia declarant. Audio te citare Apoſtolum, ſed Hieronymus docet, ſcripturas non in legendo, ſed in intelligendo cõſiſtere. Vndè autem huius ſcripturæ verum intellectum petemus? à te Smideline, an à priſcis ſanctisq; Eccleſiæ doctoribus? Equidem puto à doctoribus illis orthodoxis, totiusq; orbis iudicio & cõſenſu iam olìm receptis, petendum. Illis enim, vtpotè Apoſtolorum temporibus maximè vicinis, & ſanctimonia conſpicuis, non poteſt obedientia & auditio, vel ipſo Smidelino teſte, ſinè crimine denegari: vult ſiquidem Apoſtolum præcipere, illis duntaxàt præpoſitis obediendum, qui & ſana doctrina, & vitę exemplo doceant. Ignoſcet igitur nobis, ſi eius expoſitione poſtpoſita, D. Chryſoſt. & Theophylacti interpretationes præferamus. Horũ enim doctrina & ſanctimonia publicè vniuerſi orbis calculo probata & recepta eſt. Smidelini verò placita, quia à communi veterum omniũ ſententia lógè lateq; recedunt, prorsùs repudianda & exibilanda veniunt. Hieron. aduersùs Luciferianos

De ſanctimonia verò & integritate vitæ eius, altum eſt adhuc apud omnes ſilentium. Sequamur igitur hac in parte Smidelini ſententiam, & præpoſitos vita & doctrina incorruptos audiamus. Ex his primum conſtituamus D. Ioannem Chryſoſtomum, qui homilia 24. in cap. 13. ad Hebręos, Apoſtolicam hanc paræneſin, hunc in modum nobis interpretatur. Quomodò (inquit D. Chryſoſtomus) dicit Paulus, Obedite præpoſitìs veſtris & obſecundate? Quibus prępoſitis obediendum.

Quid ergò dum prępoſitus malignus extiterit, nũ obediemus? Quomodò malum dicis? ſi quidem eſt in cauſa fidei, fuge illum & euita, non ſolùm ſi homo fuerit, ſed etiamſi angelus de cælo deſcenderit. Si verò in vitæ moribus malignum dicis, noli curioſus eſſe: & hæc non ex meipſo dico, ſed ex ſcriptura diuina: Audi enim Chriſtum, dicentem: Super Cathedram Moiſis ſederunt ſcribæ & phariſęi. Et primò cùm commemorâſſet de his multa mala, tunc dixit: Sederunt ſuper Cathedram Moiſis. Omnia, inquit, quę dixerint vobis, facite: quę autem fecerint, facere nolite. Habent, inquit, dignitatem, licèt vitæ ſint perditę: veruntamen non ad vitam eorum, ſed ad ſermones intendite. Quantùm enim ad mores attinet, nullus poterit lædi. qua ratiõe hoc? quia quæ facit, manifeſta ſunt omĩbus. Et neque ipſe, etiamſi ad cacumen iniquitatis perueniat, poterit Matt. 23.

terit alios mala docere. Cùm autem fidei causa vertitur, neq; manifestum est omnibus quod dicitur, neq; malignus dubitauit docere contraria: nam quod dictum est, Nolite iudicare, nè iudicemini: de vita dictum est, nō de fide. Quod enim infertur, hoc manifestat. Quid enim vides, inquit, stipulam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Omnia ergò quæ vobis dixerint, inquit, vt faciatis, facite: facere autem, operis est, non fidei. Secundùm autem opera eorum nolite facere. Intueris quoniam non de dogmatibus, sed de vita & operibus sermo est? Hæc in hunc Apostoli locum Diuus Ioannes Chrysost. quæ omnia bona fide asscribere visum est, vt videat Smidelinus, quàm apertè à mendacio stet, & contra veritatem pugnet.

Matt. 7.

Matt. 23.

Iam & Theophylacti explicationem itidèm asscribere non grauabimur, si fortè illum sibi seruare, Ecclesiæ reconciliare, Christo autem lucrifacere queamus. Obedite præpositis vestris. Hoc loco, inquit Theophylactus, de episcopis disserit. Nam cùm priùs eos sic inquiens collaudâsset fideles & dignos quos imitentur, & eis vt vitæ magistris intenderent, Obedite, adiecit. Num igitur erit omni principi obtemperandum? Ità quidem, vel si nequior sit ille & improbus, modò nè fidem obturbet, vel hanc vt deseras cogat. In cęteris verò nequitiam exercenti parendum censuerim. Ait nanque: Quæcunq; dixerint vobis vt faciatis, facite: secundùm illorū opera nolite facere. &c. Quod igitur nunc subdit Smidelinus, si fuerit vita scelerata & professione indigna, non audiendos pastores: id q̄ rectè asserat, iam euidentèr docuimus: à moribus enim ad doctrinam argumentum non valet, vt docet Augustinus contra Donatistas & de vnitate Ecclesiæ. Et tractatu 5. in Ioānem August. Non exhorreat, inquit, columba ministerium malorum, sed respiciat voluntatem Domini: Quid tibi facit minister malus, vbi bonus est Dominus? Quid te impedit malitiosus præco, vbì beneuolus est iudex? Et cōtra Cresconium Grammaticum: Per ministros dispares Dei munus est æquale, quia non illorum, sed eius est. Et contra Donatistas: Dicitur mihi, Ergò hæreticus dimittit peccata? Sic & ego vrgeo. Ergò qui cælestia mandata non seruat auarus, raptor, fœnerator, verbis, non factis, seculo renuncians, dimittit peccata?

Theoph. in cap. 13. ad Heb.

lib. 3. cap. 8.

lib. 4. cap. 4.

Si

Si per vim ſacramenti Dei,ſicut & iſte,ità & ille.Si per vitæ meritũ, nec ille,nec iſte. Ex his iam eluceſcit, ineptè allegare Smidelinum illud ad Theſſal.Denunciamus vobis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti,vt ſubtrahatis vos ab omni fratre,qui inordinatè ambulat,ſi à fratre,inquit Smidelinus,multò magìs à paſtore. Eo enim loci à malorum conſortio deterret Apoſtolus, iuxta illud Sapientis:Fili,ſi te lactauerint peccatores,nè acquieſcas:& illud regij Pſalmiſtæ, Cum peruerſo peruertéris. loquiturque Apoſtolus,non de doctoribus,ſed de plebeijs, quod in hunc locum Ambroſ.nõ obſcurè ſubindicat:Quoniam in omni plebe non omnes obediẽtes ſunt verbo doctrinæ,non legis, ſed ſuum placitum & cõſilium ſequentes,propter hoc declinandum ab his,præcepit,vt agnoſcãt ſemetipſos errare.Hæc Ambroſ. Nam alioqui ſi indiſtinctè Paulus nos ab omni hominis inordinatè ambulante voluiſſet ſubtrahere, eſſet illi D.Petrus contrarius,qui præcepit ſeruis, Obedite Dominis etiàm dyſcolis:Falſa igitur eſt Smidelini comparatio,ſi à fratre, multò magìs à paſtore: quod abundè nunc demonſtratum eſt, & pluribus demonſtrari poſſet. Videatur epiſtola pientiſſimi illius pontificis Nicolai primi, qui floruit ante annos ſeptingentos ſub Ludouico 2. Germanorũ Imperatore IIII. Legimus, inquit, inter cætera, quòd Dauid percuſſit cor ſuum,eô quòd oram chlamydis Saulis abſcidiſſet &c. Sic inquit,faciunt piæ ſubditorum mentes,ſi quandò contra prælatos ſuos, vix ſeſe pro infirmitate ſua continere valentes,leuia quædam loquuntur,eorum manifeſta mala tenuitèr mordentes,vtiq; ad ſemetipſos redeunt, ſeſe vehementiſſimè vel de tenuiſſima verbi laceratione repræhendunt.facta quippe præpoſitorum,oris gladio ferienda non ſunt &c.

2. Theſſ. 3.
Pro. 1.
Pſal. 17.
Ambroſ.
1.Pet. 2.
Vide diſt. 32.c.ad hoc verô
1.Re.24.

Videatur D.Bernardus, etiàm ab ipſo Lutero in teſtem receptus,ſermone 66.ſuper Cãtica:Iam verò,inquit, qui Eccleſiam nõ agnoſcunt, non eſt mirum ſi ordinibus Eccleſiæ detrahunt, ſi inſtituta non recipiunt,ſi ſacramenta contemnunt,ſi mandatis non obediunt. Peccatores, inquiunt, ſunt Apoſtolici, Archiepiſcopi, Epiſcopi. Presbyteri,ac per hoc nec dandis, nec accipiendis idonei ſacramentis. Nunquàm verò iſta duo conuenient, epiſcopum eſſe,at peccatorem?falſum eſt. Epiſcopus erat Caiphas, & tamen

quantus peccator, qui in Dominum, mortis dicebat sententiam?
Matt.26. Si negas Episcopum, arguet te testimonium Ioannis, qui eum in
testimonium sui pontificatûs etiàm prophetâsse refert, Apostolus
Iohan.11. erat Iudas,& licèt auarus & sceleratus,electus à Domino. An tu de
illius Apostolatu dubitas,quem Dominus elegit? Nónne ego,inquit, vos duodecim elegi,& vnus ex vobis diabolus est? Audis eúdem
Ioan. 6. electum Apostolum,& extitisse diabolum: & negas posse esse
Episcopum,qui peccator est? Super Cathedram Moisis sederunt
scribæ & Pharisæi, & qui non obediêrunt eis tanquàm episcopis,
Matt.23. inobedientiæ rei fuerunt,etiàm in ipsum Dominum, præcipiétem
& dicentem: Quæ dicunt,facite. Patet, quanuìs scribæ,quanuìs
Pharisæi,quanuìs videlicet maximi peccatores, propter Cathedrã
Luc.10. tamen Moisis,ad eos quoq; nihilominùs pertinere quod idem dixit: Qui vos audit,me audit:& qui vos spernit,me spernit. Hactenùs D.Bernardus.

Eas nunc Smideline,& tuos tuorumq; lynceos oculos iactites, qui ante annos quadraginta, Pontificum,episcoporum & sacerdotum impietatem primi conspexeritis,(nam huc spectat salsus ille tuus apologus de asino leonis exuuijs laruato,& nunc primùm per
Apoc.12. prominentes fortè auriculas deprehenso.) cùm sempèr habuerit malignus ille Zabulus,accusator fratrum,& iuxta nominis sui ἔτυμον calumniator,certa quædam organa, quæ aduersùs legitimam potestatem à Deo ordinatam ad rebellionem instigaret, quod ex Cypriani,Chrysostómi,Augustini,Bernardi, aliorumq; Patrũ lucubrationibus euidentèr elucet. Eorundẽ rebellium vos non primi satores,sed pestilentissima estis genimina, qui tantò illis prioribus patribus vestris impotentiùs in legitimam potestatem insurgitis, quãtò maior est hodiè, illius tenebrarum principis potestas. Nec rationes auditis,quia his apud parùm sobrios nihil proficitur: nec scripturas,nisì deprauatas, recipitis, qa γνήσιοι germaniq; Christiani non estis: nec Ecclesiam agnoscitis, quia pacifici non estis. Rectissimè igitur vos & patres vestros eodem in sermone D.Ber-
Serm. 66. sup.Cant. nardus depinxit. Quantùm ad istos, inquit, nec ratióibus conuincuntur,quia non intelligunt: nec authoritatibus corriguntur,quia non recipiunt: nec flectuntur suasionibus,quia subuersi sunt: probatum

batum eſt:mori magìs eligunt,quàm conuerti.Horum finis interitus,horum nouiſſima incendium manet. Quid igitur ô Bernarde ſupereſt remedij illis tam deploratis perduellionibus, qui nec rationibus,nec authoritatibus,nec ſuaſionibus flecti aut corrigi ſuſtinent?Reſpõdet Bernardus: Meliùs proculdubiò gladio coercerentur,illius videlicet, qui non ſinè cauſa gladium portat, quàm in ſuum errorem multos traijcere permittãtur.Dei enim miniſter Rom.13.
ille eſt,vindex in iram ei qui malè agit. Vides,Smideline, quò nos tuæ tam improbæ deducant ſycophantiæ? ſcilicet tot iam tãta doctrina & vitæ ſanctimonia conſpicui doctores, teſtes omni exceptione maiores, te tam irrefutabilibus teſtimonijs reum peregerunt,tam iuſto & irretractabili iudicio damnârunt, tanta conſtantia & ſeueritate crucem tibi parârunt,ad quam nè à lictoribus, aut (quod horribilius eſt)à ſæuiſſimis illis animarum tortoribus præter opinionem abripiaris, candidè & fraternè te moneo, vt à dogmatibus illis nimiùm extrauagantibus & abſurdis, & pertinaci illorum defendendorum ſtudio maturè ac tempori reſipiſcas, priuſquàm in illud barathrum præcipiteris, vndè poſteà nunquàm fuerit ſpes emergendi. Quod vt faciliùs à te impetrem, (ſi modò impetrari poſſit) pergam hanc tuam telam tam infelicitèr,nè dicam improbè & blaſphemè contextam, eo modo quo exorſus ſum,retexere ac diſſoluere, idque ea ſynceritate,fide & luculentia, vt vel agnito tuo errore,Chriſtum & Eccleſiam,atq; in his ipſam veritatem nobiſcum ſis recepturus, vel reclamante iudicio & conſciẽtia tua,ſpreta & abiecta veritate, in pertinacia & rebellione tua ſciens prudenſq; perduraturus.

Cap. 6.

Explicantur canones prima fronte diſſoni, an liceat audire Miſſam ſacerdotis concubinarij.

ASſeruiſti ſuprà in vero paſtore & præpoſito,cui obediẽtia iuxta Apoſtolum debeatur,requiri doctrinam ſanam Heb.13.
& vitam inculpatam.Hoc κρινόμενον iam fidelitèr & luculentèr tractauim⁹,tuaq; interpretatiõe nonnihil poſt-

poſita,

posita, veram germanamque Apostoli sententiam illuc, vndè peti debebat, produximus, Pergis iam Smideline, & vt tuam expositionem imperitis persuadeas, hoc assumentum annectis:

Nec id nouum (vt subtrahamus nos à fratre, multo magìs à pastore inordinatè ambulante) aut inauditum in auribus huius Grãmatici, quum & ipsi pontificij suis canonibus arceant plebem, ab audiendis Missis, si à concubinario sacerdote celebrentur.

Vt nusquàm non sibi similis est Smidelinus in citandis testimonijs, vt imperitorum adstipulationem eliciat, quod vt manifestum fiat, rem paulò altiùs repetemus. Ante annos septingentos & vltra, Nicolaus I. Nicolaus eius nominis primus pontifex, (cuius & suprà meminimus) consultus à Bulgaris, an à sacerdote in adulterio depræhenso, vel sola duntaxàt fama de crimine insimulato, communio esset recipienda, Augustini & Patrum secutus doctrinam: Respõdemus, inquit, non potest aliquis quantumcunq; pollutus sit, Sacramenta diuina polluere, quæ purgatoria cunctarum contagionum existũt. Qualiscunq; enim sacerdos sit, quæ sancta sunt, coinquinari non possunt: idcircò ab eo, quousq; iudicio episcoporum reprobetur, communio percipienda est: quoniam mali bona administrando, se tantùm lædunt: fax accensa sibi detrimentum pręstat, alijs verò lumen in tenebris administrat: & vndè alijs lumen exhibet, indè sibi detrimentum præbet, &c.

Cõcubinarij sacerdotis Missa an & quatenùs sit audiẽda. 15.q.8. cap. fin.

32. dist. cap. nullus.

Idem tamen pontifex Nicolaus aliud etiàm decretum rescripsit: Nullus, inquit, audiat Missam presbyteri, quem scit cõcubinam indubitantèr habere. In quam sentẽtiam Alexander secũdus quoq; respondit: Causam horum Canonum in sequenti libro refert Vrbanus secundus: nimirùm vt peccandi licentiam cæteris sacerdotibus auferrent, & huiusmodi fornicarios ad dignæ pœnitentiæ lamenta reuocarent. & in fine capitis: Prohibentur ergò, inquit, de manibus talium sacerdotum sacramenta suscipi: non quòd non sint vera, quãtùm ad formam & effectum: sed quia dum huiusmodi sacerdotes à populo se contemptos viderint, rubore verecundię faciliùs reuocentur ad pœnitentiam. Igitur Lucius tertius Pontifex canonem finalem Nicolai primi 15.q.8. cum canon. Nullus, qui est eiusdem Nicolai, & cum Canone, Præter hoc, qui est Alexandri

Eadem dist. C. pter hoc

secundi,

secundi,32.dist.non improbabilitèr nec inscitè conciliat,in C. Vestra,de cohabitatione Clericorum & mulierum: Vestra duxit deuotio inquirendum. & inf. Alicubì dicitur,Nullus audiat Missam sacerdotis,quem scit indubitantèr concubinam habere: alibì verò legitur,Non potest aliquis,quantumcunq; pollutus fuerit, diuina polluere Sacramenta, quæ purgatoria cunctarum contagionum existunt. Qualiscunq; enim sacerdos sit, quæ sunt sancta, coinquinari non possunt.Sumite ergò ab omi sacerdote Christi mysteria,quia omnia in fide purgantur.Cæterùm aliud est crimē notorium,aliud occultum. Notorium definitur, de quo presbyter Canonicè condemnatur:Occultum, quod ab Ecclesia toleratur. Cæterùm aliud est, quandò crimen notoriū non diffitetur presbyter,vel de ipso est canonicè condemnatus : Aliud, quādò est penè occultum, quod ab Ecclesia toleratur. Item aliud est,à talium officijs abstinere,vt peccandi licentia cæteris auferatur,& hùiusmodi ad pœnitentiæ fructum trahantur:atq; aliud, si talium tanquàm in fornicatione iacentiū mysteria respuantur.Sinè dubitatione itaq; teneatis, quòd à clericis & presbyteris, quanquàm fornicarijs, quandiù tolerantur, nec habent operis euidentiam, licitè diuina mysteria audiantur,& alia recipiantur Sacramenta:Atque in hanc sententiam anno salutis 1415.in Concilio Constantiensi contra errores Ioannis Vuicleff & Ioannis Hufs(quibus hîc Smidelinus,vt in multis etiàm alijs,consentire videtur) statutum est,vt nemo deincèps à communione alicuius in Sacramentorum administratione vel receptione, aut alijs quibuscunque diuinis tam internis q̃ externis,prætextu cuiuscunque sententiæ aut censuræ Ecclesiasticæ à iure vel ab homine generalitèr promulgatæ teneatur abstinere, vel quemcunq; vitare,nisì in quem sententia vel censura huiusmodi fuerit à iudice publicata & promulgata speciatìm & expressè,& excepto casu iniectionis manuum in clericum adeò manifestę,vt nulla possit tergiuersatione celari &c. Huic pulchrè cōuenit, quod refert D.Augustinus in sermōe 50.quinquaginta homiliarum: Nos communione prohibere quenquam nō possumus, nisì aut spontè confessum,aut in aliquo siue seculari siue Ecclesiastico iudicio nominatum atque conuictum.Et idem Augustinus

cap. 2 de fide & operibus, exponit: Nominātur, hoc est, noti famosiq; sunt: hos vitare oportet, non quia peccatores sunt, sed quia p Ecclesiæ sententiam prohibita est communio. Malorum enim peccata non coinquinant quenquam, nisì illis consentiat & faueat, inquit idem ad Donatist. epist. 166. Hæc in gratiam candidi Lectoris aliquantò exactiùs & fusiùs hîc recensenda fuerunt, vt quæ vel per ignorantiam nesciuit vel dolosè subticuit Smidelinus, notiora reddantur, manifestumq; euadat, hoc ex veteribus canonibus desumptum assumētum, non solùm nō patrocinari Smidelino, verùm etiàm ex diametro aduersari.

Cap. 7.

Smidelinus vult pastorum doctrinam examinandam exēplo ciuium Berrhœensium in Actis Apostolicis: confutatur, quia Luterus suam doctrinam voluit ab hominibus, & angelis, & à Deo ipso habere iniudicatam: Deindè, quia Melanchthon voluit Ecclesiam veterē cōsuli in examine doctrinæ, non verò solam sacram scripturam, vt vult aduersarius.

QVod iam sequitur, filios matris Ecclesiæ non ad personas, sed ad verbū Domini alligatos esse, videbimus suo loco quousq; verbum Domini porrigatur. Quòd autē ais, limitata est ergò eorum authoritas: quatenùs verbum Dei adferunt, assentiendum est. Id quod videre est etiàm in Apostolis, de quibus minimè dubium est, eorum doctrinam ex spiritu Christi profectam, sicut & D. Petrus de prophetis pronunciat: Non enim voluntate humana allata est aliquandò prophetia, sed spiritusancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. (2. Pet. 1.) Cùm Paulus Berrhœæ annunciaret Euangelium, dignus erat cui fidem haberent, & quia Apostolus, & quia in tertium cælum raptus. Verùm eius loci homines, inquit Lucas, qui verbum Domini cum auiditate susceperunt, quotidiè scrutati sunt scripturas, si hæc ità se haberent. Quorum diligentia non offendit D. Apostolum, qui sibi non alia ratione assentiendum docuit, quàm si doctrinam suam ex prophetarum scriptis comprobaret. Quāto verò magis

Smidelinus vult pasto-

gis opùs est diligentia in examinanda eorum doctrina, quorũ mores hircinos esse fatetur Grammaticus noster? &c.

ris doctrinã examinãdã.

Vtinàm, Smideline, hoc discipulus magistro tuo Lutero persuadere potuisses. Admodùm erat opùs, doctrinam eius examinari, tum quia noua erat, & iam olìm (eô quòd veteres hæreses ante multa secula damnatas resuscitaret) condemnata, tum quia author neq; miraculis & signis (quæ vel ipso teste, in noua doctrina recipienda requiruntur) fidem faciebat, neq; vitæ sanctimonia & integritate satis commendabatur, qui tanto æstu, tamque impotenti affectu in libidinem ferebatur, vt effractis monasterij claustris, abiecto habitu, excusso pudore, violato voto, sacris profanisque legibus spretis, contemptis & conuulsis, contra conscientiæ dictamen ad incestas, adulterinas, damnatas, eoq; nouas id temporis & penè mõstrosas nuptias proruere t. Talis magistri & doctoris noua & inaudita paradoxa, summè & vnicè necessum erat ad Lydium verbi Dei lapidem probari & examinari: factumq; est, probata & examinata sunt ab vniuersa Ecclesia, ab excellẽtibus doctrina & pietate viris Theologis, deniq; ab illis iudicibus, quos summ⁹ ille harmostes Ecclesiæ suæ pastores & doctores præfecit: & cognita sunt adulterina, improba, hæretica, blasphema, eoq; vniuersæ Ecclesiæ Catholicæ vnanimi censura & iudicio damnata. Quod cùm Luterus animaduerteret, iactauit se velutì cælitùs missum prophetam, cuius doctrina sinè omni contradictiõe & examine, necessariò esset suscipienda omni salutem desideranti: voluitq; suam doctrinam non solùm ab hominibus, sed etiàm ab angelis, immò & à Deo ipso iniudicatam habere. scribit enim se suæ doctrinæ nullum ferre iudicem, neq; hominem, neq; angelum, adeò vt etiàm si ipse Deus de hac iudicare incipiat, tunc se dicturum illud non esse iudiciũ, sed tentationem quandam, quali olìm tentâsse legitur patriarcham Iacob. Qualis autem, quàm proteruus, quàm arrogans, quàm fastuosus, impius & blasphemus ille fuerit spiritus, qui hoc Lutero suggessit, tibi iam Smideline expendendum relinquo, qui commẽdas primores Thessalonicensium, quòd quotidiè scrutabãtur scripturas, an Apostolorum Pauli & Silæ sermo ità haberet. Et nè putes illud fortè per imprudentiam excidisse Lutero, (quanuìs neq; hoc

Luteri doctrinam admodùm necessum erat examinari.

Cõtra Thomam Muncerum.

Ephe. 4.

Luter⁹ nullum suę doctrinæ iudicem sustinuit.

prætextu satìs posset excusari)alia duo loca proferemus planè huic similia:Prior est in prologo libri,quẽ inscripsit aduersùs falsò nominatum Ecclesiasticorum statum Papæ & Episcoporum: His, inquit,certiores vos facio,me decæterò vobis non ampliùs eum honorem exhibiturum esse, vt me submitterem vel vobis, vel etiàm vlli angelo de cælo,ad iudicandum aut examinandum doctrinam meam.Nam stultæ humilitati satisfactum est iam tertiò Vormatiæ, & tamẽ nihil prodest. Sed volo audiri,& iuxta doctrinam S.Petri, doctrinę meę rationem ac fundamentum ostẽdere coram vniuerso mundo, eamq́; habere iniudicatam à quolibet,etiàm à cunctis angelis.Cùm enim de ea certus sum,volo per eam & vester, & angelorum(vt Paulus ait)iudex esse,vt quisq; doctrinam meam non acceptauerit,saluari nõ possit. Alter locus est cõtra Henricũ VIII. Angliæ regem:Ego verò,inquit,aduersùs dicta patrum,hominum, Angelorum,dęmonum pono non antiquum vsum, nõ multitudinem hominum.sed vnius maiestatis ęternę verbum, Euangelium quod ipsimet coguntur probare.Hîc sto,hîc sedeo, hîc maneo,hîc glorior,hîc triũpho,hîc insulto papistis, Thomistis, Hẽricistis, Sophistis & omnibus portis inferi,nedùm dictis hominum,quantùlibèt sanctorũ, & cõsuetudini fallaci.Dei verbũ est super om̃ia,diuina maiestas mecum facit,vt nihil curem, si mille Augustini, mille Cypriani,mille Ecclesiæ Henricianæ contra me starent. Deus errare & fallere non potest. Augustinus & Cyprianus, sicut omnes electi,errare potuerunt,& errauerunt.

Eccè hæc sunt tui Luteri,viri,tuo iudicio,sanctissimi & innocẽtissimi verba.Quis vnquàm audiuit vllum hominem superbiùs aut insolentiùs loqui?Se solum putat habere Dei verbum, solum sibi præsentem Deum,adeò vt ipse solus errare nõ possit,cæteris om̃ibus,quantunuìs sanctis & electis,errantibus.Et in eodem lib.Nos non sumus Papæ,sed Papa noster est:nostrum est, non iudicari ab ipso,sed ipsum iudicare.Spiritualis em̃ à nemine iudicatur, & ipse iudicat omnes:quia verum est,Omnia vestra, etiàm papa.

Vides iam Smideline,cuius & qualis doctoris doctrinam tuo iudicio sanctissimi & innocentissimi,nobis & vniuerso orbi coneris obtrudere,quem tu hîc ipse tuis verbis tam apertè refellis & confutas:

futas: nec solùm tu, sed & Philippus in lib. de cœna DOMINI contra Anabaptistas: Meo, inquit, iudicio magna est temeritas, dogmata serere non consulta Ecclesia veteri. Et in epistola quadã, anno quẽ vltimum vitæ habuit, scripta: Scio, inquit, carnificinam non solùm sæuam, sed etiàm perniciosam, esse dubitationẽ. Existimo autẽ ad confirmandas mentes, consensum vetustatis plurimùm conducere. Et alibì: Sententia diuini verbi, consensu Catholicæ Ecclesiæ perspicua est & illustrata. Plura id genus adducerem, nisì vitarem prolixitatem.

Ad Ioannẽ Cratonem medicum Vratislauiensem.

De causis recusatæ synodi.

Quis igitur sperauerit hostes Ecclesiæ, eidem reconciliari posso, qui inter se instàr Lapitharum iam pertinacitèr digladiantur, nisì quòd in ꝑscribenda Ecclesia vos nónihil videamus συγχρητίζειν? Quis non videat, quàm rectè Caluinus, quãtunuìs iuratus ecclesiæ antidicus, vos & vestrum Luterum depinxerit, dum vobis furiosum impetum, nugatoriam leuitatem, cæcam temulentiam, caninam improbitatem, diabolicam superbiam tribuit? Et in Luterũ quidem quàm verè hæc competant, ipsius & vestra scripta modò relata declarant. In vobis etiàm quàm nihil horum desideretur, ꝑter alias satìs apodeicticas demonstrationes, eadem etiàm vestra scripta non obscurè coarguunt, qui dum vestris sententijs Luteri temeritatem, fastum & pertinaciam euidẽtèr (vt nunc docuimus) refellitis, virum tamen sanctissimum & innocentissimum prædicatis, qui Euangelium tot seculis occultatum, ex angulis & latebris reproduxerit. Vbì tua mens, Smideline? vbĩ tua frõs? vbì illa Theologica & pastoralis grauitas? vbì dictorum} factorumq; constantia, quæ in vnoquoq; homine, nedùm in Euangelico præcone, requiritur?

In vlt. admonit. ad Ioachimũ Vuestphal. edita anno 1557.

Cap. 8.

Profertur genuina sententia loci Actorum 17. an ciues Berrhœenses hoc pacto scrutati sint scripturas, quasi de doctrina Pauli dubitauerint.

HActenùs tuum illud placitum, ex Act. 17. cap. productum, tolerauimus, nè vllam occasionem prætermitteremus tuos tam absurdos & plusquàm phanaticos errores tibi demõstrandi, vt vel

agnitis illis tam deformibus & monſtroſis portentis, ad Eccleſiæ Catholicæ(quæ baſis eſt & firmamentum veritatis) gremium redeas,vel diſcas mendacem memorem eſſe oportere.Nunc ſupereſt,vt idem illud placitum tuum,ad veritatis normam paulò penſiculatiùs examinemus.

Cùm,inquis,Paulus Berrhœæ annunciaret Euãgelium, dignus erat cui fidem haberent:& quia Apoſtolus,& quia in tertium cælum raptus. Verùm eius lòci homines,inquit Lucas,qui verbũ Domini cum auiditate ſuſceperunt,quotidiè ſcrutati ſunt ſcripturas, ſi hæc ità ſe haberent.

Quæ hæc eſt impudentia?Quorsùm hæc Smideline?Scribitur in Actis,quod nobiliores eorum qui Theſſalonicæ fuerunt, ſuſceperunt verbum,ſcrutantes ſcripturas,ſi hæc ità ſe haberẽt. Quid hoc facit ad rem,de qua nunc agitur?Num ideò ſibi de doctrina Apoſtolorum iudicandi poteſtatem arrogauerunt, quia ſcrutati ſunt ſcripturas?Quàm ſæpè autem accidit,vt ſermonem alicuius ex verbi miniſtris excipiat aliquis, & loca ſcripturarum ſi quæ per eum adferuntur,inſpiciat,num ideò ſe iudicem illius doctrinæ conſtituit?Nemo prohibet,Smideline,quo minùs vel tu,vel quicunque tandèm alius velit,ſcripturas ſcrutemini:Sed ſi fortè interpreteris alitèr,quàm vniuerſa Eccleſia, omniumq; veterum patrum ſenatus eas intelligit,an propterea penès te erit poteſtas damnandi Eccleſiæ interpretationem?Id verò neutiq̃ ferendum putamus.Quin illud eſſe Chriſtianæ modeſtiæ,fraternęq; charitatis exiſtimamus, vt ſe potiùs aliquis propter ingenij tarditatem,pleraq; non aſſecutum credat,quàm vt cunctis ſeſe anteponat,& à ſe ſolo proceſſiſſe,aut ad ſe ſolum perueniſſe Dei verbum,perſuaſum habeat.Hãc eſſe Euangeliſtę ſententiam, Oecumenius apertè teſtatur: Hi, inquit,non tanq̃ increduli indagabant ſiue ſcrutabantur ſcripturas, (iam enim crediderant) ſed tanq̃ ignari traditionis veterum Prophetarum,& propterea fide robuſtiores effecti ſunt, quum ſcrutarentur ſcripturas,& inuenirent veterum ſermonibus conſona eſſe opera diſpẽſationis Domini in carne.Cui concordat paraphraſtes Eraſmus, quomodocunq; tu de illo ſentias.Accedit ꝙ Euangeliſta ibidèm loquitur de primoribus Berrhœenſium, non verò de

Oecumen. in cap.17. Act. Apoſt.

de infima vulgi plebe. Si autem tua hæc tam præpostera interpretatio vera esset, vt quilibet scripturas debeat scrutari, & suopte ingenio interpretationem fabricare, censuramq; & iudicium de illis proferre: rursùs, vt hactenùs fecisti, à te ipso dissideres, qui paulò antè citâsti illud Malachiæ: Labia sacerdotis custodiunt sciētiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est: posteà autem rursùs non vnumquenq; de plebe, sed principes, controuersiæ iudices statuis, vt nusquàm non prominentes auriculæ prodant Midam. Smidelinus hîc nihil aliud molitur, quàm vt sub doloso verbi Dei prætextu, nunc principibus, nūc promiscuæ multitudini persuadeat sacrarum literarum scrutationem, Canonumq; & Decretorum, Traditionumq; Ecclesiasticarum examinationem, ac dijudicationem, cùm sciat, neq; hoc ad ipsos pertinere, neq; si demus aliquo modo pertinere, illos per arduas consultationes & quotidianas, quibus principes implicantur, occupationes, hos per domestica negocia & iudicium imbecillius præstare posse. Neque enim spiritus vni alicui priuato in dirimendis controuersijs, sed toti Ecclesiæ promissus est, vtcunq; tu illud exibiles, & scripturarum interpretatio, singulare donum fuit in Ecclesia primitiua, quod tibi Smideline meritò os debuisset obstruere, qui nusq̃ non ad scripturam prouocas. Comparat enim Apostolus Ecclesiā corpori humano, in quo multa sunt membra diuersum actum habentia, volensq; docere, vnumquenque in ea vocatione qua vocatur, sic manere debere, nec ἀλλοτριοεπισκοπεῖν, ait, si totum corpus oculus, vbì auditus? si totum auditus, vbì odoratus? Quòd si omia essent vnum membrum, vbì corpus? Hoc est, vbì aliquam corporis Christi, quæ est Ecclesia, formam aut faciem cōspiceres, si vniuersum corpus vnum esset membrum, quod iam in vestris Ecclesijs videmus, vbì neq; caput, neq; aures, neq; manus, neq; pedes, sed vniuersa corporis moles reliquis omnibus membris trunca & mutila, non iam vnum aliquem aut binos, sed ꝓpemodùm infinitos oculos exhibet, quemadmodùm de Argo refertur. Atq; hinc iam suppullulat illa discors confusio, & confusa discordia, qua oculi vestri dum alios parùm prospicere & cæcutire, se autem lynceos autumant, à se inuicèm dissident, & in mutuam perniciem conspirāt, quod

Mal. 2.

1. Cor. 12.

quod nec tu Smideline hîc dissimulare potes, vbì de vestrorū discordia refers, & vniuersus orbis conspicit. In Ecclesia verò Catholica sempèr viguit atq; etiamnùm viget, quod nunc apud Apostolum sequitur: Nunc autem, multa quidem membra, vnum autem corpus. Et quosdam quidē posuit Deus in Ecclesia, primùm apostolos, secundò prophetas, tertiò doctores, deindè virtutes &c. gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Nunquìd omnes Apostoli? Nunquìd omnes prophetæ? Nunquìd omēs doctores? Nunquìd omnes linguis loquuntur? Nunquìd omnes interpretantur? Atq; in hunc Apostoli locum omnes veteres docent, non esse cuiusuis scrutari scripturas, aut de earum sentētia definire. Hinc enim fit, vt tu & tuî similes, tam improbè, sacrilegè, & blasphemè eas contrectent. Quin & magìs socordem & stupidū facis Deum quouis populari patrefamiliâs: hic enim sua inter domesticos munia partitur ac distribuit, alium Oeconomiæ, alium thesauris, alium grammatophylacijs pręficiens. Tu autem ità loqueris, quasi putes Deum neq; vidisse, neq; videre, quàm necessarium sit, in magna illa sua domo Ecclesia non omnes interpretari, non omnes gubernare, non omnes esse pastores & doctores? O impietatem plusquàm ethnicam: O impudentem blasphemiam, & blasphemam impudentiam. In quem rectiùs competit illud, quod tu huic tam impio & absurdo paradoxo nunc tam inauditè & absonè subnectis, & suprà non semèl inculcâsti: Sed licèt nos, aut angelus è cælo euangelizet vobis, præterquàm quod euangelizauimus vobis, Anathema sit? In quem, inquam, rectiùs competit, quàm in te, qui tam ab Euangelica & Apostolica doctrina dissentaneum, pugnans & contrarium Euangelium euangelizas? In quem rectiùs dicitur illud prophetæ, Væ prophetis insipientibus, qui sequūtur spiritum suum, & nihil vident, quàm in te tuosq́; lanios, cerdones, tonsores, fabros, textores, ganeones, quibus tam impiè persuades, vt scripturas scrutentur, quô scilicet spiritum suum sequentes, nihil videant, incidantq́; in errores & tenebras palpabiles, prout illos magno nostro omnium dolore, vnà cum suis magistris prolapsos conspicimus? In vos igitur quadrat, si cæcus cæco dux est, ambo in foueam cadunt. Sed hæc infrà suo loco absolutiùs.

1. Cor. 12. Ephe. 4.

Ezec. 13.

Cap. 9.

Quomodò Pastoris queat examinari doctrina, vt non violetur charitas Christiana.

SEquitur nunc apud Smidelinũ: Vides nunc Christiane lector, quomodò Ecclesiæ filij alligati sint euangelio & non homini, cuius voluntas cùm sit inconstans, ab eius latere recedere licet, cùm diuersam à Christo tradit doctrinam, cui etiàm non nisi doctrinæ ratione addictus es.

Hoc vt aliquo modo tibi concedamus, quandoquidem non repetis quod suprà dixisti, etiàm propter vitam doctrinæ non cõformem, à pastoribus recedendum, eoq; languidã, mutilam & imperfectam complexiõem colligis, nôsti tamen vel ex Ethnicorum, qui naturæ ratiõisq; solius ductum sequuti sunt, præceptis, quàm sit piculosum, Maiorum præscripta curiosiùs perscrutari: eoq; Plato populares ab exactiori legum scrutinio repellit, eò q discordiæ & priuatæ cuiusdam sapiẽtiæ, arrogantisq; philautiæ seminarium pbeat. Quin & magnam generare potest ansam dubitationis & perplexitatis, quam rectè carnificinam vocat Melanchthon, & quodammodò doctores & iudices faciemus illos, quos oportebat esse discipulos & auditores.

Noluit S. Bernardus (quem tu etiàm nõ ἱερωνικῶσ non semèl diuum appellas) in monasticis institutis examinandis, aut iudicãdis, quẽuis è fratrum sodalitio temerè quicquam pronũciare, nisì eos, quibus id posse videre datum, & prouidere creditum est: quãto iustius est eos pẽsare & probare doctrinam præconis Euãgelici, quibus examinandi facultas, & iudicium datum est, collataq; potestas & authoritas ipsis ouibus de fideliore pastore prospiciendi? Quòd si quis sit ex ipso grege, qui iudicium habeat, huic nemo prohibuerit priuato studio pastoris doctrinã expẽdere & cognoscere: quam si fortè non per omnia sanam comperiat, iam fuerit fraternæ charitatis & Christianæ modestiæ, non priuata authoritate in pastorem insurgere, sed vel familiaritèr, vel amicè submonere, vel ad illos referre, ad quorum cognitionem pertineat præsentis causæ cognitio. Bernard. in lib. de pcep. & dispẽsat.

 Nec

Nec solùm in doctrina,sed in vita quoq; & morib⁹, si fortè quid in his luxatum aut vitiatum esset,hæc ratio charitati fraternæ & Euãgelicæ doctrinæ prorsùs consentanea posset obseruari,atq; etiamnùm à pijs,bonis & pacificis obseruatur.In hũc enim finem annuas synodos in vnaquaq; diœcesi Catholica instituit Ecclesia, vt si vitiosæ doctrinę corruptorumq́; morum sentes & tribuli suppullulent,protinùs omnium patrum suffragijs & censuris pestilens lolium,syncerę & fraternæ disciplinæ sarculo extirpetur.In quo tamẽ optandum esset,illos paulò esse vigilantiores,quorum est officij in huiusmodi zizania animaduertere.Tuum verò Smideline consilium,quo suades,vt oues priuato arbitrio à pastore recedãt, nec q̄d deindè remedij quærendum sit demonstras, nisì vt palantes errẽt tanquàm oues non habentes pastorem, quàm auspicatum & salutare futurum sit,si recipiatur,nemo non vel communi iudicio prę-ditus,facilè perspicit.Quin & teipsum iam appello Smideline: profer ingenue,quid dicturus eris,si quis ex infima cerdonum aut tõsorum fęce tibi obluctetur,tuamq́; doctrinam examinare ac dãnare instituat,turbas,schismata & seditiones excitet, & bonam gregis tui partem abducat?Quid, inquã, dicturus eris? Concedis,immò stylo & viua voce passìm doces & scriptitas,examinandam pastorum doctrinam ab ouibus, exemplo illorum qui Berrhœæ scrutabantur scripturas, an Pauli & Silæ doctrina ità se haberet. Examinant oues doctrinam tuam,refellunt,explodunt.Quid dicturus es?Respondebis,te iuxta pręceptum Apostoli,paratum esse reddere rationẽ omni poscenti &c.Sed producũt aduersùs te scripturas: tu vicissìm scripturas opponis?Quid,inquam,nunc futurum est? Nascetur proculdubiò implacabile dissidiũ & ἄσπονδος πόλεμος, prout hactenùs vos irreconciliabilibus contentióibus & schismatîs dissidere,rabiosis conuiciosisq́; dicterijs proscindere,mutuisq́; vulneribus conficere spectauimus.Iam & hoc Smideline considera,si ouibus,si discipulis,si plebeijs hominibus doctrinæ pastoralis examen concedis,quàm impudens hæc inconstãtia, & quàm incõstans impudentia,quòd Bredenbachium Brentij doctrinam publicæ pacis & tranquillitatis inuestigãdæ desiderio,modesta & sobria διατριβῇ examinantem,tanto cum strepitu & clamore, tot rhóchis, con-

Cõc. Niceni Can. 5. & in Cõcilio Chalcedo-deñ. can. 19.

Act. 17.

cõuicijs, ſcõmatibus explodis? Sed de hoc populari & democratico iudicio, de ſcripturis & fidei controuerſijs, infrà ſuo loco copioſiùs: nunc, vt tuo verbo vtar, ſaltem delibare voluimus, iſtud tuum tam ineptum, abſurdum & monſtroſum paradoxon, quo tam impiè, profanè & impudẽtèr ab vniuerſa Eccleſia, ab Euãgelica & Eccleſiaſtica doctrina, immò à magiſtro tuo Lutero, ac deniquè à teipſo diſſides.

Cap. 10.

Nouè & ineptè Smidelinum comparare Romanum Pontificem meretrici Babylonicæ, & meretricis nomen potiùs in ipſos competere, cùm in ſacris literis per meretricem plerunq; intelligatur doctrina hæretica, veterumq́; nemo locum Apocalypſeos ità ſit interpretatus, vt eum exponit aduerſarius.

HOc primò in Bredenbachium, ipſiusq́; libellum impetu facto, nunc deincèps nonnihìl reſpirat Smidelinus, & remiſſo aliquantulùm vehemẽtiori illo certaminis æſtu, ad σκιομαχίαν, leuemq́; & vmbratilem digladiationem ſe recipit, nè (quod turpe eſt hiſtrioni) in arena conſtitutus, nullã omninò geſticulationem ſpectatoribus exhibeat. Intereà tamen, vt ſpectantium applauſum & riſum eliciat, (quod itidèm ſcenicis eſt ſolenne) vnum inſignem & verè theatricum ſaltum facit. Et geſticulationes quidem ſunt, dum attingit de arietum & principum officio, de Homeri ſentẽtia ad commendãdam monarchiã, de meritis Brentij erga Eccleſiam, de hiſtoria Socratis, de perſona Therſitæ. Sequitur iam velut horum omnium condimentum gladiatorius ille & penè magicus ſaltus, quo omnium Veterum Neotericorumq́; expoſitiones admirabili præcipitantia tranſilit, & ſuam de capite decimoſeptimo Apocalypſeos, nouam interpretationem mira alacritate & feſtiuitate depromit. Ait enim per meretricem Babylonicam circundatam purpura & coccino, & inauratam auro & lapide precioſo & margaritis, ebriam ſanguine ſanctorum & ſanguine martyrum &c. deſignari Pontificem Romanum. Et quanquàm D. Auguſtin⁹, Aretha Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, Lyranus, gloſ-

Videat pius Lector de hac materia lati⁹ in cap. penul. li. 4.

ſa Ordinaria, Iſidorus Clarius, alijq́; ꝓbatiores interpretes, longè ſecùs exponant, vnus tamen Smidelinus, vt vel riſum mouẽdo aliquem, è puluere theatrico gratiam reportet, nouã & ridiculã mythologiam ex tempore in proſcenio inter ſaltandum comminiſcitur, nulla vllius ſolidi & probati interpretis adſtipulatione fretus, quo vel hoc velutì ſcipione fultus, illum tam verè hiſtriõicum ſaltum feliciùs expeditiusq́;, perficeret. Cùm igitur extra communẽ naturalium ſaltatorum menſuram & terminum ſaltes, (non enim contines te intra terminos, quos patres poſuerunt) ſinemus ſimplicem plebeculam (quæ funãbulos & circunforaneos vnicè ſolet admirari, cùm reuerà ſint meri præſtigiatores) ad hunc quoq; nimiũ tranſcendentem & Metaphyſicum ſaltum ſtupére, cùm alij paulò oculatiores ità te ſaltare videant, vt omnes veteres interpretes calcibus ferias & cõculces. Sanè ſi vſquàm eſt Babylon, ea vt apud vos ſit neceſſum eſt, vbi tanta conſpicitur dogmatum confuſio & opinionum diuerſitas ac pugnantia, vt ipſiſſimam Babylonem apud vos conſpiciamus, quod iam pridèm toti orbi planiſſimum fecit Staphylus. Quin & meretricis nomẽ in ſacris literis ad hæreſes referri, palàm eſt. Quemadmodùm autem laſciuię & proſtituti pudoris certum argumentum eſt in fœmina, alieni viri muneribus & literis gaudere, & animum paritèr & amorem à marito auertere, vt ait D. Auguſtinus lib. 14. cap. vlt. contra Fauſtum, ità meretricis animos in vobis coarguit, quòd cuiuſlibet doctrinæ lenocinijs delibuti, ab Eccleſia ad Luterum, à Lutero ad Zuinglium, ab hoc rurſùs ad Caluinum, & id genus infinitos veſtri cõplexûs riuales animum adijcitis, vt liquidò in vobis appareat illud artis meretriciæ: Sub omni ligno frondoſo diuaricâſti pedes tuos.

Iere. 2. Adde quòd nec Apocalypſin agnouerit Magiſter tuus Luterus: nunc verò quia qualemcunq; præbet anſam calumniandi, maximè tibi eſt authentica. Rursùm hic monendus es, mendacem memorẽ eſſe oportere.

Cap. xj.

De-

Declaratur, quanto dolo Smidelinus Bredenbachij ordinem peruertat, & obitèr progreditur author ad explicatiōem istius monostichi, Tu supplex ora, tu protege, tuq; labora: quem versum velut absurdè adductū criminatur aduersarius, prætermißis solidißimis argumentis, ex quibus hic versus suam lucem & robur accipiebat.

NVnc iterùm Smidelinus ad pugnam præludit, atq; eminùs tela quædam in aërē iaculatur ex apertissimis mēdacijs fabricata, quibus quoniam abundat, minùs admiramur eum passìm intermissa pugna, ad huiusmodi vanas, ludicras, & irritas eiaculationes se proripere, & contra morē gladiatorum, iacula inutilitèr & incassum profundere. Cuiusmodi sunt, quòd ait, ea quæ de Arrio & Lutero recensuit Bredenbachius ad institutum prorsùs nō pertinere, quod in officiorum limitibus definiendis toto cælo erret, quòd reuocata ab initio in memoriam summa sacrorum bibliorum, declaratoq; ordine, politia siue œconomia domûs Dei, simplicibus fucum faciat, & illorum oculis nebulas offendat. His igitur omnibus prætermissis, seriam confutationem aggreditur à quodam monosticho, ac deindè à iudicio Caiaphæ contra Christū. Hìc obsecro & obtestor pium & veritatis studiosum Lectorē, vt obseruet, videat & agnoscat impudentissimi saltatoris nimìs apertas & dolosas præstigias, quibus ea quæ ad causam omnium maximè pertinēt, tanta saltandi & mētiendi libidine, tam fraudulentèr ac dolosè trāsilit & eludit. Suggillauit suprà Bredenbachium, quòd nullam ordinis rationem obseruârit, eoq; se nullum ordinem obseruare posse. Atquì tam ordinata, expedita & composita methodo vtitur, vt eam quo constructa est ordine, Smidelinus neutiquàm dissoluere ac demoliri possit. Tam enim firma est, tam solida, tam firmitèr compacta & consolidata totius structuræ compages, talibusq; ac tantis propugnaculis, ex solidissimis scripturarum & Ecclesiasticorum scriptorum petris extructis munita, vt eo ordine quo oppugnanda esset, minimè eam oppugnare, nedùm expugnare queat. Hoc dum animaduertit Smideli-

Simili stratagemate vtitur aduersùs Hosium.

nus, vndiq; ſeſe vertit ac tergiuerſatur, huc illucq́; machinas ſuas ferens ac transferens, & maxima caſtelli, hoc eſt, libelli parte prætermiſſa, protecta quædam ſiue ἐπιτείχεα fortè aliquantulùm prominentia petit. Et nè lectorem hoc tanto & tam improbo ſaltu & tergiuerſatione offendat, ſimulat ſe vti ſtrategemate gladiatorio, & in aliud tempus aliumq́; locum prætermiſſæ partis oppugnatiõem reijcit, eo conſilio, nè pugnæ ſpectator, hoc eſt, lector, videns Smidelinum ad ſolidiſſima illa & inexpugnabilia munimenta, machinas & arietes ſuos admouẽtem, hominis temeritatem & inſaniam rideat, & ſpreto nugatore recedat. Atq; vt hoc qualecunq; ſtrategema lectori perſuadeat, præclarum adducit prætextum, ſe priucipiò libelli ſtatum velle confutare, ac poſteà ad prætermiſſa redire, quæ omnia qua fide & integritate præſtet, luculentèr patebit illi, qui vtriuſque, Bredenbachij inquam & Smidelini, ſcripta inter ſe contulerit: & nos, quantùm per temporis & ocij inopiam licebit, planũ faciemus. Latet præterea & illud ſub hoc ſtrategemate myſterium, quòd dum Smidelinus Bredenbachij libellum non ex ordine confutat, ſed paſsim, velut per ſatyram nunc hunc, nunc illum locum allatrat, doloſè impedit lectorem, nè poſſit facilè mutua vtriuſq; libri, Smidelini inquam & Bredenbachij, collatione, argumentorum pondera penſare. Primum igitur nũc arietem admouet iſti ἀδήλῳ monosticho:

Tu ſupplex ora, Tu protege, Tuq́; labora.

Quod, inquit, æquipollere videtur ei, quod Ioannis cap. 7. ſcriptũ eſt: Nunquìd ex principibus aliquis credit in eum, aut ex phariſęis? Sed turba hæc quæ non nouit legem, maledicti ſunt.

Vide, q̃ſo pie lector, impudentiam & vecordiã Smidelini. Quid illud Ioannis? quomodò æquipollet? Demonſtrauerat Bredenbachius ex Geneſi, ex Leuitico, ex Numeris, Eccleſiaſticum & ciuilẽ ordinem ab ipſo generis humani exordio ſempèr fuiſſe diſtinctos, ſempèr extitiſſe homines cultui diuino & ſacrificijs offerẽdis ſingularitèr à Deo deſtinatos, ante legem, ſub lege, & poſt legem in Euangelio: eumq́; ordinem, vt ante legem & ſub lege ex præcepto Dei obſeruabatur, ità & neceſſum eſſe porrò deincèps, & nũc poſt Legem obſeruari in Euangelio, in quo nouum ſacerdotium, nouũ ſacri-

ſacrificium,nouam cathedram, nouum magiſtratum Deus inſtituit,erexit & creauit.Demonſtrauerat,inquam,Bredébachius, ſtatìm in initio ſuboleſcentis generis humani Abelem ſacris& ſacrificijs præfectum. Cainum verò agriculturæ mancipatum,ipſoque Abele à fratre per huius honoris inuidiam interfecto,Seth illi ſuffectum,atq; in eius poſteritate ſacerdotium permãſiſſe, ex qua etiàm fuerit patriarcha Noë:dignumq; obſeruatu,quòd hi qui à Seth deſcenderunt,dicti ſint filij Dei: illi verò qui à Cain,filij hominũ. Gen.6.
Atq; deindè ſuperueniente propter hominum malitiam Cataclyſmo, & Noe cum ſua familia ſeruato, dignitatẽ & munus ſacerdotij manſiſſe in familia Sem filij Noæ, inter tres natù maximi.Quod ſacerdotij munus quanto in honore & reuerentia habitum fuerit, præclaro Melchiſedech & Abrahæ exẽplo declarauerat, quomodò Melchiſedech rex Salem & ſacerdos Dei altiſſimi,proferẽs panem & vinum, benedixerit victori Abrahæ & Deo excelſo, quo protegente, hoſtes in manibus eius traditi ſint, præludens videlicet ad ſacrificium quod obtulit, atq; diſcipulos offerre docuit ille,qui eſt ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech: Quomodò viciſsìm Abraham ciuilem gladium ſtrinxerit, hoſtes proſtrauerit,captiuum Loth liberauerit,vniuerſam prædam quam rapuerant hoſtes,reduxerit,decimas de omnibus dederit. Eccè hanc domûs Dei tam pulchrã,tam politicam,tam ordinatam, tam benè ab ipſo Deo conſtitutam œconomiam, quæ non ſolùm ante legem, ſed & ſub lege, & poſt legem in Euangelio hucuſq; durauit,& duratura eſt,protegente Deo, ad conſummationem ſeculi, quantunuìs inſaniat Smidelinus:hanc,inquam,œconomiam,qua alij ſunt ſacerdotes & pontifices,alij principes & magiſtratus ciuiles,alij vtriq; huic magiſtratui parent, Bredenbachius eleganti & ſuccincta ſacrorum bibliorum ἀνακεφαλαίωσι demonſtrauerat,& q̃ pulchrè floritura eſſet Reſpublica,ſi ad hanc œconomiã ſe quiſq; componeret.Quo luculentiſſimè veriſſimeq; ex diuinis oraculis demonſtrato,accinit illud incerti authoris non inſcitum monoſtichon:

Gen.14.

Omnes orthodoxi patres referũt hoc de Melchiſedech ad ſacrificiũ Miſſæ. vide copiosè apud Ioannem Fabrũ Hailbrũn. in Ioelem.

Tu ſupplex ora,Tu protege,Tuq; labora.

Quaſi iam diceret:Tu Melchiſedech ſacerdos Dei altiſſimi, cum

toto tuorum ſacerdotũ ſenatu, ſupplex ora: preces & ſacrificia tua (quoniam ſacerdos es Dei altiſſimi) Deo purè, deuotè, & ſupplicitèr offeras. Tu Abraham, qui princeps à Deo conſtitutus, gladium habes, non ſinè cauſa gladium portas, ſed vindex es in iram ei qui
Rom. 13. malum agit: protege igitur bonos, vlciſcere malos, hoſtes proſterne. Tu autem qui huic Abrahæ ſubiectus es, qui gladium non habes, qui non imperare, ſed parére: non ducere, ſed duci: nõ regere, ſed regi debes, tu labora: Tu qui es membrum myſtici corporis Chriſti, nec tamẽ es oculus, ſed auris: nec os aut lingua, ſed pes, ſed manus, labora: atqueità labora, non vt agro, opificio, mercatura, negociatione tua deſerta, in Eccleſiaſticis munijs obeundis, ſacramentis diſpenſandis, verbo miniſtrando, ſcripturis explicandis labores & fatigeris: hoc ipſi Melchiſedech ſacerdoti DEI altiſſimi committe. Tu ìgitur labora, cui cum vniuerſo genere humano di-
Gen. 3. ctũ eſt: In ſudore vultûs tui veſcéris pane tuo. Laborat & Melchiſedech, preces & ſacrificia purè & rectè offerendo, & vigilando, tãquàm pro te rationem redditurus. Laborat & Abraham, hoſtes ꝓſternit, bonos tutatur, vindex eſt in iram ei qui malè agit. Tu autẽ in ea vineæ parte labora, in qua te paterfamiliâs cõſtituit. Eccè hoc monoſtichô, ſub cuius humili & obſcuro cortice, tam graphicè, tã commodè, tam verè, tam luculentèr & ſuccinctè ea quæ Bredenbachius paulò fuſiùs & explicatiùs ex biblica doctrina ꝓduxit, quaſi vno pugno compręhenſa continentur, viſum fuit Bredenbachio prædictis accinere, quibus ipſe verſiculus, alioquì nonnihil obſcurus, tam euidentèr illuſtrabatur: atq; ità iam illuſtratꝰ, prædictis viciſsìm aliquod lumen accommodabat: Hoc iam monoſtichon à p̃cedenti ſacrorum bibliorum lumine abſtractum & auulſum, inuadit aduerſarius, huic per ſe nonnihil infirmæ turriculæ machinas ſuas admouet, inſigni illo & munitiſſimo propugnaculo ex ſolidiſſimis petris ex ipſo Geneſi os lib. defoſſis, extructo, & in tãtam, tamq; præclaram, tam ſolidam, tam benè & firmitèr compoſitam & deductam altitudinem euecto: hoc, inquam, tam in expugnabili ꝓpuguaculo dolosè prætermiſſo, cùm ſi legitimo & militari modo, in huiuſmodi certaminibus obſeruari conſueto, hanc oppugnationem

onem voluiſſet inſtituere, nullus aditus ad huius verſiculi turriculam illi patére potuiſſet.

Cap. 12.

Criminatur aduerſarius ſacerdotes, quòd ſibi vendicent cultum diuinum: refellitur & rationibus, & SS. Patrum teſtimonijs.

HOc tam præpoſtero & portentoſo ariete tam præpoſterè & monſtroſè detorto, illam Bredenbachij turriculam quatere pergit huiuſmodi ictu: Nota eſt ſacrificulorum arrogantia, qui ſuas preces venditant, non alitèr q̃ ſi prorsùs alienum eſſet ab officio principum & ſubditorum, orare: Vos cùm ſitis laici, inquiũt, & alijs rebus occupati, non vacare poteſtis orationi: Vos Principes, gubernate Rempublicam, iudicate inter cauſam & cauſam &c. Ruſtici, inſtàr iumentorum laborate, Nobis verò committite cultum Dei, qui noſtris precibus & oblationibus vobis DEVM placare poſſumus. His præſtigijs hactenùs principes cũ ſubditis ſunt miſerè decepti. Sed cùm ſit politico ordini ſuus reſtitutus honos, quẽ impiè obſcurauit hoc ocioſum genus hominum: ità didicerũt etiàm laborare ruſtici, vt precibus impuriſſimorum ſacrificulorum, non ampliùs ea ſecuritate committant animas ſuas, qua ſtulta credulitate illis hactenùs numerârunt argentum, ſed non in panibus, vt Eſaias loquitur: & laborem ſuũ, ſed non in ſaturitate. Cùm enim omnem ſubſtantiam erogârunt miſelli ruſtici ſacrificulis ad pacificandas cõſcientias, inanes tamẽ ſunt dimiſſi, edocti ſcilicet neſcire hominẽ, an odio vel amore Dei dignus: incertiores, vt ille apud Comicum ait, quàm anteà. Quarè hoc dictum, ſeruiẽs impietati & ocio ſacrificulorum, & obſcurans ordinem politicum, explodatur.

Hìc tandèm ceſſat Smideliani arietis quaſſatio. Tibi autem pie & cordate lector, conſiderandum & æſtimandum relinquo, an hæc Smidelini ſententia iſti œconomiæ & ordini politico, quem vt iam auditum eſt, Deus ipſe in Eccleſia ſua inſtituit, conſeruando magìs conueniat, Chriſtianæ & fraternæ charitati magìs deſeruiat, Euan-

gelicæ & propheticæ doctrinæ, immò ipsi rectæ rationi magìs cõgruat, an verò hæc Bredenbachij & nostra. Quod autem ait de sacerdotibus, Nobis verò committite cultũ Dei, q̃ nostris precibus & oblationibus vobis Deum placare possumus, & paulò suprà, Nõ alitèr, inquit, quàm si prorsùs alienũ ab officio principum & subditorum sit, orare: tametsi iam cordatus lector abundè ex superioribus perspiciat, quomodò huic tam dolosæ vulpeculæ debeat os obstruere, nihilo seciùs, vt vndiq; munita sit veritas, primitiuæ Ecclesiæ doctorum, sacrarumq́; scrîpturarum testimonia proferem⁹, proprium & peculiare sacerdotum officium esse cultui diuino va-

1. Tim. 2. care, obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, p̄ populo ad Deum profundere. Totus certè orthodoxorum patrum cœtus, luculentèr idipsum attestatur, qui & sacerdotes mediatores & recõciliatores appellauerunt. Inter hos primùm audiamus sanctum illum martyrem & Episcopum Cyprianum. Sacerdotibus, inquit, maior labor incumbit, in afferenda, propicianda & procuranda Dei maiestate.

Sacerdotes etiàm vocari mediatores & recõciliatores.

Cypria. lib. 1. epist. 3.

Apertiùs autem D. Gregorius Nazianzenus, in Apologetico suo, cùm graues ob causas oblatum detrectâsset sacerdotium, quis ex luto quodã quasi fingat, inquit, veritatis antistitem, & cùm Angelis statorem, cumq́; Archãgelis collaudatorẽ, & in altare illud superius hostias destinantem, καὶ τῷ χριςῷ συνιερεύοντα, vnà cum Christo sacrificantem? Subijcit posteà: Priusquàm autem illam materiam ad inferiora detrahentem supprimat, quoàd eius fieri potest, ac mẽs idoneè repurgetur, atq; supra alios eximiè Deo vicina reddatur, ἢ ψυχῶν προςασίαν δέξασθαι, ἢ μεσιτείαν θεοῦ καὶ ἀνθρώπων (τοῦτο γὰρ ἴσως ὁ ἱερέος) aut animarũ pręfecturã suscipere, aut inter Deum & homines intercessionem atq; mediationem (siquidem hoc verum est, sacerdotem esse) haudquaquàm tutum esse cognosco.

Sacerdos cum Christo offert, seq́; mediatorẽ facit.

Rursùm ad Simpliciani hæreticam epist. 8. D. Basilium pręclaris in cælum vsq; euehens encomijs, inter alia τὸν πίςον θεραπόντα καὶ μέγαν ἀρχιερέα, τὸν τοῦ θεοῦ καὶ ἀνθρώπων μεσίτην, καὶ τοῦ πνεύματος καταγώγιον appellat, Moisi & Christo cõparans fidelẽ ministrum, & magnum sacerdotum Principem, Deiq́; & hominis mediatorem, & spiritussancti domicilium. Hunc Nazianzenum præceptorem suum secutus Hieronymus, vocat sacerdotem Dei se-

Hieron. in Malac. cap. 2.

questrum

questrum & hominum. Et æqualis horum Ambrosius, Iesum alloquens: Quoniam, inquit, me peccatorem inter te & eundem populum medium esse voluisti, licèt in me boni operis testimonium nõ agnoscas, officium dispensatióis non recuses, nec per me indignũ famulum tuum, eorum salutis pereat precium, pro quibus eorum victima factus salutaris, dignatus es esse redemptio. Ad eundẽ modum Ioannes quoq; Chrysostomus, medium stare dicit sacerdotẽ inter Deum & humanam naturam, illinc veniẽtia beneficia ad nos deferentem, & nostras petitiones illuc proferentem, Dominũ iratum vtriq; naturæ reconciliantem, & nos qui offendimus, ex illius manibus eripientem.

Amb. in oratióe priore ꝑparatoria ad Missam.

Chrysost. de verb. Esaiæ, homil. 5.

Vides Smideline quid iste sacerdoti tribuat? Sed audi quid alio loco dicat: Sacerdotem enim ait, pro vniuerso orbe legatum intercedere, deprecatoremq; esse apud Deum, vt hominum omnium non viuentium modò, sed etiàm mortuorum peccatis propicius fiat. Itaq; quasi mundus vniuersus illi concreditus, atq; omniũ sit pater, sic ipsum ad Deum accedere. Ac paulò pòst: Cùm autem ille & spiritum sanctum inuocauerit, sacrificiumq; illud horrore ac reuerentia perfecerit, communi omnium Domino manibus assiduè pertractato, quęro ex te, quoto illum in ordine collocabimus? per id tempus & Angeli sacerdoti assident, & cælestium Potestatũ vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus, in illius honorem qui immolatur, angelorum choris plenus est. Et qui fuit ijs omnibus vetustior Anacletus, quartus à Petro pontifex Romanus: Sicut, inquit, ipse filius Dei mediator fuit Dei & hominum, ità & vos eius vice in Ecclesia estis constituti, vt inter Deum & homines legatione fungamini. Hæc ille, scribens ad episcopos per diuersas regiones constitutos. Et qui fuit successor eius Cælestinus: Cùm, inquit, sanctarum plebium præsules, mandata sibi legatione funguntur apud diuinam clementiam: humani generis agunt causam, & tota secum ingemiscente Ecclesia postulant & precantur, vt infidelibus donetur fides. Vides Smideline, quemadmodùm ij omnes & mediatores & reconciliatores & sacerdotes ac legatos & intercessores vocant eos, de quibus tu tam profanè blateras: NOBIS committite cultum DEI, qui nostris Precibus & Oblatio-

Idem lib. 6. de sacerdo.

Obseruet hæc tremẽdi Eucharistiæ sacrificij contemptor Smidelinus.

Anaclet. Pontif.

Cælestinus epis. 1. ca. 11.

nibus vobis Deum placare possumus? Atq; huc pertinet, quod legimus primitiuæ Ecclesiæ proceres instituisse septẽ distinctos gradus illorum, qui tanquàm θεραπευταὶ & cultores, cultui diuino exercendo peculiaritèr mancipabantur. Hi erant, cantores, lectores ostiarij, acolythi, subdiaconi, diaconi, presbyteri: quorum tribus posterioribus gradibus coniugio interdictum erat, nè in cultu diuino, in quo iam velut asscriptitij & censiti erant, (vt de villicis & agricolis refert Impator) impedirent. Hinc Iustinianus in authẽt. Multò magìs C. de episcopis & clericis, inqt: Multò igit magìs cessant eorũ cõiugia: soli eñ lectores & cantores nuptias contrahere permittũtur: alijs autẽ om̃ibus penitùs interdicimus: veruntamen si & illi ad secũdas peruenerint nuptias, nequaquàm ad sacerdotij culmen asscendant: vbì notandum, digamos id temporis, propter suspectam lasciuiam, ad sacerdotium non admissos, de quo (iuxta veterum interpretationem) Apostolus ad Timotheum. Sed de hac quæstione infrà suo loco.

Cap. 13.

Demonstratur scripturis, sacerdotes mediatores, reconciliatores, intercessores, dispensatores mysteriorum DEI ab ipso Paulo & Prophetis, vetustissimisq; Patribus appellari: Item quomodò sit mediator Christus, & quomodò mediator sacerdos. Refellũtur deindè cauilli Smideliani de sacerdotum officio in ministerio reconciliationis, quos obiecit Reuerendissimo Hosio.

Sacerdotes esse mediatores & reconciliatores, ex S. literis docet.

IAm videamus ea, quæ in veteri Testamento de Leuitis & sacerdotibus Aaronis leguntur, qui comedebant peccata populi, qui offerebant holocausta, victimas, & propitiatoria pro populo, qui adolebant thymiamata &c. Sic legimus Leuitici 4. cap. Si omnis turba filiorũ Israel ignorauerit, offeret pro peccato suo vitulum. Subsequitur: Et rogante pro eis sacerdote, propitius erit eis Dñs. Item: Si peccauerit princeps, offeret hostiam corã Domino, hircũ de capris, rogabitq; pro eo sacerdos & pro peccato eius, & dimittetur.

tetur. Repetuntur eadem verba sub finem eiusdem cap. ac denuò 5.6.9. & 14. cap. Si illi qui vmbram duntaxàt futurorum habuerunt, rogare Deum & placare potuerunt, cur noui testamenti sacerdotibus hanc functionem & facultatem tam insulsis contumelijs adimere conatur Smidelinus? Iam ad noui testamenti scripturas descẽdamus. Paulus Apostolus, quem D. Chrysostomus appellat tubam Euangelicam, sic inquit ad Corinthios: Deus nos reconciliauit per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis: 2. Cor. 5.
quoniamquidem Deus erat in Christo, mundum recoucilians sibi, & non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergò legatione fungimur, tanquàm Deo exhortante per nos: obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Quid autem dixit aliud Apostolus, quàm quod anteà dixerat ipse Christus? Pax, inq̃t, vobis. Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Ioan. 20.
Quam autem ad rem Deus pater misit filium, nisì vt inter Deum & homines pacem faceret? Ad hanc ipsam rem suos quoq; misit filius in vniuersum orbem sacerdotes & episcopos, vt eorum ministerio reconciliarẽtur Deo, si qui se ab illo disiunxissent, peccatisq; suis eum offendissent. Quod ergò dixit Christus, Misit me pater: idem est cum eo, quod dicit Apostolus, Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Quod verò subiungit, Ità & ego mitto vos: idem est cum eo quod idem dicit Apostolus, Posuit in nobis verbum reconciliatiõis: Pro Christo legatione fungimur: & obsecramus pro Christo, Reconciliamini DEO. Quamobrèm nõ cõtentus semèl dicere, dixit repetita vice, Pax vobis: vt indicaret se & pacem illis fecisse, & pacem per illos mittere nobis. Vbì est huius pacis exemplum aut documentum? Subiungit Christus: Accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittũtur &c. Hócne est genuinum pacis documentum, maximè, cùm nemo magìs à Deo & à seipso dissideat, quàm qui læsam habet & irrequietam cõscientiam? Iam & D. Iacobus docet: Infirmatur quis in vobis? indu Iac. 5.
cat presbyteros Ecclesiæ, & orẽt super eum &c. Sequitur iam pax, quam per sacerdotes consequitur infirmus: Et oratio fidei, inquit, saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei. Prætereo hìc ꝙ Christus, præter Apostolos, LXXII.

discipulos elegerit: quòd Lucas referat in Actis, Apostolos elegisse septem diaconos, id est, ministros Ecclesiæ & cultui diuino mancipatos, quod ex mille testibus vel vnus Ambrosius probauerit, qui de Sixto pontifice & Laurentio Diacono referens, introducit Laurentium ità queritantem & lamentantem: Quò pater sinè filio progrederis? quò sacerdos sancte sinè diacono? nunquàm sacrificium sinè ministro offerre consueueras. Porrò nè tritum illud & vobis vsitatissimũ Apostoli obijcias Smideline, Vnus est mediator Christus &c. tametsi responsio ex supradicto Apostoli loco sit manifesta: Respondeo tamen Christum esse Sacerdotem, Mediatorem, Legatum, Reconciliatorem virtute sua, qui per sanguinem suum nos Deo patri reconciliauit: In homine sacerdote, nihil esse præter ministrandi potestatem.

In lib. off. cap. 41.

Quõ mediator Chrs, & quõ sit mediator sacerdos.

In hoc eodem themate superatus ab Hosio Smidelinus, tandèm de pertinaci sacerdotalis officij & intercessionis oppugnatiõe nõnihil remittens, inquit: Non enim mediatoris, sacerdotis & reconciliatoris nomina derogamus ministris, si de ipsorum ministerio intelligatur &c. sed res in controuersiam venit, an vllius hominis operibus Deus placari possit, hoc est, an homo suis operibus in gratia vel extra gratiam Dei factis, remissionem peccatorum mereri possit &c. Ad hoc respondeo, de operibus hominum inter Smidelinum & Bredenbachium hoc loco non esse controuersiã. Proindè hęc Smidelini aduersùs Hosium responsio, nõ labefactat id quod nos illi de sacerdotum officio (quod est orare, intercedere, ministerio reconciliationis apud Deum fungi pro populo, cultui diuino iugitèr vacare, Deum placare &c.) tam proteruè blateranti (Nobis committite cultum Dei) nunc respondimus. Porrò si verè dicit aduersarius, se non derogare sacerdotibus nomine mediatoris & reconciliatoris, cur rem ipsam, hoc est, intercedere pro populo, cultui Diuino vacare, &c. tam inuidiosis vocabulis conatur ipsis adimere? cur mediatoris, intercessoris & recõciliatoris officium in illis criminatur? Deindè quod ait, inter Brentium & Hosium hoc controuerti, an vllius hominis operibus Deus placari possit, Smidelinum cum Brentio suo manifestè confutat ipse D. Iacobus Apostolus iam suprà à nobis adductus: Infirmatur, inquit, quis in vobis?

pag. 80. aduersùs D. Stanislaum Hosium.

Iac. 5.

vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent ſuper eum: & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. Item quod in Numeris legimus, & commemoratur à Pſalmiſta, Et iritauerunt eum in adinuentionibus ſuis, Num. 25. & multiplicata eſt in eis ruina: & ſtetit Phinees, & placauit, & ceſ- Pſal. 105. ſauit quaſſatio. Et in Leuitico, vbi legimus de expiãdo leproſo, cõ- Leu. 14. memorantur ea quæ ad expiationem vſurpabit ſacerdos, vt plácet pro eo Dominum. Quod igitur ſcriptura tribuit veteris teſtamenti ſacerdotibus, cur tu Smideline noui teſtamẽti miniſtris adimes? cur in hunc petulantem cachinnum erumpis, Nobis committite cultum Dei, qui noſtris precibus & oblationibus vobis Deũ placare poſſumus? Hæc, candide Lector, ad ſalſum illud Smidelini ſcomma paulò fuſiùs reſpondere viſum eſt, quo ſacerdotes ludificatur, Nobis committite cultum Dei &c. vt hæ nebulæ, quas ſimplicium oculis offundit, penitùs diſcuterentur, & veritas euidentiùs eluceſceret. Intereà quemadmodùm nemo rectè dixerit, principes & plebeios non debere orare, ità Smidelinus nõ rectè dixerit, eos ità ad orationem & cultum Dei adſtringi, ità eidem vacare poſſe ac debere, vt illos qui ad Eccleſiaſticum miniſterium adſciti ſunt, poſſe ac debere demonſtrauimus. Talium enim cùm ſit ſoli Deo militare, non eſt ſecularibus negocijs implicari. Qui verò ad ſecularia negocia à Deo vocati, his, tanquàm manus & pedes, implicantur, etiàm Deo militant, & ſuæ militiæ brabeum ab agonothete Chriſto conſequentur, ſi (vt monet Apoſtolus) omnia ad gloriam Dei faciant, ſi in laudis Dei propagationem Reipublicę Chriſtianæ & proximi vtilitatem, ſuamq; ſalutem fixè & perpetuò velutì in ſcopum colliment. Iam obſecro pium & cordatum lectorem, vt diligentèr conſideret & expendat, an ipſa veritas de his rebus alitèr loqui & ſentire poſſit, quàm nunc à nobis demonſtratũ eſt: videat quæſo & conferat hæc noſtra cum illo monſtroſo, impio & blaſphemo Smidelini portento, quo omnem œconomiam ſuſtollere, omnem ordinem & politiam ſubuertere, ſacra prophanaque miſcere, ſurſùm ac deorſùm omnia iactare, concutere & confundere cõtendit, vt deinceps neq; in ciuili, neq; in Eccleſiaſtica Repub. vllus ordo, vlla Reipub. facies, vlla munium officiorumq; di-

ſtinctio, ſed horrendum chaos, palpabiles tenebræ, ac teterrima confuſio conſpiciatur. O infelicem hominem, & omni lachrymarum fonte plangendum, qui hæc dicens, hæc docens, hæc ſcribẽs, non intelligat, non agnoſcat, non ſentiat ſe infernalibus furijs exagitari. Iam quod ſcribis, politico ordini ſuum eſſe reſtitutũ honorem, id quàm verè tu dicas, ego nõ diſputo. Si tamen verum eſſet, ſanè veſtræ illud & Luteri doctrinæ acceptum ferri non poſſet. Quibus enim elogijs ille decorauerit Germaniæ principes, notum eſt. Nec ignoramus quàm non obſcurè omnem iuriſdictionem cõuellere & labefactare conatus ſit. Euangelium, inquit, & Eccleſia neſciunt iuriſdictiones, quæ ſunt niſi hominum tyrannicæ inuẽtiones, &c. ſubiungit: Nihil enim aliud commentis iuriſdictionis agit Satanas, quàm vt Tyrannis illis impunitatem peccandi & licentiam authoritatemq; præbeat extinguendi euangelij. Hæc ibì & alijs in locis Luterus. Ipſe ergò Luterus potiùs neſcit quid dicat Euãgelium, quid doceat Paulus ad Corinth. & ad Romanos, de iudicijs & poteſtate &c. Eccè ſic vos ordini politico ſuum reſtituiſtis honorem.

Luterus in reſponſ. ad Amb. Catharin. tom. 3. fol. 147.

Cap. 14.

Confutatur diuinis Apoſtolicisq; literis, adeoq; ipſius Luteri teſtimonio aduerſarius, docẽs hominem debere certa fide credere ſe indubitatò ſaluum fore: doceturq;, Chriſtiano etiàm neceſſarium eſſe pium timorem: & id quamobrèm, ſcripturarũ Patrumque doctrina luculentèr & copioſè demonſtratur.

EX eodem ſpiritu profectũ eſt, quod ſequitur. Cùm enim omnem ſubſtantiam erogârunt miſelli ruſtici ſacrificulis ad pacificandas conſcientias, inanes tamen ſunt dimiſſi, edocti ſcilicet neſcire hominem an odio vel amore DEI dignus &c.

Vide latiùs epiſt. noſtrã ad D. Martinum Eiſengreiniũ annexã epiſtolis Matthiæ Bredé. de negoc. religion.

Equidem paucos, immò nullos eſſe puto ruſticos, qui omnem ſubſtantiam erogauerint ad pacificandam conſcientiam: & ſi quid fortaſsè olìm pio affectu Eccleſiæ obtulerunt, nouum id non fuit, cùm idem in primitiua Eccleſia, ac temporibus Apoſtolorum non

semèl factitatum legimus, conscientiam si pacificare, & criminibus exonerare cupiuerunt, in eo illos desiderij sui cōpotes factos, atq; etiamnùm hodiè fieri non dubito, (quantum quidem Religio & fides Christiana permittit) modò eam consciētiæ pacem debita ac legitima ratione sibi comparare studeant. Quotquot enim pio ꝓposito & religioso affectu, de appropinquante cælorum regno, & reddenda villicationis ratione cogitantes, resipiscētiam meditantur, vitam in melius commutant, peccatorum veniam deprecātur, & dignos pœnitentiæ fructus faciunt: Qui conuertuntur ad Deum in toto corde suo, in ieiunio & fletu & plāctu: qui se repræhendūt agentes pœnitentiam in fauilla & cinere: qui dum peccârunt, non adijciunt iterùm, & de præteritis deprecantur Dominum, hos Ecclesia de bonitate & misericordia sponsi sui confisa, sempèr in gratiam recipit, & de peccatorū venia benè sperare iubet. De talibus enim loquitur D. Petrus: Sic abundantèr ministrabitur vobis introitus in regnum æternum Domini nostri Iesu Christi. Tales in spem consequendæ salutis erigit Iudas Apostolus: Expectantes, inquit, misericordiam Domini nostri Iesu Christi in vitam æternam.

In Actis Apost.

An homo teneat credere certò sibi remissa peccata, & certo salutē se adepturū

Luc. 3. Matt. 3. Ioel. 2. Iob 42. Eccl. 21.

Quoniam autem non Ecclesia, sed solus Deus cor & renes scrutatur, ità vt certò diffinire nequeat, verámne an falsam pœnitentiam egerit peccator, & an verè proponat prioribus peccatis non adijcere ampliùs, non solet Ecclesiæ huic vel illi certā iustificatiōem addicere, cùm non iudicet de occultis: hoc enim soli Deo concedit. Verùm si talis sit pœnitens, qualem suprà descripsimus, accepta solutionis claue pœnitentem absoluit, & quatenùs veram pœnitentiam egerit, de misericordia sponsi sui bonam spem concipere iubet. Atq; id non ex inclementia, sed ex mandato sponsi facit, dicentis: Cùm feceritis omia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus. Et per Sapiētem: De propiciato peccato noli esse sinè metu. Prauum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? Nescit homo vtrū odio an amore dignus sit. Si voluero me iustificare, os meum condemnabit me: si innocentem ostendero, prauum me comprobabit: etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Sed respondebit Smidelinus: Hæ sententiæ non refutant certitudinem salutis quam habemus in Christo per fidē,

Lucæ 17. Eccl. 5. Hiere. 17. Eccēs. 9. Iob. 9.

ſed humanorum operum meritum ſolùm condemnant, vt diſcant in ſolius Chriſti merito acquieſcere. Verùm dic mihi, Smideline, cur Apoſtolus Petrus tam grauitèr monet, vt ſatagamus per bona opera certam facere vocationem noſtram? Quarè alibì ait, Chriſtum ità paſſum eſſe ꝓ nobis, vt ſequamur veſtigia eius? Cur Chriſtus ipſe totiès monet vigilãdum? Quarè D. Paulus caſtigat corpus ſuum, & in ſeruitutem redigit? cur metuit nè reprobus efficiatur? Si Paulus qui erat omniũ firmiſſimus, (inquit Chryſoſtomus) formidauit, quidnam nos dicemus? An putas Apoſtolum non habuiſſe fidem in Chriſtum? Certè tantam habuit, quantam alius quiſquam. Cur non màluit excitare certam de habenda per Chriſtum ſalute confidentiam, idq; in ieiunijs, in vigilijs multis, atq; vt alibì
1. Cor. 9. refert, caſtigare corpus ſuum, nè reprobus efficeretur? In quo ſi tu cum tuis gregalibus imitari màlles Apoſtolum, quàm ſolam de ſalute per Chriſtum fidem cõcipere, pauciores proculdubiò ſua opinione deciperentur. Decipi enim pleroſque hac ſua ſtulta confidẽ-
fol. 380. tia, tu duobus in locis aſſeris, aduersùs D. Staniſlaum Hoſium. Sed audiamus quàm bellè incertam hanc certitudinem excuſes. Si quis opinione ſua decipiatur, fallacia eſt accidentis. Non opinamur, ſed ſcimus quòd filij Dei ſimus, cùm alij ſua opinione decipiãtur. Verùm quæro ex te Smideline cauſam huius deceptionis: Quid facilius, quàm ſtulta confidentia credere ſe filium DEI? habiturum ſe ſalutem per Chriſtum? An ideò pleriq; veſtrûm decipiuntur, quia hanc confidentiam arripere noluerunt? an verò, quia non potuerunt? Si dicas noluiſſe, ineptum eſt, ſi dicas non potuiſſe tantundẽ. Oportet igitur longè aliam eſſe huius deceptionis cauſam, nimirũ quia non imitati ſint Apoſtolum in coërcendis carnis affectibus,
Luc. 12. nè reprobi efficerentur: non pręcinxerint lumbos ſuos, non habu-
Matt. 25. erint lucernas ardẽtes in manibus ſuis, & oleum in lampadibus, id eſt, vt interpretatur Chryſoſtomus & Theophylactus, non habuerint bona opera, non ſategerint per hæc ipſa certam facere vocationem ſuam. An illi nõ habuerunt fidem in Chriſtum, qui dicebãt,
Matt. 7. Dñe Dñe, nónne in nomine tuo prophetauimꝰ, dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus? Quid verò audièrunt à Chro? Diſcedite à me operarij iniquitatis. Traducis nos Smideline, quaſi potiſſimã

no-

nostram spem & fiduciam collocemus in meritis bonorum operũ. Sed non ignoras te hîc improbè mẽtiri. Christi merito primas tribuimus, nõ nobis, vt ex nobis, vtì loquitur Augustin⁹ & ipse Apostolus, & scimus non esse aliud nomen sub cælo, per quod oportеat nos saluos fieri, quàm in nomine Iesu: sed quia nemini, tametsi omnem fidem in Christum collocanti, ocioso & rerum omnium securo salutem obtingere, ex sacris literis didicimus, mâlumus inuocato Dei auxilio per bona opera certiorem facere vocationem nostram, quàm vobiscum stulta confidentia incertam salutis certitudinem amplecti: nè vbì tecum decepti fuerimus, dicas id fieri ꝑ fallaciam accidentis. Ibunt enim hi qui mala egérunt, in resurrectionem condemnationis: qui verò bona, in resurrectionem vitæ, non qui confidentèr appræhenderunt spem salutis per Christum. Non idem est, Smideline, credere nos perseuerantiæ præmium habituros per solum Christum: &, credere nos in Christo perseueraturos. Quorum hoc posterius dum negamus certò credendum, tu vnà cum Brentio tuo in nos insurgis, quasi negemus salutem quæ nobis obtingat, per Christum obtingere. In quo sanè quanta fide nobiscum agatis, æquus lector non obscurè perspicit. Dicimus cũ Augustino: Sancti licèt de suæ perseuerantiæ præmio certi sint, de ipsa tamen perseuerantia sua reperiuntur incerti. Quis enim hominum se in actione profectuq; iustitiæ perseueraturum vsque in finem sciat, nisì aliqua reuelatione ab illo fiat certus, qui de hac re iusto latentique iudicio non omnes instruit, sed neminem fallit? Hæc ille. Quæ si vera nõ sunt, quur Apostolus ad Hebræos inquit: Timeamus, nè fortè relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, existimetur ex nobis aliquis deesse: si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem: quomodò nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Et idem Apostolus ad Romanos: Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, nè fortè nec tibi parcat. Vide ergò bonitatem & seueritatem Dei, in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem, in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate: alioquìn & tu excidéris. Eccè hũc timorem & rectè agendi

2.Cor. 3.
Act.4.
Ioan.5.
In lib. aduersùs D. Stanislaum Hosium.
lib.11. de ciuitat. Dei cap.12.
Heb.4.
Rom. 11.

solicitudinem passim inculcant sacræ literæ, quem timorē illa securitas & stulta persuasio funditùs euertit. Rectiùs igitur Augustinus in supradictum Pauli ad Romanos locum: Quòd perseueraturis sic ista dicuntur, inquit, quasi eos perseueraturos, habeatur incertum: non alitèr hoc audire debent, quibus expedit non altum sapere, sed timere. Quis enim ex multitudine fidelium, quandiù in hac mortalitate viuitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat: quia id occultari opùs est in hoc loco, vbì sic cauenda est elatio, vt etiàm per satanæ angelum, nè extolleretur, tantus colaphizaretur Apostolus? Hinc & Apostolis dicebatur: Si manseritis in me, dicente illo, qui illos vtiq; sciebat esse mansuros. Et per Prophetam: Si volueritis, & audieritis me. Cùm sciret ipse, in quibus operaretur & velle. Et similia multa dicuntur propter huius vtilitatem secreti, nè fortè quis extollatur, sed omnes etiàm qui benè currunt, timeant, dum occultum est quò perueniāt. Propter huius ergò vtilitatem secreti, credendum est, quosdam de filijs perditionis non accepto dono perseuerantiæ vsq; in finem, in fide quę ꝑ dilectionem operatur, incipere viuere, & aliquandiù fidelitèr & iustè viuere, & posteà cadere, neq; de hac vita, priusquàm hoc eis cōtingat, auferri. Quorum si nemini contigisset, tandiù haberent homines istum saluberrimum timorem, quo vitium elationis opprimitur: donèc ad Christi gratiam, qua piè viuitur, peruenirent, illo deincèps iam securi, nunquàm se ab illo esse casuros. Quę præsumptio in isto tentationum loco non expedit, vbì tāta est infirmitas, vt superbiam possit generare securitas. Hæc ibì D. Augustinus. Et rursùm alibì: Quos, inquit, prædestinauit, ipsos & vocauit, vocatione illa de qua dictum est: Sinè pœnitentia sunt dona & vocatio Dei, ad quam vocationem pertinere nullus est homo ab hominibus certa asseueratione dicendus, nisì cùm de hoc seculo exierit: in hac autem vita humana, quæ tentatio est super terram, qui videtur stare, videat nè cadat. Ideò quippè non perseueraturi perseueraturis prouidentissima Dei voluntate miscentur, vt esse discamus nō alta sapientes, sed humilibus consentientes, & cum timore & tremore nostram ipsorum salutem operemur. Similia videre est apud Chrysostomum in 3. cap. Epist. ad Philipp. Falsò igitur & improbè sa-

De correp. & gra. ca. 13.

2. Cor. 12.

Ioann. 15.

Esa. 1.

De bono perseuerāt. ca. 13.

Rom. 11.

Iob 2.

ſacerdotes criminaris, Smideline, quòd non eo modo pacificant conſcientias,& iuſtificant,quo vos vultis:hoc enim eſt feneſtram aperire ad omne ſcelerum & improbitatis genus.Impia hæc eſt & plusquàm phariſaica arrogantia,purum ſe credere à peccatis, cùm dicat Ioannes:Si dixerimus quia peccatum non habemus,ipſi nos ſeducimus,& veritas in nobis non eſt.Vos igitur eſtis, qui iuſtificatis vos coram hominibus.Deus autem nouit corda veſtra: quia quod hominibus altum eſt,abominatio eſt apud Deum. Neq; ſolùm vos tam eſtis puri & mundi Dei filij,in quibus macula non inuenitur:ſed & Zuingliani,ſed & Anabaptiſtæ hanc tam blaſphemã ſuperbiam vobiſcum ſibi communem habent. Et vt hæreticorum proprium eſt ſuperbire,ità iam olìm ante annos mille quidam qui ſe Catharos,hoc eſt,mundos dicebãt,hac ſuperbia ſeſe extulerũt, de quibus apud Epiphanium. Quemadmodùm igitur Euphorbus (referente poſt Naſonem Hieronymo) in Pythagora renatus phibetur,ità in vobis blaſphema Catharorum ſuperbia reuixit,qui iuſtificatis vos corã hominibus,qui nullis pœnitentiæ fructibus egetis,qui non opùs habetis conuerti ad Dominum in ieiunio, in fletu,in planctu, qui non opùs habetis vereri omnia opera veſtra, qui non opùs habetis cum Niniuitis in cinere & cilicio pœnitentiam agere,quibus ſufficit ſtulta confidentia appræhendere iuſtitiam & puritatem.Vos eſtis illorum ſerpentina progenies,de quibus Sapiens:Sunt impij,inquit,qui ità ſecuri ſunt, quaſi iuſtorum facta habeant.Et ſanctus ille martyr Cyprianus,Datur,inquit,opera nè ſatisfactionibus & lamentationibus iuſtis delicta redimãtur, nè vulnera lachrymis abluantur. Pax vera falſæ pacis mendacio tollitur &c.Et paulò pòſt: Ira Dei eſt, non intelligere delicta, nè ſequatur pœnitentia,ſicut ſcriptum eſt:Et dedit illis ſpiritum tranſpunctionis,nè reuertantur ſcilicet & curentur, & deprecationibus & ſatisfactionibus iuſtis peccata ſanẽtur.Primus felicitatis gradus eſt, nõ delinquere: ſecundus, delicta agnoſcere &c. Hæc ibì Cyprianus lib.1.epiſt.3.quem Philippus veſter atro admodùm & verè Melanchthonico carbõe pſtrinxit,ꝙ vrgeat pœnas canonicas:vtpotè pœnarum & pœnitentiæ, tanquàm gniſius deorum filius, certus de hæreditate cæleſti,pertæſus. Populе meus, qui te beatum dicunt,

1.Ioan.1.
Matt. 23.
Contrà Vigilantium.
Eccleſ. 8.
li. 1. epiſt.3.
Rom. 11.

Esa.3. ait Propheta, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipāt.
Phil. Melā. Si cadere non poſſumus, inquit Hieronymus lib.2.aduersùs Iouinianum, quid ſibi vult ſcala illa in Bethel, per quam angeli deſcēdunt atq; aſſcendunt,qui de cælis ad terram veniunt? Certè ad dextram ſtabant dum ibì eſſent. Angeli de cælis deſcendunt, & Iouinianus de eorum poſſeſſione ſecurus eſt? Hæc ſunt ſibila ſerpentis antiqui,his conſilijs draco de paradiſo hominem expulit. Nam & ille repromiſit eos immortales futuros, quaſi nunquàm poſſent corruere:& dum diuinitatem æqualem Deo pollicetur,expulit eos de paradiſo: vt qui nudi & expediti,Domini conſortio fruebant̄, deiecti in vallem lachrymarum, tunicis conſutis & pelliceis veſtirentur.hæc ille. Vtinàm cū Paulo dicere poſſemus: Nihil mihi cōſcius ſum:libentèr & alterum diceremus, Sed non in hoc iuſtificatus ſum. Vos ſi omnia feceritis, dicite vos vtiles ſeruos, iuſtificate vos coram hominibus:Deum tamen non irridebitis, qui ſuo tempore reuelabit & iudicabit abſcondita cordium. Cæterùm ex te quæro,qui iam alterum pedem habes neſcio in quo cælo,quomodò cum hac ſalutis & gratiæ certitudine cohæret tui magiſtri Luteri doctrina,qua docet,In omni opere bono iuſtū peccare: Opus quantunuìs bonum,eſſe veniale peccatum:Item,neminem certum eſſe ſe non ſempèr peccare mortalitèr? Quod poſtremum ijſdē argumentis propugnat,quibus ego veſtram certitudinem oppugno. Hic articulus non eſt meus,inquit Luterus,ſed Iob 9.Etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea. Et Gregorius ibidèm ſuper illo,Verebar omnia opera mea, ſciens quoniam non parcis delinquenti,dicit:Quia quæ apertè egerim,video:ſed quæ intùs latentèr pertulerim,ignoro. Et paulò pòſt ſubnectit Luterus: Dāna mi Papa,damna hos ſanctos viros Iob & Gregorium. Adde his ea q̃ dicta ſunt à Dauid: Nō iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens,vt & te damnet Dominus Ieſus propediè̀m. Hæc ibì Luterus, cum quibus q̃ bellè veſtra doctrina cohæreat, vel cæco fuerit perſpicuum. Sic ſanè neceſſum eſt euenire,vt diſcipuli à magiſtris diſſentiant,quandò & ipſi magiſtri à veritate recedunt.

Marginal notes: lib. de Ecclesia. — Gen.28. — 1. Cor.4 — Luterus in aſſertion. — Pſal. 142.

Cap. 15.

Ex-

Explicatur fusè & elegantèr locus Deuteronomij 17. cap. Indicabunt tibi iudicij veritatem, esseq́; hæc verba non mãdati, (vt vult aduersarius) sed promißionis, idq́ue docetur ex Græco, Hebræo & Chaldæo textu.

Vidisti nunc, pie Lector, Smidelinianam arietationẽ cõtra illud monostichon, Tu supplex ora &c. vidisti insupèr depulsionem nostram. Opinor autem te iam ex hac pugnæ nostræ prothasi animaduertere soliditatem & firmitudinem istius castelli, libelli (inquam) de componẽdis dissidijs, vtpotè quod ne illis quidem in partibus luxari aut labefactari potest, quæ hosti videntur maximè infirmæ. Progreditur nunc ad proximam ferè turrim, petris Mosaicis, immò diuinis, ex cap. 17. Deuteron. petítis extructam, eamq́; tãtò furiosiùs oppugnat, quãtò maiorem mentiendi & calumniãdi opportunitatem se nactum arbitratus est. Ac tametsi pium lectorem, qui Bredenbachij libellũ perlegerit, hæ tam longæ, ꝓlixæ, & fastu plenæ præstigiæ nihil mouere possint, nihilo seciùs pauca etiàm adferemus, quibus fraudulentæ Smidelini sycophantiæ aliquãtò euidẽtiùs elucescant. Principiò ait, Bredenbachium deprauare sententiam Moisis, dum eam tanquàm promissionem, & non tanquàm mandatum Domini vult intelligi: posteà multis paginis eum blasphemiæ accusat, qui dixerit, etiàm penès iniustos Christi iudices iudicij veritatem fuisse.

Vtrunque, videlicet promissionem, & iudicij veritatem, solidis argumentis probauit Bredenbachius, & ferè ijsdem posteà vsus est amplissimus Dominus Stanislaus Hosius, propter admirabilem & multijugam eruditionem, cum Heroicis virtutibus & vitæ sanctimonia coniunctam, iam olìm ex Episcopo in Cardinalitium ordinem allectus, cuius tam exacto iudicio & doctrinæ, expositionem & sententiam Bredenbachij per omnia conuenire videbit pius Lector. Attamen nè pugnam detrectare videamur, pauca ad defensionem veritatis in medium proferemus. Quæ vt pio lectori clariùs sese exhibeat, principiò LXX. interpretes consulemus, deindè ad fontem ipsum, hoc est, Hebraicam veritatem recur-

lib. 2. cõtra Prologemenon Brentij.

Deut. cap.17. verba Indicabunt tibi iudicij veritatem, esse ꝓmissionis, & non mādati.

remus:postremò Chaldaicam quoq; interpretationem adhibebimus. LXX hũc locũ Græcè ità reddiderũt: Ἐὰν δὲ ἀδυνατήσῃ ῥῆμα ἀπὸ σοῦ ἐν κρίσει ἀνὰ μέσον αἷμα αἵματοσ, καὶ ἀνὰ μέσον κρίσισ κρίσεωσ, καὶ ἀνὰ μέσον ἁφὴ ἁφῆσ, καὶ ἀνὰ μέσον ἀντιλογία ἀντιλογίασ, ῥήματα κρίσεωσ ἐν ταῖσ πόλεσί σου, καὶ ἀναστὰσ ἀναβήσῃ εἰσ τὸν τόπον, ὃν ἂν ἐκλέξηται κύριοσ ὁ θεόσ σου ἐπικληθῆναι τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐκεῖ. καὶ ἐλεύσῃ πρὸσ τοὺσ ἱερεῖσ τοὺσ λευίτασ, καὶ πρὸσ τὸν κριτὴν ὃσ ἂν γένηται ἐν ταῖσ ἡμέραισ ἐκείναισ, καὶ ἐκζητήσαντεσ ἀναγγελοῦσί σοι τὴν κρίσιν, καὶ ποιήσεισ κατὰ τὸ ῥῆμα ὃ ἂν ἀναγγείλωσί σοι ἐκ τοῦ τόπου ὃν ἂν ἐκλέξεται κύριοσ ὁ θεόσ σου καὶ φυλάξεισ σφόδρα ποιῆσαι κατὰ παντὰ ὅσα ἂν νομοθετηθῇ σοι. κατὰ τὸν νομὸν καὶ κατὰ τὴν κρίσιν ἣν εἴπωσι ἂν σοι ποιήσεισ, οὐκ ἐκλινεῖσ ἀπὸ τοῦ ῥήματοσ οὗ ἂν ἀναγγείλωσί σοι δεξιὰ οὐδὲ ἀριστερά. καὶ ὁ ἄνθρωποσ ὃσ ἂν ποιήσῃ ἐν ὑπερηφανίᾳ τοῦ μὴ ὑπακοῦσαι τοῦ ἱερέωσ τοῦ παρεστηκότοσ λιτουργεῖν ἐπὶ τῷ ὀνόματι κυρίου τοῦ θεοῦ σοῦ ἢ τοῦ κρίτου ὃσ ἂν γένηται ἐν ταῖσ ἡμέραισ ἐκείναισ, καὶ ἀποθανεῖται ὁ ἄνθρωποσ ἐκεῖνοσ, καὶ ἐξαρεῖσ τὸ πονηρὸν ἐξ ἰσραὴλ.

Quæ Latinè ſic ferè ad verbum exprimuntur: Si autem impoſſibile fuerit verbum à te in iudicio inter ſanguinem & ſanguinem, & inter iudicium & iudicium, & inter lepram & lepram, & inter cõtradictionem & contradictionem, verba iudicij in ciuitatibus tuis: ſurges & aſſcendes ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus ad inuocandum nomen eius illic. Et venies ad ſacerdotes Leuitas, & ad iudicem qui fuerit in diebus illis: & exquirentes annunciabũt tibi ipſum iudicium, & facies ſecundùm verbum quod annunciabunt tibi ex loco quem elegerit Dominus Deus tuus, & cuſtodies valdè, vt facias iuxta omnia quæcunq; ſancita fuerint tibi. Non declinabis à verbo, quod annunciârint tibi, ad dextram nec ad ſiniſtram. Et homo qui fecerit in ſuperbia, nè audiat ſacerdotem ſtantem ad miniſtrãdum in nomine Domini Dei tui, aut iudicem qui fuerit in diebus illis, morietur ille homo, & auferes malum ex Iſrael.

Hebraicã porrò veritatem hunc in locum ità ad verbum reddidit Ioãnes Stunica Hiſpanus, vir trium linguarum peritia inſignis, at Hebraicæ inprimis (teſte Alberto Pighio, qui Romæ familiaritèr cum eo vixit) peritiſſimus. Stunicæ etiàm conſentit Ioannes Benedictus in marginalib. Bibliorũ annotatiõibus in cap. 17. Deut.

Cùm abſcondita fuerit à te res, deducta ad iudicium inter ſanguinem & ſanguinem, inter cauſam & cauſam, inter lepram & leprã, verbaq; contentionum in portis tuis: ſurges & aſſcẽdes ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus in eo, & venies ad ſacerdotes Leuítas, & ad iudicem qui fuerit in dieb' illis, & requires, & annũciabunt tibi verbum iudicij. Et facies iuxta verbum quod annunciabunt tibi, de loco quem elegerit Dominus, & cuſtodies vt facias iuxta omne quod te docuerint. Iuxta legem quam docuerint, & iuxta iudicium quod dicent tibi, facies. Non diſcedes à verbo quod annunciauerint tibi, ad dextram aut ſiniſtram. & vir qui fecerit in ſuperbia, nè audiat ſacerdotem ſtantem vt ſeruiat ibì Domino Deo tuo, aut iudicẽm, morietur vir ille, & auferes malum de Iſrael.

Et hîc nota q̃ ſimpliciter & ſinè vlla conditione parẽdum ſit ſacerdotali iudicio.

Hæc eſt eius loci iuxta Hebraicam veritatem ad verbũ expreſſa ſententia, editioni Septuaginta Interpretum per omnia conformis, nisì quòd eſt aliquanto clarior & apertior. Interpretatio verò Chaldaica Pentateuchi, iuxta tranſlationem, quam imprimendam curauit Reuerendiſſ. quondàm D. Franciſcus Cardinalis Toletanus, habet in hæc verba: Si difficile tibi fuerit verbum iudicij inter ſanguinem & ſanguinem, inter cauſam & cauſam, inter plagam lepræ & plagam lepræ, & fuerint verba iudicum diſcordantia in ciuitatibus tuis, conſurges & aſſcendes in locum, quem elegerit Dñs Deus tuus, & venies ad ſacerdotes Leuítas, & iudicem qui fuerint in diebus illis, & quæres ab eis, & annunciabunt tibi verbum iudicij. Et facies ſecundùm verbum quod nunciârint tibi de loco quẽ elegerit Dominus. Et cuſtodies vt facias iuxta omnia quæ docuerint te. Iuxta præceptum legis quod docuerint, & ſecundùm iudicium quod dixerint tibi, facies. Non declinabis à verbo quod iudicauerint tibi, ad dextram, neq; ad ſiniſtram. Vir autem qui malignè egerit, vt non obediat ſacerdotibus, qui ſtant ibì vt miniſtrẽt coram Domino Deo tuo, aut iudici, occidetur vir ille, & auferes facientem malum de Iſrael. Et omnis populus audient & timebunt. &c.

Vides in his omnibus clariſſima legis verba, quæ ſuperbis & inobedientibus nullam excuſationem relinquunt. Quin & diligen-

tèr tuo iſti, Smidelinc, tam fanatico errori occurrũt, quo pulcherrimum illum tabernaculi ordinem planè inuertere moliris, & ipſos litigantes & iudicium petentes, iudices conſtituis, contra manifeſtam DEI legem & rectam rationem. Præuidit ſanè diuinus ſpiritus, hæc nouiſſima tempora, in quibus doctrinam ſanam reiecturi eſſent homines, & ad ſua deſideria coaceruaturi ſibi magiſtros prurientes auribus, eoq́; dixit, Et facies iuxta verbum, quod annũciabuut de loco quem elegerit Dominus, & cuſtodies valdè, vt facias ſecundùm omia, quæ te docuerint. Neq; addit hîc tuã illã limitationem, tuum inobedientiæ ſubterfugium, vt ea tantùm iubeat facere, quæ nos docuerint iuxta legem Domini, ſed ſimplicitèr iubet diligentèr valdè obſeruare, vt faciamus ſecundùm omnia quæ nos docuerint. ibì enim diuiſa eſt ſententia, tam apud Septuaginta, quàm in Hebraica veritate. Statuit autem vbiq; duo hæc e regionè, ea coniungens diuerſitatis copula, videlicet, vt faciamus iuxta verbum (hoc eſt, præceptum aut iudicium) quod nunciauerint, & iuxta doctrinam quam docuerint. Quorum primum, ad ſupremã illam iudiciariam authoritatem pertinet: ſecundum verò, ad illam facultatem definiendi dubia, circa legem & religionem incidentia. Nec cõtentus ſemèl hæc dixiſſe, iterùm iterumq́; inculcat ac repetit: Iuxta legem, inquit, quam docuerint, & iuxta iudicium, quod dicent tibi, facies. Quandò de legis præceptis cæremonijsq́ue eſt quæſtio & ambiguitas, tunc iuxta legem quam docuerint, facies: hoc eſt, quicquid illi legis eſſe docuerint. Cùm verò ambiguum aut difficile eſt iudicium cuiuſcunq; alterius negocij, quod intrà portas tuas ritè expediri non potuit, quodcunq; tunc ius aut iudicium dixerint, facies: nihil tuo in his omnibus iudicio, nihil tuæ ſententiæ reſeruatum volo. Nec enim declinabis, inquit, à verbo quod dixerint tibi, ad dexteram aut ſiniſtram. Quòd autem iſtorũ ſeu iudicium ſeu doctrinam, perindè à nobis accipi voluerit, tanq̃ ſuum ipſius de loco illo per os eorum nobis loquẽtis, indicat horribilis pœna, quam in rebelles & inobedientes conſtituit: & vir, inquit, qui fecerit in ſuperbia, nè audiat ſacerdotem, ſtantem vt ſeruiat ibì Domino Deo tuo, ſeu (vt habet noſtra tranſlatio) Qui ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore mini-

niſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael.

Cap. 16.

Demonſtratur idem ex Iudæorum Rabbinis & alijs rationibus.

VIdes iam Smideline, te cum tuo Lyrano nimìs delirâſſe, quandò tam abſurdam eius loci interpretationem adducis. Quem tuum tam delirum errorem, cùm pluribus tibi demonſtrare cogitarem, (tametſi hæc abundè ſufficiant) commodùm incidi in Epiſtolam præſtantiſſimi cuiuſdā ac trium linguarum callentiſſimi viri, olìm à viro quodam docto mihi communicatam, in qua veram huius loci ſententiam ex Hebraica veritate & Iudæorum Rabbinis produxit. Si earum rerum, inquit, quæ apud tuum tribunal agitantur, vlla apud te dubia erit, quo ad iudicium inter ſanguinem & ſanguinem, inter cauſam & cauſam, & inter plagam & plagam, tunc ſurges & aſſcendes in eum locum, quem elegit Dominus Deus tuus. Et venies ad ſacerdotes Leuítas, & ad iudicem qui erit illo tempore. Et interrogabis, & ſignificabunt tibi quod in eo iudicio erit agendum. Et facies iuxta id qund ſignificabunt tibi ex loco eo quem elegit Dominus. Et obſeruabis vt facias iuxta omne id quod docuerint te, iuxta legem quam te docebunt, & iuxta iudicium quod tibi dicent, facies: nō declinabis ab eo quod dicent tibi, neq; ad dexteram, neq; ad ſiniſtram. Et quiſquis per ſuperbiam &c. Hîc ego legem, hoc eſt, תּוֹרָה non pro Moſis lege accipio, tametſi exiſtimem Deum, vt vulgò dicimus, præſupponere illos qui ſummo tribunali præſunt, nihil cōtra Moſis legem acturos. Sed legē hîc dici videre videor, id quod inferioribus & interrogantibus iudicibus à ſummis illis reſpondetur, & agendum præſcribitur. Nam hoc Deus tam vult eſſe ratum, vt tandèm capitalem etiàm pœnam addat. Neq; enim memini (ſed facit hæc ægritudo infirmiſſimam & minimè promptam memoriā meam) in ſacris biblijs vocem התורה ſic ſimpliciter poſitā, pro Moſis lege in vſu eſſe, ſed in illis perpetuò aliquid adijci, ex quo certò

constat de hac lege agi, velutì loquente DEO, legem meam, legem quam dedi vobis &c.

Item lex Dei quæ scripta est in libro hoc, & his similia. Et vt cõcedam, תורה hoc loco pro lege Mosis accipi, tamen hoc certũ erit ex his verbis, ipsam legis interpretatiõem penès supremos iudices esse, quam interpretationem qualemcunq; reddiderint, inferiores illi pro oraculo amplecti debeant. Iam verò quod Lyranus conditionem affingit, hoc mihi non videtur interpretari textum, sed nouum textum texere. Nam neq; ipsa etiàm verborum series vllo modo conditionem admittit, nisi om̃ia sursùm deorsùm misceas atq; peruertas. Quòd porrò hunc quidam nostro tempore libẽtèr hoc vno loco sequantur, faciunt fortasse, vt suis erroribus præsidium quærant. Equidem ridiculum etiàm puto, eos iam iudices atq; cẽsores facere de responso supremi tribunalis, sítne secũdùm legem, an minimè, qui ignari quid lex de ꝓposita rei specie cẽseret, ipsum illud tribunal consultum venerant. Sed quid meis verbis te distineo? Rabbinorum sententiam petijsti. Igitur R. Moses filius Nechmanni hæc ferè in hunc locum scribit: Etiamsi putes illos errare, & te tam esse certũ, q̃ es discriminis inter dexterã tuam sinistramq́;, tamen obtemperandum tibi est illorum præcepto. Neq; dicas, quî possum hunc hominem innocẽtem interficere? sed sic dicas, Is qui est Dominus pręceptorum, iussit me facere iuxta omnia quæ docuerint me ij, qui stant coram ipso in loco quem elegit, & pro illorum sententia mihi legem dedit, etiamsi errent. Quomodocunq; enim illi legem intelligant, obsequendum tibi est, quia spiritus Dei est super ministros sanctuarij sui, neq; destituet sanctos suos, in seculum custodientur ab erroribus, &c. Rabbi verò Salomon Gallus, quod quidem ad rem faciat, sic ait: Et ad iudicem qui erit illo tempore, etiamsi non fuerit, quales fuêre iudices ante ipsum, tamẽ tu debes ipsi obtemperare. Neq; enim alium habes iudicem, quàm eum qui tuo tempore est, ad dexteram aut sinistrã, hoc est, tametsi dixerit dextrum esse sinistrum, aut sinistrum dextrum. Hęc ille.

Deute. verba esse promissionis, nõ mãdati, docet̃ sententijs Rabbinorum.

Rabbi Leui.

Rabbi deniq; Leui, Gersonis filius, hæc ferè scribit, quæ huc spectare possunt: Et significabunt tibi &c. vt ipsis videtur, siue ex traditione, siue ex sua ipsorum opiniõe. Et obseruabis vt facias. Ostẽdit

dit nos illorum verba ſequi debere, non alitèr atquè Moiſis legem, prætereà etiàm illorum interpretationem legis nō declinabis. Monet nullo modo tranſiliendum eſſe id, quod illi aut ſuis dictis, aut ex legis interpretatione nobis præſcripſerint. Hoc Leui. Quibus Pauli Fagij, hominis mihi quādò viuebat amiciſſimi, quem honoris cauſa nomino, explicationem libentèr adijcio. Scribit autem in hunc locum, ex Chaldæo à ſe verſum, hæc: Tria genera doctrinarum ac ſententiarum veteribus fuerunt. Primum, quod receptū credebatur à Moſe ac prophetis, cabalam vocant. Secūdum, quod opinione iudicum conſtitit, vt in ſcripturæ locis enarrandis: Deindè in ſententia ferenda, & reſpondendo de lege, ſæpiſſimè coniecturis connixi ſunt. Et tamen quod ſic erat pronunciatum, pro lege recipiebatur. Tertium genus, quod ſtatuunt vltra legem, quaſi legis ſepem. Hoc Chriſti Dñi ætate inuerterant: nā propter traditiones ſuas legem Dei reliquerant. Tria autem genera traditionum, hoc loco Lex dicuntur. Et paulò pòſt: In Thalmud ſcribitur, Chriſtum illis eſſe damnatum. Cæterùm accuſationem falsò intēderunt, quia nunquàm voluit pontificum & Phariſęorum, tāquàm iudicum authoritatem eſſe conuulſam, ſed ſtabilitam potiùs, Mat. 23. Hæc Fagius ferè, quanquàm multa prætermiſerim, ſcitè & doctè ab eo illic dicta, nè longior fierem. Cum quibus ferè Chaldaica editio: neq; vllum vidi, quòd memini, qui conditionem illam ponat. Hactenùs Epiſtola illius τριγλώττου.

Tria gña doctrinarū apud Iudæos.

Cap. 17.

Non eſſe nouum aut impoßibile, Cathedram Moſis in Cauſarum iudicijs non potuiſſe errare, cùm non ſit de promittentis Dei fide dubitandum, & vnicuiq; myſtici corporis membro inſtilletur à capite facultas ſuam functionem exequendi, quod veteris teſtamenti exemplis docetur, multoque magis hanc facultatem collatam ſummo illius Cathedræ præſidi.

EXistimo me hunc nodum, quem delirus cum suo Lyrano Smidelinus, tam infelicitèr cõnexuit, satis planè dissoluisse: non enim truncata aut obliquè detorta legis verba produximus, sed quod erat subdititium & adulterinum, & à sciolo aut etiàm falsario quopiam dolosè infartum, contumaciæ & superbiæ ansam præbens inobedientibus, resecauimus. Si de iudicij veritate dubitas, respondet tibi ille, cuius verbo cæli firmati sunt, qui nec falli, nec fallere potest, cui nemo dicere potest, cur sic præcepisti? respondet, inquam, te diligentèr custodire debere, vt facias secundùm omne quod te docuerint, néve declines aut discedas à verbo, quod annunciârint tibi, ad dexteram aut sinistrã. Hæc enim est singularis illius Cathedræ, quam Dominus elegit prærogatiua, vt ex Dei promisso sempèr iudicet iudicij veritatem, aut (vt habent LXX) ipsum iudicium quod quærebatur. Nunquìd de ꝓmittentis fide dubitabimus? An verò metuimus, nè sequendo erremus? Certè si errauerimus, non dubitabo ego cum Augustino dicere: Dñe, tu decepisti me. Quòd si vita te offendat præsidẽtium, habent illi iudicem suum. Tu verò audîsti quid te oporteat facere. An verò nouum est in auribus tuis, Smideline, quòd promittat Deus præsides illos iudicij veritatem iudicaturos? Nouum sanè esse nõ potest, quod iam ex Hebraica veritate, ex LXX. interpretibus, ex Chaldaica translatione, ex præcipuis Iudæorum Rabbinis demõstrauimus. Sed fortassè nouum est, si dicamus iudices illos singulari quodam spiritu & diuinæ auræ particula dotatos à Deo, vt in iudicijs quæ recta aut praua, æqua aut iniqua sint, perspicere ac diffinire queãt, Atquì mi Smideline, si vel primis labijs sacra biblia delibâsti, nouum hoc tibi esse non potest, cùm tam multis in locis legamus vnicuiq; etiàm membro mystici corporis specialem quandam facultatem & energiam à capite instillari ad functionem suã propriam legitimè exequendam. Neq; tantùm membris illis principalibus, sed & inferioribus. Vis hoc Smideline tibi demonstrari? In Exodo de institutione tabernaculi ità loquitur Dominus ad Mosen: Eccè vocaui ex nomine Beseleel filium Huri, filij Hur de tribu Iuda, & impleui eum spiritu Dei, sapientia & intelligentia & scientia in omĩ opere, ad excogitandũ quicquid fabrefieri potest ex

Vnicuiq; mystici corporis membro instillatur à capite facultas functionem suã exequendi.

Exod. 31.

ex auro & argento & ære, marmore & gẽmis, & diuersitate lignorum, dediq; ei socium Ooliab filium Achisamech de tribu Dan, & in corde omnis eruditi posui sapientiam, vt faciant cuncta quę p̃cepi tibi. Audis Smideline, spiritum Dei illos impleuisse sapientia, & intelligentia & scientia, non ad gubernandum populum illum Domini, non ad docendam legem & eius cæremonias, sed ad excogitandum in opere mechanico, quæ fabrefieri possent ex auro, argento, reliquaq; ad vsum tabernaculi & ornatus eius necessaria materia. Rursùs cùm grauaretur Moses regimine tantæ, cui præerat, multitudinis, nec solus ferendo esset tam immenso oneri par, petijssetq; à Domino sibi ea in re dari coadiutores socios: Congrega, inquit illi Dominus, mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nôsti, ꝙ senes populi sunt & magistri, & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesq; ibì stare tecum, vt descendam & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi, & tu non solus graueris. Vides & hos electos à Mose coadiutores ad ciuile regimen, gubernationemq; populi, accepisse etiàm gratiam spiritûs, non ad quiduis, sed illud officiũ implendum, ad quod peculiaritèr assumpti sunt: Tradam, inquit, eis de spiritu tuo, vt sustentent tecum onus populi. Et iterùm: Iosue, cùm committeretur ei ducatus populi, repletus est spiritu sapientiæ, quia Moses posuit super eum manus suas. Simili modo deincèps à sacerdotibus inũcti sunt reges oleo sacro super populũ Dñi. Nec vana fuit eiusmodi vnctio, neq; nugator Deus, qui eãdem fieri præcepit & instituit, sed internam spiritûs gratiam per illam contulit: qua freti & fulti, regnum cui præficiebantur, administrare & gubernare possent. Itaq; mox vt à Samuele Saul, quantunuìs postea reiectus à Deo, in regem inunctus esset, Immutauit, inquit, ei Deus cor aliud, & insiluit in eum spiritus Domini &c. Similitèr cũ idem Samuel vnxisset Dauid in regem in medio fratrum suorum, Directus est, inquit, spiritus Dñi à die illa in Dauid & deincèps. Quòd si Deus ad mechanica illa opera destinatos cõgrua spiritûs gratia pręuenit, si electos ad prophanũ populi principatũ gerendũ spiritu sapiẽtiæ & fortitudinis, p impositionẽ manuũ sacerdotaliũ aut vnctionẽ sacri olei repleuit, nunq̃d inane reliquit summũ illud

Num. 11.
Deut. vlt.
1. Reg. 10.

& ſupremũ tribunal, de quo dixit, Iudicabunt tibi iudicij veritatẽ, non diſcedes à verbo, quod annunciauerint tibi, ad dexteram aut ſiniſtram? Nunquìd inanes reliquit illos, de quibus & alibì dixit: Ad verbum eorum omne negocium pendet? Nunquìd inanis erit Malachias, inquiens: Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam? Nunquìd inane erit pactum quod pepigit Dominus cum Leui, hoc eſt, ordine ſacerdotali? (nam Leui aliquot annorum Centenarijs præceſſerat vniuerſum illud vetus ſacerdotium) Pactum meum fuit cũ Leui, dicit Dominus exercituum: pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis, lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non eſt inuenta in labijs eius, in pace & æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate: Labia enim ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum eſt. Vides ex pacto Dei, quod poſteà exprobrat indignis ſacerdotibus, legem veritatis fuiſſe ſacerdotum Leuiticæ tribûs, nec iniquitatẽ inuentam in labijs eius. Non dicit, in manibus eius, ſed in labijs. labia enim ſacerdotis cuſtodire ſcientiam: vndè & legem requirendam ex ore eius, non autem ex operibus.

Deut. 21. Mala. 2.

Cap. 18.

An tunc demùm Iudæi ſuo iudici parére debuerint, ſi iudicaret ſecundùm legem Dei, & quatenùs legis diuinæ ſcientia à populo requiratur, cùm aduerſarius indiſtinctè velit, populum omninò teneri ad ſcientiam legis diuinæ. explicaturq; obitèr locus Deut. 6. quem ad hoc corruptè adducit.

NOn igitur ſunt friuolæ illæ ratiões, vt tu cauillaris, quas Bredenbachius adduxit, videlicèt, ſi Lyræ ſententia cõſtaret, incertam fieri promiſſionem: ſed friuolum eſt, apertoq; legis textui planè repugnans, quòd tu mandatum, nõ verò promiſſionem, in hac lege contineri aſſeris, quandò vides ipſam legis ſententiam, tuam illam tam deliram expoſitionem prorsùs refellere. Nec friuola eſt altera illa Bredenbachij ratio, qua ait: Si non eſt promiſſio, ſed mandatum: ſequeretur, illos qui veniunt ad iudicem, non venire tanquàm hos, qui iudicium petant,

petant,sed tanquàm iudices sententiæ ipsius iudicis:quo quid potest dici absurdius? Nónne enim absurdum, immò ridiculum est, eos iudices atq; censores facere de responso supremi tribunalis, sit'ne secundùm legem,an minimè, qui ignari quid lex de proposita rei specie cẽseret,ipsum illud tribunal consultum venêre? Hác nimis ridiculam absurditatem vt aliquo colore fucet & exornet Smidelinus,ità subiungit: Non enim tollitur iudicis officium, sed confirmatur,cùm etiàm ipsi subditi,inter quorum causam & causam summus Pontifex iudicat,legem adferant ad suæ causæ bonitatem comprobandam.Et cùm secundùm legem, siue ex lege iudicium formare cogatur summus pontifex, legis autem cognitio etiàm à populo exigatur Deut.6.&c. Præclarum scilicèt pallium, quo nescio an obstinatam illam deplorati animi sui malitiam magìs tegat,an potiùs summam vecordiam & inscitiam detegat.Quæ vesania mentem tuam exagitat Smideline, vt in re tam seria tam turpitèr & impudentèr nugeris?Legis verba, de quibus nunc controuertimus,sic habent:Si difficile & ambiguum fuerit iudicium &c. venies ad sacerdotes Leuitici generis. Sin de legis sententia constat,si causæ definitio in promptu est, non est iudicium ambiguum:nec opùs est ab inferioribus iudicibus intrà portas ciuitatũ constitutis prouocare ad summum tribunal. Quod autem ais, Et cùm secundùm legem iudicium formare cogatur summus Pontifex,audiuisti quid iam tibi responderim. Illud verò quod nunc subiungis schediasma,legis autem cognitio etiàm à populo exigatur Deut.6.tuam siue malignam imperitiam, siue imperitam malitiam nimìs manifestè coarguit. De qua lege tu mihi narras Smideline?Ille Deuteronomij locus quem tu hîc citas,de nulla alia lege tractat,quàm Decalogo,atq; etiàm de illa lege, quæ totius decalogi atq; omnium Prophetarum summa est, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Huius legis cognitiõem etiàm nos à populo exigimus, iuxta illud Domini mandatũ: Docete filios vestros,vt illa meditẽtur. Docemus & monemus patresfamiliâs,vt suos pueros doceant orationem Dominicam,Salutationem angelicam,Symbolum, Decalogum: sed an idcircò necessum est, omnes cum Paulo ad pedes Gamalielis in legum nodis & ænigma-

Deut.17.

Legis cognitio an & quatenùs à populo requiratur.

Deut.5.

Deut.6.

Deut.11.

tibus diſcutiendis erudiri? Omẽs oportet eſſe legiſperitos & Rabbinos? In hoc iterùm tuo more nimiùm deliras. Documento nobis eſſe poteſt, veteris teſtamenti populus, cuius maxima pars rudis fuit legis Moſaicæ, quod vel illa Phariſæorum verba (quæ mirum eſt te hîc noluiſſe aduertere, cùm paulò antè citaueris) planum faciunt: Turba hęc quæ nõ nouit legem, maledicti ſunt. Atq; ex hac

Ioan. 7. turba multi ſaluati ſunt, ex Phariſæis illius temporis nõ vſq; adeò multi. Ex hac turba ſibi Dominus elegit Apoſtolos, rudes piſcatores: ex Phariſæis ad munus Apoſtolicum adſciuit neminem. Quæ

Aug. de ver. Apoſt. ſer. 20. ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confunderet ſapientes. Tu verò Smideline vis tuos omnes eſſe ſapientes, vis eſſe doctores, vis eſſe iudices & deciſores? Sed audi quid ab Auguſtino ſcriptum eſt:

1. Cor. 8. lib. 3. cõfeſſ. cap. 8. Melior eſt, inquit, fidelis ignorantia, quàm temeraria ſcientia. Scientia enim inflat, Charitas ædificat. Surgunt indocti, (dicit idem alio loco) & rapiũt cælum, & nos cum doctrinis noſtris ſinè corde,

Irenæus lib. 2. ca. 45. eccè vbì volutamur in carne & ſanguine. Ante quem etiàm Irenęus: Melius eſt, inquit, nihil omninò ſcientem quempiam credere DEO, & perſeuerare in eius dilectione, quæ hominem viuificat: nec aliud inquirere ad ſcientiam, nisì Ieſum Chriſtum filium Dei, qui pro nobis crucifixus eſt: quàm per ſermones & multiloquium

Luc. 7. in impietatẽ cadere. fides tua te ſaluum fecit, inquit Chriſtus, nõ exercitatio ſcripturarum. Habet, inquit Hilarius, nõ tam veniam,

Hilari⁹ lib. 8. de Trini. quàm præmium, ignorare quod credis: quia maxìmum fidei ſtipẽdium, ſperare quæ neſcias. Tantum abeſt vt ij præſtantes doctrina & pietate viri, iudicandi decidendiq; poteſtatẽ de cauſa fidei, vulgo tribuendam eſſe putauerint, vt eius ignorãtiam nõ venia modò, verùm etiàm præmio dignam iudicauerint. Nõ enim habet neceſsè quiuis de vulgo nôſſe omnia myſteria fidei: Charitatem illi habere neceſſarium eſt. Turbam quidem, vt rectè dicit D. Augu-

Auguſt. cõtra epiſt. Manichæi, quã vocant fundamentum, cap. 4. ſtinus, non intelligendi viuacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſſimam facit. Præclarè idem Auguſtin⁹: ſi propter eos ſolos Chriſtus mortuus eſt, qui certa intelligentia poſſunt quę ad fidem pertinẽt, diſcernere: penè fruſtrà in Eccleſia laboramus: plures enim ſunt qui non poſſunt. Idem D. Aug. lib. 14. cap. 1. de Trinit. explicans illud Pauli 1. Cor. 12. Alij datur ſermo ſcientiæ, alij ſapientiæ: Aliud

eſt,

est,inquit,scire tantummodò quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam,quæ non nisì æterna est:aliud autem, scire quemadmodùm hoc ipsum & pijs opituletur,& contra impios defendat,quã ꝓprio appellare vocabulo sciẽtiam videtur Apostolus.Hęc ille.Quarè nihil dubitandũ est,quin simplices in suę fidei simplicitate & morum exactiori scientia saluẽtur. Quod etiàm figuratum esse docet Gregorius in eo, quod scribitur in lib.Iob: Iob 1
Boues arabant,& asinæ pascebantur iuxta eos:Asinæ,inquit,quosdam significant simplicitèr viuentes, quæ rectè pasci iuxta boues dicuntur,quia mentes simplicium,etiàm cùm alta capere nõ possunt,eo magìs vicinæ sunt,quo & fraterna bona, sua per charitatẽ credunt:cumq; inuidere alienis sensibus non possunt,quasi in pastu se minimè diuidunt. Simul ergò se asinæ cum bobus reficiunt, quia prudentibus coniuncti tardiores,eorum intelligentia pascũtur.

Neutiquàm igitur idiotæ necessum est, omnes legis difficultates habere perspectas, sed in his potiùs audiat Catholicam Ecclesiam,& quicquid ab ea traditur,id pro certo & indubitato habeat.Absit autem vt de doctrina illius,quam in omnibus assequi nõ potest, iudicare velit:quin se potiùs, quãtusquãtus est, illi' iudicio submittat, nec secùs aliquid, q̃ ab ea traditum est,vnquàm sentiat. Vides iam Smideline,quàm absurdè tu legis cognitionem à populo exigas,neq; eam simplicem,sed exactam ac tantam, vt discernere ac iudicare possit,an summus sacerdos etiàm in ijs quæ difficilia & ambigua sunt,iudicauerit iudicij veritatem, eoq́; malignè ac dolosè detorques illud Deut.6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.Hanc enim legem nemo dubitat omnibus cognoscendam & faciendam, ex qua pendet vniuersa lex & Prophetæ:ad quam cæteræ omnes constitutiones velutì scopum referuntur.Quin etiàm si purè & simplicitèr tibi cõcedamus,legis cognitionem à populo exigi:non tamen ilicò concesserimus collatã populo iudicandi facultatem. Præcepit Christus audiendos illos, qui in Cathedra Moisis sedent:non autem adiecit, vt, si doctiores & in lege versatiores inueniantur, illorum iudicium subeamus. Hìc mallem audiri Gregorium Nazianzenum: Non cuiusuis est,

inquit, ô viri Christiani, de Deo disputare: non, inquam, cuiusuis: non adeò hæc res vilis, & eorum qui etiamnùm humi serpentes, terrenis studijs occupantur. Et paucis interiectis: Non omniũ quidem, quandò eorum tantùm est, qui inter multos habito delectu, ad tantum munus videantur idonei, quiq; contemplandi acumine cæteris antecellant &c. In eandem sententiam D. Bernardus serm. 1. in Cantica. Et grauitèr D. Hieron. ad Paulinum, Hugo Victorin⁹ lib. 1. de sacrament. Basilius etiàm Imperatoris œconomo respondit: Tuum est pulmenta Cæsari preparare, non Euangelium exponere. Non ergò requiritur à vulgo scientia, sed bona vita, vt inquit D. Gregorius. Rectè alicubì queritur Bernardus: Multi, inquit, q̃runt scientiam, pauci conscientiam.

Greg. lib. 1. Mor. ca. 25.

Cap. 19.

Vriæ facinus, & prophetarum querelas de sacerdotibus & scribis, nihil derogare veritati, quam Deus in ore iudicis Mosaici fore promisit, neque aßistentiam Dei promitti in factis Pontificum, sed in iudicijs iudiciali more requisitis, atque in hisce etiàm improbos Pontifices sempèr iudicâsse iudicij veritatem.

VRiæ exemplum, quod hìc adducit Smidelinus, absurdum est: neq; enim ad legitimi iudicij, de quo Deut. locus loquitur, formam spectat. Nec in factis Pontificum perpetua Dei assistentia, vt sic loquar, promittitur, sed in illorum consilio de quæstionibus religionis. Hinc Scholastici distinguunt inter errorem personalem, & iudicialem: ille in pontificem cadere potest, hic minimè. Esaiæ, Ieremiæ & Ezechielis querelæ, si verum dicere velit Smidelinus, ad reges maximè pertinent. Iere. 22. 23. &c. tũ etiàm ad pseudo ꝓphetas & sacerdotes illos, qui nulla legitima vocatione aut successione, ad sacerdotium perueniebant, sed à malis & idololatris regibus constituebantur, & sacris præficiebantur, sicut apertè legimus in lib. Regum: Fecit Ieroboam phana in excelsis, & sacerdotes de extremis populi, qui nõ erant de filijs Leui. Et quoniã maxima Iudaicorum Regum pars, reli-

3. Reg. 12.

relicto vero Dei cultu, ad idolomaniam declinauit, vt testantur historiæ biblicæ: quid mirum, si etiàm veris sacerdotibus relictis & contemptis, alienorum Deorum sacrificijs peragendis alienos sacerdotes & pseudomystas præfecerint? vndè laudatur Iosaphat, q̄ in Ierusalem constituerit Leuítas & sacerdotes & principes familiarum ex Israel, alienis illis & adscititijs sacerdotibus & pseudoprophetis, cum lucis & idolis suis eiectis, 2. Para. 19. Hi enim sacerdotes Legem Dei, prophetias & visiones mendacitèr sibi vendicabant, subindè vociferantes, Verbum Domini, Os Domini locutum est, hæc dicit Dominus, cùm tamen hæc Dominus locutus non esset, quæ ipsi dicebant. Vndè Hierem. illos fures verborum suorũ appellat. Hinc & Ezechiel inquit: Vę Prophetis insipientib⁹, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. Hi erant, de quibus conqueritur Dominus per Prophetam: Ipsi currebant, & ego non mittebam illos. Ardua sempèr fuit veris verbi Dei præconibus lucta cum pseudoprophetis. Et quoniam velut vmbra corpus quodammodò repræsentat, ità synagoga Iudaica Christianam Ecclesiam adumbrauit. Videmus quàm neq; hac in parte synagoga Ecclesiam inscitè referat, cùm in vtraq; tam multos cóspiciamus pseudoprophetas, qui splendido quidem, sed doloso, verbi DEI prætextu per dulces sermones & benedictiones olìm seduxerũt, atq; etiamnùm seducunt corda simplicium. Querebãtur olìm prophetæ, pseudoprophetas linire parietem absq; temperamento: loqui illos pacem, cùm non esset pax. Atq; inter cætera clarum & illustre exemplum legimus de Achab & Michæa. Achab in Ramoth Galaad asscensurus ad prælium, consulit quadringentos prophetarum viros: respondent: Asscende, & tradet Deus in manu Regis. Cæterùm pius ille Iosaphat rex Iuda, agnoscens fraudulentam & pernicialem illorum maledulcium sermonum & benedictionũ dulcedinem, nec esse eos veros Prophetas animaduertens, ait: Nunquìd non est hìc propheta Dñi, vt ab illo requiramus? Et ait Achab rex Israel ad Iosaphat: Est vir vnus à quo possumus quærere voluntatem Domini: sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonũ, sed malum omni tempore. Est auté Michæas filius Iemla &c. Nónne in Ecclesia Christiana per omnia similitèr accidit? Nota est hæreti-

Hier. 23. 14. 27. & 29.
Ezec. 13.
Hiere. 23.
Rom. 16.
Eze. 13.
Hiere. 6.
3. Reg. 22.

eorum doctrina, quam vel ob id solum plurimi amplectũtur, quod ad omnia flagitiorum genera frenum impunè relaxet, & nihilominùs doceat hominem certa indubitataq; fidutia appræhendete debere, se esse filium Dei, esse in gratia Dei, quasi ità simus in filios Dei adoptati, vt nullis sceleribus commereri possimus abdicationem

Ioan.13. & exhæredationem, cùm Iudas à Domino electus in Apostolum,

Ser. 66. sup Cantica. paulò pòst transformatus sit in diabolum, vt inquit D. Bernardus.

Ioan.15. Et Christus: Vos amici mei estis, inquit, si feceritis quæ præcipio vobis. Nulla est promissio vitæ æternæ, quę non habeat annexam cõditionem obseruationis mandatorum Dei, & nescio an vlla sit hęresis impudentior & perniciosior. Popule meus, inquit Esaias, qui

Esa. 3. te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. Promissa erat Israelitis terra Palæstina, & tamen pręter Iosue & Caleph, nemo eam pedibus suis calcauit. Quæ fuit causa? Murmuratio & inobedientia populi. Si Dominus, resipiscente populo, potest agere pœnitentiam super malo quod propter peccata cogitauit vt faceret ei, an non eodem in

Hiere. 18. peccata relabente, pœnitentiam agere poterit super bono quod ei promiserit? Homo testator promissa, fidei commissa, legata, immò & hæredis institutionem reuocare, mutare & retractare potest vsq; ad extremum vitę spiritum: & nos Deum in illam seruitutem adstringemus, vt mutare nequeat testamentum suum, vt filios etiàm degeneres, rebelles, immorigeros, acolastos, nolens volens ad hæreditatem cogatur admittere? ô stultam, impudentem, & execrabilem confidentiam. Vt igitur ad institutum reuertamur, in vos Smideline competunt istæ prophetarum querelę, qui tam similes estis illis pseudoprophetis: venientes in vestimẽtis ouium, habẽtes spe-

Vide Athanas. orat. 1. contra Arrianos. ciem pietatis: dicentes, Hæc dicit Dominus: crepantes, Verbũ Dñi, verbum Domini, Euangelium Euangelium, cùm intrinsecùs sitis lupi rapaces, deprauantes verbum Domini in verbũ diaboli, in occasionem & laqueum mortis.

Atquè hæc tibi responsa sint ad querelas Prophetarum. Quòd si omninò velis contendere, eas ad summos sacerdotes Leuiticos pertinere, ne hoc quidem obtento, continuò triumphaueris. Fatemur non esse improbabile, multos inter eos fuisse malos, & horum malitiam, auaritiam, ambitionem, inuidiam, superbiam, iniustitiam

ſtitiam fuiſſe à prophetis repræhenſam. Neq; diuina illa aſſiſtentia, ità promittitur ſacerdotibus Leuiticis, vtì ſuprà diximus, vt peccare nequeant, & contra ſuam ipſorum conſcientiam, ob ſpem quæſtûs priuata aliqua iudicia malè decernere. Non in factis ſacerdotum perpetua fuit Dei aſſiſtentia, ſed in illorum conſilio de quæſtionibus religionis. Multa homo facit, multa etiàm dicit, quæ cõtra veritatem & conſcientiam ſunt, de quibus ſeriò rogatus, alitèr iudicaret. Etſi igitur demus propheticas illas querelas ad ſacerdotes quoq; pertinere, illud tamen conſiderandũ eſt, non ſic in oẽs eius temporis paſtores & ſacerdotes conuertendas, vt nullus intelligatur exceptus. Hunc enim habent morem concionatores, vt quod pleroſq; tangit, id ità enuncient, quaſi omnes tangat. Sic aliquandò totus ille populus ab Iſaia repræhenditur, tanquàm in eo à planta pedis vſq; ad verticem capitis, nõ ſit inuenta ſanitas: & tamen idẽ propheta viros aliquos iuſtos relictos eſſe fatetur, inquiens: Nisì Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen &c. Sic Helias in omnes inuehitur, quaſi relictus ſit ſolus. Sed reſpondit illi Dñs, Relíqui mihi ſeptem millia virorũ &c. Præthereà ſi D. Hieronymo credimus, referente D. Melchiore Cano, quæcunq; legũtur generales prophetarum in ſacerdotes querelæ & comminatiões, ad tẽpus Dominicæ paſſionis potiſſimùm referendæ ſunt, quo ſacerdotalis authoritas & veritas debilitari cœpit, ac tandèm abrogata Moſis Cathedra, penitùs illis ablata eſt, & ad ſacerdotes Noui teſtamẽti tranſlata. Quòd autem ante factam hanc abrogationem ſummi Iudæorum pontifices ac ſacerdotes legitimè tanquàm iudices & legis cuſtodes conſulti, veritatem non reſponderint ſummi pontifices, non poteris vllo exemplo ſolidè & verè demonſtrare. Ego verò non paucis tibi declarauero, multos Leuitici generis pontifices etiàm peſſimos, veritatem in arduis cauſis reſpondiſſe. Quis ignorat, quales fuerint ſacerdotum principes & ſcribæ temporibus Herodis? qui vbì naſceretur Chriſtus interrogati, ſemota quauis cunctatione, dixerunt: In Bethlehem Iudę. Caipha quid potuit eſſe nequius? qui quem ſceleratè nactus erat Pontificatum, precio redemptum geſſit etiàm ſceleratiùs: & tamen cùm pontifices & ſcribæ collegiſſent concilium de capiendo & occidendo Chriſto,

Caι-

Margin notes: Eſa. 1. — 3. Re. 19. — In Iſa. 3. 56. 57. 59. & 63. cap. — In locis theolog. lib. 5. cap. vlt. — Matt. 2.

Ioan. 11. Caiphas ſummus pontifex reſpondit: Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo,& non tota gens pereat. Cur homini ſcelerato Deus contulit ſpiritum prophetiæ? Reſpondet Euangeliſta, quia pontifex erat anni illius,idcircò prophetauit,non ob vitę ſanctimoniam, quam ſola pręſtat innocentia,ſed propter ſanctitatem vnctionis, qua etiàm malos pontifices rectè ſanctos vocari aſſerit Augustinus,quemadmodùm & Saul cùm à Samuele vnctus eſſet, non in pontificem,ſed in prophanum regem,inſiluit in eum ſpiritus Domini,& connumeratus eſt inter Prophetas.

Cōtra literas Petilian. lib.2.ca. 48.

1.Reg.19.

Cap. 20.

Exemplum Phaſſur ex Hieremiæ cap. 20. non labefactare hanc iudicij veritatem, cùm Phaſſur non fuerit ſummus ſacerdos, ſed præpoſitus templi: obiterq; declaratur, non eſſe idē officium Pontificis & præpoſiti templi, vt per imperitiam putat aduerſarius.

SEd imaginemur Smidelinum docere poſſe, ſummos ſacerdotes Aaronicos non ſempèr iudicâſſe iudicij veritatē: quid tandèm effecerit? Quæcunq; Iudæis ſcripta ac promiſſa fuerunt,ad noſtram doctrinam ſcripta,ad noſtram conſolationem promiſſa fuerunt. Illi vmbram duntaxàt habuerunt illius veritatis,quæ nobis illuxit per Ieſum Chriſtum: eoq; dicimus,eam de iudicanda veritate promiſſionem magìs apertam & euidentem habere cœtum pontificum Chriſtianorum,quàm habuerit ſynagoga pontificum Iudęorum: immò eas ipſas promiſſiones Iudæis factas, potiſſimùm ad Chriſtianos pertinere. Nam ſicut illuſtriora nunc ſunt fidei myſteria,velo ſciſſo, Chriſtianis, quàm quibus velata cūcta fuerunt,Iudęis: ſic promiſſiones de præſentia Chriſti & ſpiritusſancti olìm factæ Iudęis,lōgè illuſtriùs nunc ſeſe produnt, quādò remotis vmbris Iudaicis,& nube illa ſub qua fuerunt,nunc diſcuſſa,patefacta nobis eſt veritas. Quin & potiſſimas veteris teſtamenti promiſſiones,ad Eccleſiam Chriſtianam pertinere,atq; in ea demùm ſuam vim habere, patet illi qui veteris inſtrumēti promiſſiones accuratiùs cōſiderauit. Feriam domui Iſrael, inquit Iſaias,& domui

Rom.15.

Deut.17.

Iſa.54.

domui Iuda fœdus nouum, non secundùm pactum quod pepigi cum patribus vestris, quod irritum fecerunt. Et paulò pôst: Hæc dicit Dominus, qui dat solem in lumine diei: si defecerint leges istę coram me, tunc & semen Israel deficiet, vt non sit gens coram me cunctis diebus &c. Item, Feriam illis pactum sempiternũ, & timorem meum dabo in corde eorum, vt non recedant à me. Item, Percutiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis. Item: Montes commouebuntur, & colles contremiscent: misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur. Hæ & similes promissiones in nouo demùm Testamento vim suam exercuêre, & quicquid de doctrinæ veritate habenda & similibus DEI donis promissum est per Prophetas, id longè illustriùs sese prodit sub Nouo Testamento in Ecclesia Catholica.

Hiere. 32.
Ezec. 37.
Hiere. 31.

Quòd de Phassur sacerdote refers, iniustè illum percussisse Hieremiam, & misisse in neruum, nihil conuellit illam promissionem, Iudicabunt tibi iudicij veritatem. Nam neq; hîc vides legitimam formam iudicij, in quo actor & reus definitiuam iudicis sententiã solent postulare, neq; Phassur ille fuit summus Põtifex, sed textus refert illum fuisse sacerdotem, & constitutum principẽ templi, quẽ tu ineptissimè putas eundem esse cum summo pontifice. In quo te per inscitiam tuam vehemẽtèr errare patet indè, quia nec Iosephus, nec commentator Biblicus in pontificum Catalogo hunc Phassur cõmemorat. Huc accedit quòd cùm Hieremias de captiuitate Babylonica vaticinaretũ, ipsumq; Phassur cum omni familia vinctum abducendum, propter quod percussus est à Phassur, capta iam vrbe, legamus non Phassur tanquàm pontificem, sed Iosedech summum sacerdotem cum rege Sedechia captiuum abductum in Babylonem. Necessum igitur est, differre præpositum domûs Domini à summo pontifice, quemadmodùm Iairus princeps synagogæ, de quo apud Lucam, haud dubiè non erat summus sacerdos.

Hiere. 20.
Iose. lib. x. anti. cap. x.
In li. 2. Machab. cap. 3.
1. Par. 6.
Iose. & cõmentat. biblicus loco citato.
Luc. 8.

Videtur autem officium præpositi domûs Domini fuisse, ea curare, quæ ad oleum luminaris & vnctionis & aliorum in sanctuario pertinent, quod officium Numer. 4. datur non Aaroni, sed Eleazaro filio eius, cui committitur פְּקֻדַּת כָּל הַמִּשְׁכָּן id est, præposi-

Præpositi templi, à summo põtifice differentia.

tura totius habitaculi: Vocula פִּסְרָה id eſt, Præpoſitura, ducitur
Iere. 37. ab eadem radice פסר vndè פָּסִיר quod in Hieremia tranſlatum
eſt, præpoſitus, cùm dicitur Phaſſur, præpoſitus domûs Domini. Si obijciatur fortaſsè, quod Iudicum 20. legimus, Phinees filius Eleazari filij Aaron, præpoſitus domûs, ſciendum ibì in Hebræo loco (præpoſitus domûs) eſſe עוֹמֵד לְפָנָיו בַּיָּמִים הָהֵם id eſt, ſtãs ante faciem eius in diebus illis: hoc eſt, Phinees, qui eo tẽpore erat ſummus ſacerdos. Sed vt vel externis ſenſibus videas & perſentias tuam imperitiam, recenſebo tibi principium cap. 3. lib. 2. Macha. Cùm ſancta ciuitas habitaretur in omni pace, leges autem adhuc optimè cuſtodirentur propter Oniæ pontificis diſpoſitionẽ & pietatem, & animos odio habentes mala, fiebat vt & ipſi reges & principes locum ſummo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illuſtrarent, ità vt Seleucus Aſiæ rex, de redditibus ſuis præſtaret omnes ſumptus, ad miniſterium ſacrificiorum pertinentes. Simon autem de tribu Beniamin, præpoſitus templi cõſtitutus, contendebat, obſiſtente ſibi principe ſacerdotum, iniquum aliquid in ciuitate moliri &c. Hic vel manibus tuum errorem, vel potiùs inſcitiam palpare queas Smideline: quamobrẽ deſinas poſthàc velut gnoſticus quidam & om̃ium θεολογώτατοσ, alijs tam petulantèr inſultare.

Quòd ex decimooctauo cap. Hieremiæa dducis illud, Venite, & cogitemus contra Hieremiam cogitationes: rectè hocipſum à D. Hieronymo contra tuas tuorumq; gregalium peruerſas machinationes producitur. Sic enim inquit in eum locum Hieronymus: Iſta & tunc Iudæorum contra Hieremiam ſiue Dominum ſaluatorem, & hodiè hæreticorum contra ſeruos eius cogitatio eſt, vt calumnias ſtruant, & ſanctos viros accuſatione præueniant: nec cogitant quid illi veritatis loquantur, ſed quid ipſi ſtruant mendacij &c. Notum eſt, quales ſacerdotes cõſtituerint reges idololatræ. Non eſt mirũ, huiuſmodi idolorum pſeudomyſtas, ira, odio & inuidia madere. Et ſi omninò velis contendere, quid mirùm, etiã Leuítas & ſacerdotes priuatis odijs accẽſos, iniqui aliquid proponere? Promiſſio Deut. 17. de iudicãda iudicij veritate, loquitur de diffici-

ficilibus & ambiguis, & iubet vt in huiusmodi recurratur ad sacerdotes Leuitici generis, atq; ità iudicãdi forma consultos, iudicaturos ipsum iudicium quod quæritur, vt habent LXX. Tali modo consulti, sempèr iudicârunt iudicij veritatem, vt suprà docuimus. Mali enim, immò pessimi, fuerũt sacerdotes temporibus Herodis, vt ibidèm diximus: attamẽ consulti, vbì nasceretur Christus, Matt.2. coacto concilio responderunt, In Bethleem Iudæ. Sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquàm Mich. 5. minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. In hoc iudicio stupendam & inuiolabilem diuinæ promissionis veritatem cõspicimus. Malus erat consulẽs Herodes, qui idcircò sacerdotes de Christo interrogabat, vt posset eũ interficere. Mali erant ipsi consulti sacerdotes: malum in finẽ quærebatur iudicij veritas, & tamen iniqui iudices, iniquissimo quæsitori, in scelerata causa, iudicij veritatem, vero scripturarum intellectu confirmatam, responderunt: quam tamen ipsi posteà priuatis odijs & inuidia excæcati, non agnoscere, non recipere sustinebãt.

Cap. 21.

Demonstratur, qua ratione dici possit iniquissimo iudicio Caiaphæ contra, Christum, etiàm fuisse pronunciatam veritatẽ iudicij secundùm promissionem illam Dei, factam in Deuter. cap. 17. Iudicabunt tibi iudicij veritatem.

PRogreditur nunc Smidelinus ad clauum huius quæstionis de iudicanda iudicij veritate, ad iudicium Caiphę & sacerdotum de Christo. Quod iudiciũ vt mirabili & stupendo modo promissionis veritatem coarguit, & vel maximè hæreticorum imposturas confutat: ità Smidelinus omnium impotentissimè illud oppugnat, commodam se nactum occasionẽ ratus Bredenbachium exagitandi, quandoquidem simplicium auribus paradoxon videtur, sceleratos & iniquos iudices iudicij veritatem protulisse contra filium Dei. Quocircà Smidelinus scurrilem illam petulantissimæ linguæ suæ dicacitatem hoc in loco enixè in Bredenbachium exercet, declarans quantum maledicen-

do præstare possit, si seriò se ad hanc Rhetoricam componat. Ego verò pium lectorem oro & obsecro, vt Bredẽbachij scripta in hũc Deuteron. locum & de iudicio Caiaphæ, cum Smidelinianis præstigijs conferat, & videbit quàm improbè, mendacitèr, & calumniosè Bredenbachium impietatis & blasphemiæ suggillet, quòd videtur Christo aliquid detrahere, in quem nemo vnquàm fuit contumeliosior & magìs blasphemus, quàm hic obturbator, qui (referente Staphylo) non veretur palàm docere, Christum Dei filium æternos inferorũ cruciatus perpessum. Hic est qui Bredenbachiũ impietatis & blasphemiæ accusat, cùm os ipsius impudentissimum plusquàm sacrilegis blasphemijs scateat. Ac tametsi nulla hîc egeat defensione Bredenbachius, cùm tam euidenti discrimine docuerit, quo pacto iudicij veritas ab iniquissimis iudicibus prolata fuerit, tamen quia & Brentius & Smidelinus vno impetu hîc in Bredenbachium insurgunt, audiemus quid insignis ille doctrina & pietate vir D. Stanislaus Hosius Cardinalis, de hoc pontificum iudicio aduersùs eundem Brentium scripserit, vt hac spongia vtriusq; calumniatoris adspergines abstergamus. Quid autẽ Brenti, inquit, si quo tu exemplo in Euangelica historia producto tibi places maximè, id tuam causam oppugnet maximè? Quid si nihil potuit adferri validius ad eam, quam nos tuemur sententiam cõfirmandam? Quòd si vsquàm alibì, hîc maximè iustificatur in sermonibus suis Deus, vt vincat, cùm à vobis impijs iudicatur. Quid enim est quod vel tu conaris, vel Caluinus, vel Ioãnes à Lasco, vel quicunq; tandèm alij, qui locum hunc tanquàm Achillem quendam in acie ꝓducunt, ad eam quæ propria est Episcoporum, iurisdictiõem euertendam? Quid aliud vultis, quàm ostendere falsum esse, quod dixit Deus de sacerdotibus Leuitici generis, Ipsi iudicabunt tibi iudicij veritatem? Atqui ô mirabile quoddam ac stupendum diuinæ sapientiæ cõsilium. Nusquàm illustrior apparuit, quàm hîc, diuinę promissionis veritas: nusquàm cõuincuntur magìs mẽdacij, quàm hoc loco, qui falsitatis veritatem arguere non verentur. Hîc vel ipsa luce clariùs Deus demonstrauit, nullam esse posse tantam hominũ iniustitiam, quæ iustitiam ipsius in gubernatione suæ ciuitatis, quæ est Ecclesia, quæ promissionum ipsius veritatem labefactare queat.

lib. 2. propugnatio fidei cathol. Iudices iniq quõ iudicauerint iudicij veritatem.

Psal. 50.

at. Quid eſſe potuit Anna & Caiapha ſceleratius? quid iniuſtius? & horum tamen ſcelus ac iniuſtitiam conuertit Deus in occaſionem gloriæ iuſtitiæ ſuæ. Noluit morti adiudicari, niſì per horum ſentẽtias: noluit redemptionis noſtræ beneficium abſoluere, niſì per horum miniſterium: Horum iudicij exitum ad generis humani ſalutem deduxit, ac veram eſſe promiſſionem ſuam declarauit, qua dixit de ſacerdotibus Leuitici generis: Qui iudicabunt tibi iudicij veritatem. Nam in hoc etiàm quanlibèt iniuſto iudicio fuit nihilominùs iudicij veritas. Paradoxon hoc tibi videtur, Brẽti, quòd iniuſtum fuiſſe iudicium, iudicij nihilominùs in eo fuiſſe veritatẽ affirmamus? Sed nihil eſt factu facilius, quàm vt hoc tibi manifeſtiſſimis argumentis demonſtremus. Quòd iniuſtum fuerit iudicium, concedis tu quoq;, & clamat hoc res ipſa: iudices fuerunt iniuſtiſſimi: teſtes, qui producebantur, falſi: crimina quæ proferebantur, falſa. Nam neq; populum ſeduxerat Chriſtus, neq; cẽſum dari Cæſari prohibuerat, neq; blaſphemauerat, neq; de templo demoliendo vel cogitare illi in mentem venerat, & tamen in hoc iniuſto iudicio, per iudices iniuſtiſſimos, veritas iudicij iudicata eſt, vera ſententia fuit pronunciata. Quænam illa? Reus eſt mortis. Hanc ſententiam à ſpiritu ſancto profectam fuiſſe, dubium nõ eſt. Vndè autem iſtud tibi probabimus? Non recipis niſi ſcripturas Canonicas. Atquì principem inter eas locum tenet Ioannis Euangelium, in quo conſilium illud pontificum & phariſæorum de Chriſto compræhendendo deſcribens Euãgeliſta, narrat dixiſſe Caipham: Expedit vt vnus moriatur homo pro populo, & nõ tota gens pereat. Ac mox ſubdit: Hoc autem à ſemetipſo nõ dixit: ſed cùm eſſet põtifex anni illius, prophetauit. Vides Brẽti, quẽadmodùm hoc ipſo Euangeliſta teſte, non defuit ſacerdotio Leuitico ſpiritus propheticus, ſpiritus ſanctus, ſpiritus veritatis, ad id vſq; tempus, quo ſeipſum Chriſtus cruentum ſacrificium offerens Deo patri, ſacerdotio & ſacrificio illi finem impoſuit. Tunc enim primùm ſpiritu ꝓphetico deſtitui cœperunt, cuius rei figura fuit velum templi ſciſſum Chriſto mortuo. Simul teſtata eſt hoc vox Chriſti, dicẽtis: Eccè dimittetur domus veſtra deſerta. Nec verò dubiũ eſt, quin ipſe Caiaphas verba ſua non intellexerit: eius nihilominùs lingua, cùm

Ioan. 11.

Matt. 23.

pontifex esset, ea proferri Deus voluit: & sicut cymbalum, sic ille magnum quendam & sonorum tinnitum edidit, quem tamen ipse non sensit. Sed expectas vt hoc tibi demõstremus, quomodò verè pronunciari potuerit, eum fuisse mortis reum, quem cõstat peccatum nullum fecisse, nec inuentum esse dolum in ore eius? Paucis rem accipe. Ex quo tempore primus parens noster, nihil interdictũ Dei reueritus, de vetito ligno gustauit, factus est mortis reus Christus Dei filius. Non quòd ipse mortem commeruerit, qui fuit ipsa innocentia, sed quòd reatum & maledictionem peccato primi parentis debitam, quod ad omnes pertransijt in condemnatióem, in se suscepit, vt eam coram Deo expiaret, eadem ac reum se pro nobis ipse constituit, vt pœnam solueret, cui obstricti eramus. Itaque sic ipso volente, posuit in eo Deus iniquitatem omnium nostrûm. Nostra fuit maledictio, nostra fuerunt peccata, quæ pertulit ille in corpore suo super lignum: quamq; pœnam debebamus nos, eam ipse pro nobis tolerauit: vt sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti fueramus, sic per vnius ipsius obeditionem iusti constitueremur. Itaq; sicut in Apocalypsi scriptum legimus, ab origine mundi occisus est agnus hic innocens, quin potiùs prẹcognitus ante mundi constitutionem. Siquidem ab æterno fixum fuit & immobile patris decretum, vt proprio filio non parceret, sed pro nobis omnibus eum traderet morte turpissima condemnandum. Cui decreto se filius vltrò submisit. oblatus est em̃, quia ipse voluit, & factus est obediens patri vsq; ad mortem, mortem autem crucis. Decretum igitur hoc, quod ante mundi constitutionem in mẽte fuit & idea diuinæ præsentiæ, per legitimos iudices, hoc est, per sacerdotes Leuitici generis, pronunciari Deus voluit, & horũ iudicio, quanlibèt impij, quàlibèt nefarij fuerint & scelerati, se tamen Dei filius vltrò subijcere dignatus est, vt exemplo suo doceret, suum in cathedra legitima sedentibus, qualescunq; tandèm hi forent, honorem habendum esse. Nec falsum illud fuit quod dixerunt: Nos legem habemus, & secundùm legem (hanc) debet mori. Fuit enim reuerà lex illa Dei patris, quam vltrò suscepit filius, vt moreretur pro peccatis nostris. Quæ lex ex decreto põtificũ, cùm cruci Christus affigeretur, fuit consummata. Quod ipse confessus eti-

[Margin notes: Quõ Chr̃s reus mortis dici possit. — 1. Pet. 2. — Esa. 53. — 1. Pet. 2. — Rom. 5. — Apo. 13. — 1. Pet. 1. — Rom. 8. — Esa. 53. — Phil. 2. — Ioan. 19. Chr̃s secũdùm legem debebat mori.]

etiàm est Christus,cùm pendens in cruce,iamiam inclinato capite spiritum traditurus,dixit: Consummatum est. Consummatum est, inquit, fixum & immobile patris decretum: Consummatum est, quod lex & prophetæ futurum prædixerunt, iam vmbræ sublatæ, iam figuræ sunt impletæ, iam illud sacrificium vitæ peractum est, quo solo reconciliari Deo mundus potuit. Neq; moriens hoc solũ ità dixit Christus, verùm etiàm cùm à mortuis surrexisset, ac se comitem duobus illis in Emaus euntibus adiũxisset: O stulti, inquit, & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ. Nónne hęc oportuit Christum pati, & ità intrare in gloriam suam? Et incipiens à Mose & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. Iam ex ijs, Brenti, perspicis, quàm stupendo miraculo suam Deus iustitiam & veritatem inuiolatam cõseruet in illorum iudicijs, quos ipse in Cathedris ad iudicandum constituit, quanlibèt hi sint ab om̃i iustitia veritateq; remoti. Hactenùs ille incomparabilis Catholicę veritatis propugnator Hosius, & his multò plura, quæ vt prolixitatẽ vitemus, cõsultò præterimus. Nec egeret hac tam fusa declaratione p̃sens controuersia, nisì criminatoris calumniatorisq́; partes mâllet agere potiùs aduersarius, quàm boni viri: cùm abundè satìs declaratum sit, quo animo dictum sit, impios iudices iudicâsse iudicij veritatem. Quis non execratur traditoris Iudæ flagitiũ? Et tamen si nusquàm dicentis animum spectare velimus, sed inuidiosam verborum significationem potiùs vrgere, Iudæ flagitium Vulcanus ipsi quoq; DEO patri impinget, de quo refert Apostolus, quòd proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: Hoc fecit ipse Deus pater, quod & Iudas: vterq; tradidit Christum, si traditio Christi, & nõ tradentis animus cõsiderandus est. vt inquit Augustinus. Porrò quod Reuerẽdiss. D. Hosio occlamat, hæc duo simul subsistere non posse, vt iudicij veritas sit in iniusto iudicio & iniustis iudicibus, absurdum est, quum vna eademq́; res diuersa ratione siue respectu alitèr atq; alitèr afficiatur. Affatimq́ue demonstratum est, quo respectu iniustis iudicibus attributa sit iudicij veritas: & nisì calumniatorem agere mâllet Smidelinus, quàm virum bonum, nullius impietatis Hosium, Sotum, & Bredenbachiũ suggil-

Ioan. xix. Cõsummatum est, cur in cruce dixerit Christus.

Luc. 24.

Rom. 8.

Aug. in Psal. 93.

gillaret. Caiaphas, cùm diceret, Expedit vobis vt vnus moriatᷓ homo pro populo: nihil aliud molitus est, quàm homicidium & mortem Christi Domini: & tamen ea ipsa verba ex spiritu sancto, quia pontifex erat, proloquutus est. Quin igitur eodem iure insurgis in spiritum sanctum, quòd homicidij machinationem Caiaphæ suggesserit? Videlicèt diuersum vt hîc respectum admittamus oportet: quatenùs enim ex spiritu sancto fuit, prophetia fuit: quatenùs à Caiapha non intellecta, & nil aliud ab ipso tractatum, quàm vt crucem moliretur Christo, nil aliud fuit, quàm homicidij machinatio. An & hîc dices, Manifesta est contradictio, fuisse prophetiam spiritûs sancti, & homicidij machinationem, & cõtraria in eodẽ subiecto simul esse non posse? si negare pergas, tuis te verbis iugulauero. Quòd docet, inquis aduersùs Reuerendiss. Hosium, mendacium & veritatem non posse esse simul in eodem homine, fallacia est consequentis. Etsi enim contraria sint, in eodem tamẽ homine simul esse possunt, sed non respectu eiusdem. Sicut enim peccatum & iustitia sunt in eodem homine, peccatum in carne, iustitia in spiritu &c. ità etiàm de veritate & mendacio dicendum est. Mendacium in corrupta natura hæret, Veritas autem per spiritum sanctum subindè in nobis instauratur &c. Sic igitur & nos dicimus, ꝙ iniusti fuerunt iudices Caiaphas & Annas: ipsorum odijs & malitia factum esse, quòd iudicij veritatem protulerunt, longè diuersam rationem habet, scilicet ex decreto Dei patris, cui vltrò se filius tanq̃ fideiussor submisit, & quoniam iuxta veteris legis figuras, & ꝓphetarum vaticinia, oportebat Christum pati, ꝙ posuerat in ipso Deus iniquitates om̃ium nostrûm. Iudicij igitur veritatem prolatam esse ab iniustis iudicibus, non est quòd vsqueadeò paradoxon videatur huic homini. Nec satis appáret, quomodò sibi constet, quod ait, mendacium & veritasem per spiritum sanctum instauratam, simul in eodem homine subsistere posse, quodq́; rursùm alio in loco declamitat: Quid magis absurdum quàm dicere, hominem posse habere spiritum sanctum, etsi ipse sanctus non sit? Est enim contradictio manifesta. Quod posterius nè nobis itidẽ obijciat, D. Augustinum illi opponemꝰ. Asserebat cum Smidelino Petilianus, Nè, inquit, vos sanctos esse dicatis: Primùm illud dico, quia qui nõ fuerit

fol. 109.

fol. 96. aduersùs Hos.

lib. 2. cõtra liter. Petili. cap. 48.

rit innocens, non habet sanctitatem. August. respondit: Ostende nobis tribunal vbi sedisti, vt ante te staret orbis terrarum, & quib⁹ oculis non dico conscientias omes, sed vel actus inspexisti & discussisti, vt eum perdidisse innocentiam iudicares. Ille qui raptus vsq; in tertium cælum, dicit: Sed neq; ego meipsum dijudico, & tu de vniuersa terra, qua hæreditas Christi dilatatur, audes ferre sententiam? Deindè, si satis absolutum tibi videtur quod dixisti, Qui non fuerit innocens, non habet sanctitatem: Quæro, si non habebat Saul sacramenti sanctitatem, quid in eo Dauid venerabatur? Si autem habebat innocentiam, quarè innocentem persequebatur? Nam eum propter sacrosanctam vnctionem & honorauit viuum, & vindicauit occisum. Et quia vel panniculum ex eius veste præscidit, percusso corde, trepidauit. Eccè, inquit August. Saul nō habebat innocentiam, & tamen habebat sanctitatem, non vitæ suæ, sed vnctionis. Hæc ille. Quid igitur homo vanissime Reuerendissimo Hosio insultas dicenti: Nihil igitur impedit, quo minùs habeat spiritum sanctum episcopus aut sacerdos, quô, si minùs ipse sanctus est, sanctos tamen alios faciat, vel docēdi, vel baptizandi ministerio? Habent sanctitatem, quam vocat Augustinus Vnctionis, etiamsi vitæ sanctimonia quandoq; destituātur. Prætereà quomodò non à teipso dissides, dum alibì tuam & omnium hæreticorum authoritatem vindicans, Cypriani errorem carpis, dicentis hæreticos baptizare non posse, quia spiritum sanctum non habeāt? Si hęretici in baptismi ministerio spiritu sancto non destituuntur, cur eundem sacerdotibus, vitæ sanctimonia destitutis, adimes? cùm tn̄ Catholicus quispiam quotcunq; etiàm vitijs & criminibus scateat, quouis hæretico plerunq; sit melior, eô quòd hęretici ferè sint carnales & animales, ac per hoc æmuli, animosi, inuidi & inimici ipsi veritati, vt alicubi disputat Augustinus.

1. Cor. 4.

Sanctitas alia vitæ, alia vnctionis.

lib. 4. de bapt. cont. Donat. cap. 20.

Cap. 22.

Declaratur, quàm falsè Smidelinus contra Bredenbachium concludat.

L Iam

IAm vltrò euanescunt illę sophisticæ nebulæ, quas hîc simpliciũ oculis offudit calumniator, dum ex vniuerso illo demonstrationis corpore, quam Bredenbachius huic Hosianæ declarationi per omnia conformem, huius iudicij veritati demonstrandæ adhibuerat, vnum aut alterum syllogismum sophisticè colligit. Tametsi eñ Caiaphas Christum morti adiudicans, non respexerit ad peccata Christi, quæ nulla erant, nec ad peccata nostra, nihil hoc impedit veritatem iudicij. Ac tametsi Caiaphas volens sublatum Christum, vitia pontificum repræhendentem, & nouam Cathedram meditãtem, non idem voluit quod Deus, volens per mortem Christi, vitã restituere mundo: ideóne non potuit iudicare iudicij veritatẽ Caiaphas? Sed heus Smideline, nè ità triumphes, nè ità furiosorum Corybãtum more tuis illis fabrilibus, immò satanicis turpissimorum conuiciorum malleis tympanum pulsites. Moderare paululũ turgentem illum fastu & superbia pectoris tui follem tantùm non rumpentem. Quid tibi videtur? Caiaphas, cùm collecto pontificũ & pharisæorum concilio, consultaret cum vniuerso sacerdotũ Senatu, an tollendus esset è medio Christus: cùm, inquam, Caiaphas rebus omnibus consideratis, responderet: Vos nescitis quicquam: expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gẽs pereat: putásne Caiapham idem sensisse, idem voluisse quod sentiebat, quod volebat Deus, quod volebat spiritussanctus? Hoc nulli persuaseris, etiamsi ad insaniam vsq; vocifereris. Et tamẽ idem ille sceleratus Caiaphas longè aliam à Dei voluntate mentem habens, teste Euangelista, hoc à semetipso non dixit: sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit. Eccè Smideline iam vniuersa illa tuorum syllogismorum tam mendax & incódita strues, funditùs corruit: quarè amantèr & benignè te admoneo, vt vel nunc tandèm semèl discas mendacium, quantunuìs fucatum, quantunuìs palliatũ, diù consistere non posse. Cur ad has præstigias, ad has imposturas confugis, stultè confidens te sub hoc tam vano prætextu tutò latitaturum, sub hac ouilla larua, lupina rapacitate in ouili Christi impunè grassaturum? Quid iam tibi superest præsidij Smideline? Quò te recipies? quo te subduces? quò confugies? Vides iam omnia tua tela confracta & collisa, omnes illos tuos arietes, quantunuìs mendacijs

Ioan. 11.

dacijs ſcabros,aſperos & cornutos, validiſſimè depulſos, immò in tuum ipſius iaculãtis caput retortos.Quid igitur iam ſupereſt?Reſtat vltima tui exercitûs acies,quam bellè admodùm & planè militari gladiatorioq; more inſtitutam,nũc in palæſtram producis. Sequitur enim nunc blateratorum,ganeonum,profugorũ,& ſtigmaticorum colluuies:illa,inquam,furioſa cõuicia, lœdoriæ,ſannæ,riſus ſardonici,calumniæ,ſcommata,mendacia.Hæc iam manus pro patria,immò contra patriam pugnabit.Iam in arenã prodeunt Faliſcorum pueri, iam Bredenbachius eſt calefactor,proditor,pontificius adulator,furioſus,mente captus,blaſphemus, indignus quẽ terra ſuſtineat.Hæ ſunt poſtremæ Smidelini copiæ. Quibus ego iã ſimilem cohortem optimo iure poſſem opponere, immò has ipſas copias tuas cæſas & in fugam verſas,in tuam ipſius perniciem agere & impellere:ſed mâlim vincere malum in bono,quàm conuicium conuicio retaliare.Nolo hîc Camillum contra te accerſere,qui non ſimplici fuſtigatione dignus es:nolo te calefactorem appellare, qui tales fumos, tales impoſturas in cauſæ deploratiſſimæ patrocinium adhibes. Nolo te dicere proditorem, qui miſeras & incautas animas propter pugillum hordei,propter momentaneam & inanem gloriolam interficis quæ non moriuntur, & viuificas quæ non viuunt,mentiens populo Domini credenti mendacijs. Non dicam te blaſphemum & indignum quem terra ſuſtineat, quẽ tam impiè & blaſphemè à fide vniuerſi orbis Chriſtiani apoſtatantem, indignum ſuo gremio cenſet catholica Dei Eccleſia, quem omnes boni velut Ethnicũ & publicanũ ſuo conſortio cenſent indignũ. Ezec.13. Matt.18.

CAP. 23.

Docetur, cur Chriſtus docuerit cauendum à fermento Phariſæorum, hancq; Chriſti doctrinam non pertinere ad ſeditionem, vt temerè deſciſcamus à noſtris præpoſitis. Deindè non omnia, quæ Deo permittente fiunt, eſſe probanda.

QVæ nunc apud Smidelinum ſequuntur,non egent anxia reſponſione,& ex ijs quæ iam dicta ſunt, facilè diſſoluuntur. Loci apud Matthæum, Super Cathedram Moſis ſederunt ſcribæ & phariſæi &c. genuina ſententia milliès à Catholicis ex- Mat.23.

 plicata,

plicata,& suprà à nobis tractata est. Quæ illi priuatis odijs accensi, contra Christum machinati sunt, fatemur ex Cathedra Mosis non esse profecta,& proindè rectè non præstitam illis auditionẽ. Quin
Eze.7. etiàm implebatur illud vaticinium, Peribit lex à sacerdote, & iamiam abolenda erat Cathedra Mosis,& nouum sacerdotium instituendum secũdùm ordinem Melchisedech. Cuius sacerdotij cùm planè rudes essent, neq; agnoscerent aut intelligerent mysterium crucis, non est mirum, si in illis quæ ad hoc mysterium spectabant, cæci fuerint & cæcorum duces. Sedebant illi in Cathedra Mosis: earum igitur quæstionum, illius iudicij quod ad legem Mosaicam pertinet, veritatem ab illis require. Veniente Christo, q̃ de Christo controuertebantur, ad nouam Christi Cathedram pertinebãt: & subolescente iam luce Euangelica, vmbræ Mosaicæ euanescebant, vnaq́; cum vmbris lex ab ore sacerdotis Leuitici expirabat. Tametsi & aliquam de Christo cognitionem ex lege & Prophetis habuerunt, cùm responderent nasciturum Christum in Bethleem Iuda,& pleniorem habere potuissent, si vt mandabat Christus, diligentèr scrutati essent scripturas: sed quia maleuolam habebant animam & faciem velatam, mysterium crucis, & latentem illum in Christo Silenum non potuerunt compræhendere. Sed Petrus iam ex discipulo factus doctor Euangelicus,& spiritu sancto perfusus, in solenni illa concione, ea quæ ad Christi diuinitatẽ & crucis mysterium spectabant, publicitùs prædicauit Act.2. Rectè etiàm Chri
Luc.12. stus à fermento pharisæorum cauere iubet, quod erat hypocrisis, dilatabant enim phylacteria sua, volebant primos accubitus, simulabant magnam sanctimoniam, cùm essent sepulcra dealbata, cùm intùs auaritia, odio, inuidia & ambitione fœterent. Neq; solùm ab hoc hypocriseos fermẽto rectè cauere iubet Apostolos Christus, verùm etiàm à superstitiosa doctrina, velutì in obseruatione ciborum &c. Hanc superstitionem dedocendi erant discipuli veritatis Euangelicæ, quum ea quæ in lege de his præcepta sunt, non habeant propriè ciborum condemnationem, sed mysteria rerum spiritualium. Cætera quę contra legem Dei docebant Pharisæi, velutì illud de corban, fatemur tecum Smideline & cum Theophylacto, non ex cathedra Mosis, sed ex auaritia & malitia eos docuisse. Fatetur

tetur idem Bredenbachius in commentarijs ſuis in Matthæum, & in libro de componendis diſſidijs, hunc Matthæi locum de phariſæis in cathedra Moſis ſedentibus eò refert, nè detrectemus obedientiam, propter peccata ſacerdotum, aut etiàm pontificum improbitatem. Exempla biblica de Cain, Loth, Noe, Dina & reliqua quæ hîc operosè enumerat Smidelinus, ineptiùs allegantur, quàm vt accuratam reſponſionem mereātur. Nemo enim vſqueadeò deſipit, vt omnia ea quæ Deo permittente fiunt, probanda exiſtimet, tametſi quædam ex illis toleranda ſint. Permittit Deus regnare hominem hypocritam, nemo tamen probat hypocriſin. Nihilo ſeciùs hanc ipſam hypocriſin Deus conuertere nouit in occaſionem iuſtitiæ ſuę, vt puniat peccata populi, nec vult temerè magiſtratui etiàm iniquo rebellari, quantunuìs ipſa iniquitas probari non poſſit. permiſit improbos phariſæos ſedere in cathedra Moſis, nec tamen eorum opera commendat, nihilo ſeciùs præcipit, vt quæ ſedentes in Cathedra dicunt, faciamus. Voluit tolerari, immò & audiri phariſæos, quantunuìs malos: vbì autem legiſti Deum velle impunitũ homicidium, fornicationem, ebrietatem, proditionem &c? Nõ eſt nouum, ſi malo & refractario populo præſtituat Deus malos ſacerdotes, principes tyrãnos, & hypocritas, præpoſitos dyſcolos, & tamen his obedientiam præſtare, non autem eorum tyrannidem ꝓbare, iubet Apoſtolus. Sed ad hoc non opùs eſt pluribus reſpondere. Eat nunc Smidelinus, & glorietur ſe demonſtrâſſe, quàm horribilitèr locus Moſis Deut. 17. deprauatus ſit à Bredenbachio. Opinor te candide lector intelligere, nõ eſſe neceſſum vt Smidelinus de hac victoria magnum canat triumphum. Eſt ſanè quòd malam illis gratiam referat, qui ei fuerunt authores, vt in hoc Deuteron. loco Lyrani deliria ſequeretur, neglecta interpretatione LXX, veritate Hebraica, & verſione Chaldaica.

Iob 34.

Eſa. 24.

FINIS.

ANTHYPERASPISTIS LIBER SECVNDVS, DE ORDINE ET HIERARCHIA ECCLESIAE CATHOLICAE.

Cap. I.

Complectitur παρασκευὴν *& præparationem libri secundi, & quid in eo tractandum sit, breuitèr exponit.*

DEmonstrato ordine & Hierarchia in Republica Israelis, ac declarato, quo pacto in difficilibus & ambiguis quæstionibus ab inferioribus iudicibus ascendebatur ad sacerdotes Leuitici generis, itemq; quomodò synagoga summum aliquem inter reliquos sacerdotes habuerit pontificem, cuius imperio si quis non obediret, eum ex decreto iudicis è medio tollendum: transibat nunc Bredenbachius ad Politiã ciuitatis Dei, quam ipse Christus, abrogatis vmbris synagogæ Iudaicæ, in Ecclesia sua instituit. Atq; hîc docebat Bredenbachius, quẽadmodùm in synagoga vnus perpetuò præfuit summus pontifex, atq; huic adhibiti fuerunt sacerdotes Leuitæ, tanquàm Senatores, ità Christum in Ecclesia & ciuitate sua quendam ordinem & Politiam instituisse, quæ ciuilis alicuius siue vrbanæ ac benè constitutæ œconomiæ formam ac faciem repræsentaret. Et quoniam inter omnes politiæ species nulla, testantibus scriptoribus, & quotidiano rerum vsu docente, monarchiæ præferatur, (quam etiàm in synagoga instituit, & obseruari voluit Deus) eapropter, Christum pulcherrimam quandam ciuitatem erigere volẽtem, quę esset vel. utì castrorum acies ordinata, quamq́ue sibi in sponsam vnicè adamatam deligeret ac desponsaret, monarchicam quandam œconomiam in eadem sua ciuitate instituisse. Cuius ciuitatis tametsi ipse primarium fundamentum & caput supremusq́; princeps esse volebat, tamen quia sciebat se peregrè in longinquam regionem profecturum, & ad patrem reuersurũ, nec ampliùs eo modo, quo Apostolis conuixerat, cum filijs sponsi conuersaturum, delegisse sibi quosdam senatores, videlicet Apostolos suos, atq; inter hos vnum velut consulem præfecisse Diuum Petrum. Hanc Senatoriam digni-

Deut. 17.

Politia ciuitatis Dei à Christo instituta.

Iohann. 21.

gnitatem Apostolis collatam,& inter hos Petri eminentiam euidétissimis Christi & Euangelistarum verbis demonstrabat Bredenbachius. Nec solùm Petri eminentiam docebat, sed & claues huius ciuitatis ei datas,& quomodò magistratum aditurus, inauguratus sit, quanta cum authoritate & maiestate,& quàm præclaro successu magistratum suum administrauerit, quomodò velut os totius senatûs omnium nomine vocem suam extulerit: quomodò subindè senatum conuocauerit, & exorientes controuersias definiuerit, quomodò de nouo senatore eligédo agere cœperit: Hæc inquàm Bredenbachius ipsis Christi & Apostolorum verbis & actibus luculentissimè & irrefutabilitèr demonstrabat, Patrumq; testimonijs & expositionibus confirmabat. Quid autem ad hæc Smidelinus? Fascinatus splendore Pontificio, inquit: fingit Diuum Petrum cóstitutum à Christo ciuitatis Dei, hoc est, Ecclesiæ consulem, cui claues portarum cæli dederit: Huic reliquos Apostolos tanquàm senatores adhibuerit &c. Obsecro te pie lector, considera hîc blasphemam vanissimi hominis impudentiam. Quid est fingere, si hoc non est fingere? Cur non eadem opera dicit Euangelistam, immò Christum ipsum fingere, dicétem: Tibi dabo claues regni cælorũ? Eccè quo nõ adigit hominem pertinax & obstinata malitia? Quid non audebit negare, quem dicere non pudet Christum fingere? Quid enim aliud dicit, cùm Bredenbachium Christi verba proferentem, fingere asserit? Eiusdem est impudétiæ, quod sequitur: Sed ad ea quæ præcedunt, inquit, quid opùs est prolixè respódere? Hęc enim est pontificiorum vetus cantilena,& à nostris & scripturæ & S. Patrum testimonijs ità confutata, vt si quid ipse melius adferre coner, soli lumen mutuare videar &c. Nihil facilius est, quàm huiusmodi strophis & sycophantijs apertam veritatem eludere. Sed vt impudétissimas imposturas detegamus, Patres orthodoxos has ipsius Christi & Euangelistarum de primatu Petri sententias vnanimi consensu explicantes, in medium proferemus. Et quoniam paulò pòst Smidelinus hæc tria probare conatur, principiò (quod iam ex ipso diximus) Petrum non habuisse primatũ super reliquos Apostolos, & Ecclesiam Christi, qualem ei attribuit Bredenbachius. Deindè si maximè talem potestatem adeptus esset Petrus, nihil ad

Ioan. 21. Act. 1. 5. Matt. 16.

ad Romanum Pontificem pertinere. Postremò, quoniam Christus nulli Apostolorum primatum concesserit, non expedire, vt in Ecclesia Christi summa potestas vni deferatur: vt commodiori ordine & vna opera hæc tria paradoxa confutemus. Principiò, quanta poterimus breuitate & luculẽtia docebimus, quo signo vera Christi Ecclesia demonstrari possit, & quòd in hac necessarium sit, vnũ aliquem generalem gubernationem & hierarcham præesse. Deindè, hunc gubernatorem à Christo peregrè proficiscente, & ad patrem reuertente, constitutum esse D. Petrum. Postremò, necessum esse, vt D. Petro iam olìm glorioso martyrio, è terris in cælum sublato, vnus aliquis in generalem illam gubernationem successerit, atq; hunc successorem aliũ esse non posse aut fuisse, quàm Romanum Pontificem. Hæc vbì (quod bona fide faciemus) demonstrauerimus, vltrò euanescẽt Smideliani fumi, quos è sua officina simplicium oculis offundit, tametsi & eos ipsos peculiari confutatiõe refellemus, nè Smidelinus putet suis artibus & suis se laqueis iugulari, quibus pro more habet proposita argumenta non idonea solutione dissoluere, sed paucula in speciẽ contraria obijcere, cùm vsitatum sit in dialecticis disputationibus axioma: multiplicare, inconueniens non est soluere.

Smidelinus ꝑposita argumẽta nõ dissoluit, sed multiplicat incõueniens.

Cap. 2.

Quomodò Ecclesia Dei Catholica sit visibilis & inuisibilis, & cur ab hæreticis non videatur Ecclesia.

LOngiùs hæc paulò repetenda sunt, vt veritas fiat manifestior. Ac principiò nè putet aduersarius nos rem quampiã demonstraturos, quam ille cum pręceptore suo Brentio dicit inuisibilem, quanuìs in libro contra Hosium videatur de huius placiti pertinaci defensione nonnihil remisisse, dicimus non posse abscondi ciuitatem supra montem positam. Dicimus cum D. Augustino, hanc ipsam ciuitatẽ esse Ecclesiam. Dicimus cum Christo: Si peccauerit in te frater tuꝰ, dic Ecclesiæ. Quomodò dicet, si videri non possunt illi quibus dicet? Dicimus cum Apostolo: Spiritus sanctus posuit Apostolos regere Ecclesiam Dei. quos regent? num eos quos non vident? Scribit idem se Ecclesiam

Matth. 5. August. lib. 3. cõtra epistolam Parmeniani. Et lib. de vnitate Ecclesiæ cap. 14. Matt. 18. Actor. 20.

Dei persecutum: poterátne persequi quam non videbat? Vndè Melanchthon rei absurditate victus, sententiam mutauit, ꝓfitens Ecclesiam esse visibilem, cui etiàm consentit Caluinus capite octauo institutionum. Ac tametsi dicamus in symbolo, Credo: non autẽ, video & sentio Ecclesiam: multa tamẽ complectitur hic articulus, quæ credimus & non videmus, licèt Ecclesiam quam credimus, videamus. Qui sint electi in hoc cœtu vocatorum, quem Græci vocant ἐκκλησίαν, nec videmus, nec agnoscimus, quantunuis se certò electum perquàm arrogantèr videri velit Smidelinus, cùm solus Dominus nôrit qui sint eius: credimus nihilominùs firmitèr, neminem electorum catalogo asscribi posse, nisi huic cœtui vocatorum associetur. Credimus etiàm hanc ecclesiam regi spiritu sancto, eamq́; ob causam errare nõ posse: credimus eam, dicente Apostolo, esse firmamentum & columnam veritatis. Hæc & alia multa credimus, quæ tamen non videmus neq; sentimus, quanuìs ipsos qui ad hunc cœtum vocatorum, ad hanc Ecclesiam pertinent, videamus & sentiamꝰ. Sic D. Gregoriꝰ in illud, Quia vidisti me, Thoma, credidisti: Aliud, inquit, vidit Thomas, aliud credidit: Vidit Christum, credidit Deum &c. Ait Esaias, Erit in nouissimis diebus manifestus mons domûs Domini, paratus in cacumine montium. In quem locum D. Augustinꝰ: Quid, inquit, tam manifestum, quàm mons? Sed sunt & mõtes ignoti, quia in vna parte terrarum positi sunt. Quis vestrûm nouit Olympum montem? quomodò ibi qui habitant, Giddabam nostrum non nôrũt? In partibus sunt isti mõtes. Ille autem mons non sic, quia impleuit vniuersam faciem terræ: & de illo dicit, Paratus in cacumine montium. Mons est super cacumina omnium montium. Et congregabuntur, inquit, ad eum omnes gentes. Quis errat in hoc monte? Quis frãgit faciem offendendo in illum? Quis ignorat ciuitatem super montem constitutã? Sed nolite mirari quia ignoratur ab istis, qui oderunt fratres: quia in tenebris ambulant, & nesciunt quò eant, quia tenebræ excæcauerunt oculos eorum. Montem non vident? nolo mireris, oculos non habent. Vndè oculos non habent? Quia tenebræ excæcauerunt eos. Vndè probamus? Quia fratres oderunt, quia cùm offenduntur in Afros, separant se ab orbe terrarum, quia non tolerant

In locis cõmunibus, & in cap. 8. ad Romanos.

Quomodò Ecclesiam simul videamus & credamus.

Matt. 22.

2. Tim. 2.

Esa. 2.

August. in epist. Ioan. tractat. 1.

Hæreticis cur ignota & inuisibilis Ecclesia.

pro pace Christi, quos infamant, & tolerãt pro parte Donati quos damnant. Hæc ille. Vos ergò dum Ecclesiã inter nescio quas imaginarias ideas collocatis, & inuisibilem ignotamq; dicitis, non habendi estis pro legitima Christi sobole, pro germanis Ecclesiæ Christi sponsæ castissimæ filijs, sed pro nothis & expositi tijs diaboli, ex meretrice seditiosa secta. Cuius enim infantiæ est, nõ nouisse matrem, tam beneficam, tam mobilem, tam illustrem? Cuius cæcitatis, non videre montem super omnia omnium montium cacumina eminentem? non agnoscere ciuitatem illam, cuius fundamenta in montibus sanctis?

Cap. 3.

Quo signo vera & visibilis & Catholica Christi Ecclesia verissimè cognosci posit, nempè si digito DEI demonstretur, esseq; Ecclesiam catholicam digito Christi nobis demonstratam.

Signũ quo certò demõstratur Ecclesia.

ARgumenta igitur & signa, quibus Ecclesia ista visibilis demonstrari potest, etsi multa sint, nullum tamen commodiùs traditur, quàm id quod per se clarum est. Signũ enim notius esse debet illa re, quæ per id declarat̃. Proindè vt res visibilis cognoscatur, non est danda nota inuisibilis. Quemadmodùm enim fieri non potest, vt ad aliquem hominẽ cognoscendũ adstringar, multoq; minùs ex ore eius doctrinã percipiendam, nisì certiora suppetant indicia, quibus illum agnoscere possim: ità nec ad Ecclesiam venire, & ab ea doctrinam petere, eiusq; legibus obtemperare cogemur, nisì certis & manifestioribus signis illa demonstretur. Ideò quippè Ecclesiam cognoscere tenemur, vt sciamus cui congregationi debeamus adiungi, cuius legibus parére, & cuius præsidibus obedire, non ideò tantùm, (vtì docuit Luterus) vt sciamus cui debeat euangelium prædicari, cùm id nõ solùm in Ecclesia, verùm etiàm extra Ecclesiam infidelibus, vt ad Ecclesiam veniant, sit denunciandum. Vt igitur cognoscam' verum Ecclesiæ signum, inprimìs adnotandum est, non posse manifestius dari, quàm si digito Christi demonstretur. Atq; hoc cùm

factum

factum sit Apostolorum tempore, quibus dixit, Vos estis lux mũdi. Et Ioan. 20. Sicut misit me pater, & ego mitto vos. & iterùm alibì: Qui vos audit, me audit, &c. non erit nobis dubitandum, quin fuerint membra veræ Ecclesiæ. Cæterùm quia hodiè talis demonstratio fieri non potest per Christi digitum, illud nobis sufficere debet, vt signum aliquod inueniamus, quòd nostra hæc Ecclesia eadem sit cum illa, quam demonstrauit Christus digito suo. Hoc porrò signum aliud esse non potest, quàm si demonstretur, Ecclesiam aliquam huius temporis deriuatam esse ab Ecclesia Apostolorum, perpetuo quodam ordine supremorum episcoporum & capitum, deincèps sibi in eodem munere & eiusdem doctrinæ professione succedentium, quem veræ & incorruptæ historiæ monumenta confirment. Quod signum quoniam euidentèr cognoscimus hodiè competere in Ecclesiam, quæ Episcopo Romano vero & legitimo Petri successori, tanq̃ vicario Christi páret: ideò certa fide tenemus, solam hanc veram esse Christi Ecclesiam, solam veros & legitimos habere ministros, qui suam originem ad Apostolos referant, à quibus per legitimas & continuatas ordinatiões ortum duxerunt, solam deniq; puram Euangelij doctrinam & legitimum Sacramentorum vsum docere. Non latuit hoc signum vetustissimos Theologos, qui cùm de Ecclesiæ vnitate aduersùs hæreticos disputabant, sempèr se ad hoc tãquàm ad arcem tutissimam, vndè profligare hostes facilè possent, recipiebant. Videre hoc licet in Irenæo lib. 3. cap. 3. quo loco aduersùs hæreses Valentini summorum Pontificum Roman. vsq; ad sua tempora ordinem recenset. Cuius enumerationis meminit etiàm Eusebius lib. 5. Ecclesiast. historiæ capite 6. Dicit idem Irenæus lib. 4. cap. 33. & 63. Eis tantùm obediendum esse, qui successionem haberẽt ab Apostolis. D. Augustinus epist. 165. eãdem doctrinam habet, vbì à D. Petro vsq; ad Anastasium sui temporis Pontificem, omnes ennmerat Romanos episcopos. Videatur idem contra Epist. Fundamenti, capite 4. vbì inter cætera de Ecclesiæ signis lòquens, ità dicit: Omittẽs synceram sapientiam, quam in Ecclesia esse Catholica non creditis, multò sunt alia, quæ in eius gremio me iustissimè teneant. Tenet consensio populorum atq; gẽtium, tenet authoritas miraculis in-

Matt. 5.
Lucæ 10.

choata,ſpe nutrita,charitate aucta,vetuſtate firmata: tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcẽdas oues ſuas poſt reſurrectionẽ dñs
Ioan.21. commendauit,vſq; ad præſentem epiſcopatum,ſucceſſio ſacerdotum. Videatur liber de vtilitate credendi cap.17.& 46.Item in q̃ſt. vet.& noui teſtamenti,q̃ſt.110. Prætereà Optatus Mileuitanus cõtra Parmenianum ſcribens,lib.2.contra Donatiſt. enumeratis Põtifi.Rom.vſq; ad Syricium,qui tum ſedebat Romæ, rogat vt etiàm Donatiſtæ cathedræ ſuæ originem redderẽt.Multa de hac re ſcripſerunt Tertullianus de pręſcrip.hæret.Cyprianus lib. primo epiſtola 3.& 6.lib.2.epiſt.10.lib.3.epiſt.2.& maximè libro de ſimplicitate Prælat. Itẽ Origenes in princip.περὶ ἀρχῶν,vbì inter cætera ſic ait:Seruetur Eccleſiaſtica prædicatio per ſucceſſionis ordinem ab Apoſtolis tradita,& vſq; ad præſens in Eccleſijs permanens:atque illa ſola veritas eſſe credatur,quæ in nullo ab Eccleſiaſtica diſcordat traditione. Videatur & libellus Vincentij Lirinenſis, quem ante annos mille aduersùs hæreſes ſcripſit.

Ex quibus omnibus facilè colligere licebit pio Lectori, (in cuius potiſſimùm gratiam hęc altiùs repetimus) ſucceſſionem conſtantem & non interruptam Romanorum Pontificum in eadem fide & doctrina ab Apoſtolis vſq; ad hęc tempora,verum eſſe & manifeſtum inueniendæ Eccleſię documentum. Hæc enim ſucceſſio docet,hanc noſtram Eccleſiam eandem eſſe cum illa, quam digito ſuo nobis Chriſtus demonſtrauit.Porrò nè quod ſuprà diximꝰ, in eadem fide & doctrina,calumnietur Smidelinus, quanuìs temporum,morum & hominum mutatione cogente, Pontifices & cõcilia,pleraq; mutauerint,quod & ipſos Apoſtolos feciſſe legimus, ipſam tamen primariam fidẽ,eaq; ipſa in quibus hęc ſita eſt & verſatur,integra,incõcuſſa & illabefacta,vnà cum hac perpetua & cõtinuata ſucceſſiõe ad nos deriuata eſſe,oĩm Catholicorũ lucubrationes & Patrum orthodoxorũ monumenta clarè ac dilucidè oſtẽdunt. Quorum illos,quoniam Smidelinus cum ſuis gregalibus dicterijs & conuicijs repellit,hos pro ſuo arbitratu vel ſibi fauentes tanq̃ ſanctos Patres recipit,vel contrarios tanquàm homines reijcit:facilè patet,iſtam Philiſtęorum cohortem non moliri aut conari,vt arcam Domini defendãt,ac ſartam tectam conſeruent,ſed
rapiant,

rapiant, diripiant, lacerent, ac conculcent. Hæc est igitur Ecclesia, hæc est successio sacerdotum, Smideline, de qua nos cum vniuerso illo sanctissimorum doctorum Senatu & Martyrum agmine gloriamur: quam sempiternæ spiritus sancti præsentiæ promissioné habere, persuasum firmitèr habemus, quam vos herì (quod aiunt) & nudiustertiùs nati, cùm proferre non potestis (quod & Optatus Mileuit. & D. Augustinus exprobrat Donatistis) mirandum nó est, si in ea oppugnanda neruos vestros omnes contenditis. Neq; verò negamus etiàm verbum Dei verum esse signum, quo cognoscatur Ecclesia, sed hoc ipsum & synceram huius sapientiam, vt ait Augustinus, in Ecclesia esse Catholica non creditis. Qua auté fronte illud vobis vendicatis? Si olìm in Ecclesiæ sinu nati, si vberum eius lacte nutriti, aduersùs eam gladium leuatis, reddite quod accepistis, & estote, si potestis alitèr, Christiani. Ideóne synagogæ vestræ (multæ enim sunt) ius & nomen & hæreditatem inuadent Ecclesiæ, quia quod huic eripuistis, vestrum esse gloriamini? Quo iure demùm, aut quo titulo possessio verbi Dei ad vos deriuata est? An vobis licere ducitis, quod ne in prophanis quidem possessionibus vlli hominum conceditur? Iustus ibì titulus & causa possidendi legitima requiritur. Vndè autem vobis competit scripturarũ possessio? Hunc gradum obstruimus, inquit Tertullianus, nó admittendi eos ad illam de scripturis disputationem, si hæ sunt illæ vires eorum, vt nè eas habere possint. Dispici debet cui competat possessio scripturarum, nè is admittatur ad eandem, cui nullo modo competit. Et paulò pòst: Ordo rerum desiderabat illud priùs ꝓponi, quod nunc solum disputandum est: quibus competat fides ipsa, cuius sint scripturæ, à quo, & per quos & quandò, & quibus sit tradita disciplina qua fiunt Christiani. Hæc ille. Siue ergò veram Ecclesiæ notam asseras verbum Dei, siue perpetuam illam & admirabilem sacerdotum successionem, siue populorum & gentiũ cõsensionem, siue authoritatem miraculis inchoatam, spe nutritam, charitate firmatam, (quæ om̃ia D. Augustinum in Ecclesiæ gremio iustissimè tenuerunt) siue inquam hæc singula, siue horum aliqua proferas, nostra sunt, Catholicorum sunt, Ecclesiæ sunt, & eorũ qui hanc pro matre & Christi fidelissima sponsa agnoscunt. Sit fusca, sit

cap. 4. cont. epist. fũdamenti.

De ꝑscript. hæret.

ſit nigra, decolorauerit eam feruens tribulatiõum tentationumq́; ſol, & quotidianę militiæ caſtrorumq́; puluis, mater tamen eſt oĩm in Chriſto viuentiũ, & à veris, gniſijs, germanisq́; filijs mater agnoſcitur. Sed nunc primi illius articuli membrum tractabimus, videlicet, neceſſum eſſe huic iam à nobis demõſtratæ viſibili Eccleſiæ, viſibile etiàm caput, tanquàm generalem gubernatorem & hierarcham, præeſſe.

Neceſſum eſſe, vt viſibili Eccleſię viſibile caput & generalis gubernator pſit.

Cap. 4.

Viſibili Chriſti Eccleſiæ neceſſum eſſe viſibile quoddã caput, & generalem gubernatorem præfici ad vitanda ſchiſmata.

TAmetſi Smidelinus Bredẽbachium, prętet caput Eccleſiæ Chriſtum, vicarium adhuc caput conſtituentęm Petrum & ſucceſſorem Petri, criminetur, quaſi hoc pacto biceps monſtrum obtrudat Eccleſiæ, (tam reuerentèr de re tam ſacra & ſeria loquitur) nihil tamen vetat, quo minùs hanc Bredenbachij & vniuerſæ Eccleſiæ Catholicæ doctrinam tueamur. Fatemur Chriſtum Eccleſiæ caput, fatemur & fundamentum. Sed rursùs fatendum eſt Smidelino, Apoſtolos quoq; duodecim, dici duodecim Eccleſiæ fundamẽta in Apocalypſi. Fatemur Chriſtum eſſe paſtorem, atq; adeò ἀρχιποιμένα & paſtorem magnũ ouium: ſed fateatur & Smidelinus Apoſtolum dicere, Dedit alios paſtores & doctores. Solus Chriſtus eſt vera illa lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & tamen ad Apoſtolos dicit, Vos eſtis lux mundi. Non igitur nouum eſt, ſi dicamus Chriſtum eſſe primarium Eccleſiæ caput.

Vide Auguſtinum diſertè de his differentem in pſal. 86. in verbis illis, Fundamenta eius in montib9 ſanctis. Matth. 5.

Cæterùm quia nunc peregrinatur, nec eo modo in terris conuerſatur, quẽadmodùm olìm cum Apoſtolis cõuerſatus eſt, (tãetſi potentia ſua vbiquè ſit incircunſcriptiuè, vt loquuntur ſcholaſtici, & gratia & ſpiritu ſuo penès Eccleſiam ſit, & permanebit vſq; ad conſummationem ſeculi) rectè dicimus, magnam illam ciuitatẽ Dei, cuius fundamenta in montibus ſanctis, quam iam non inuiſibilem ſub modio latére, ſed viſibilẽ & ſupra montem poſitam eſſe declarauimus: rectè, inquam, dicimus hanc ciuitatem habere ſuos

os Senatores,ſuos Magiſtratus,ſuos Epiſcopos,præfectos & principes. Et quemadmodùm in benè conſtitutis imperijs vnum aliquem imperatorem & Monarcham præeſſe videmus:ità in hac ciuitate ſummè neceſſarium dicimus, vnum aliquem præeſſe conſulem,in quo velutì vertice & cardine totius gubernationis moderamen & poteſtas verſetur & conſiſtat. Nam tametſi Smidelinus Ariſtocratiam,vel (quod ex multis euidètèr patet) anarchiam potiùs præferre conatur,monarchia tamen extra cõtrouerſiam optima eſt,& publicę paci conſeruandæ commodiſſima,quod ante tot ſecula ſummus ille philoſophorum princeps Ariſtoteles animaduertit,aſſerens in vna multitudine neceſſum eſſe,vt cuncta regulẽtur ab vno ἡγεμονικῷ,vt ipſe loquitur,aut principante,ſinè quo nemo diù aut conſtantèr faciet,quod eſt ſui officij, ſed quiſq; ꝓ ſuo arbitrio & libidine vſurpabit officium alterius, atq; ità neceſſariò diſſoluetur ſocietatis vnitas. Quam etiàm dicit demonſtrari à natura in animantis corpore,cui conformitèr habere ſe debet omne corpus vnitæ & conſociatæ multitudinis. Nisì enim in vno corpore vnum eſſet motiuum principium membrorum omnium, nunq̃ conſpirarent omnia in vnum & totius vtilitatem:immò vno hàc, altero mouente in contrarium,foret ſchiſma in corpore, & mutuò ſe membra impedirent. Vnum ſanè caput omnia membra longè commodiùs poteſt in vnitate, pace, atq; concordia conſeruare, & ad vnum finem dirigere, quàm plura capita, quorum cùm diuerſæ ſubindè ſint ſententiæ,non raró fieri ſolet,vt membra diuerſis adhæreant,& ad diuerſum finem reſpiciant, ac diſſenſionibus vnitatem diuidant, quod in hæreticorum Eccleſijs euidentèr conſpicimus.

Vnitatem porrò conſeruat Monarcha non per abſentiam, ſed quia preſens eaſdem omnibus leges & idem inſtitutum proponit. Proindè vt vnitas iſta Eccleſiæ conſeruaretur, vno paſtore viſibili opùs fuit,qui omnes Chriſti fideles in eiuſdem fidei vnitate cõſeruaret,& ad eũdem ſcopum perduceret, nè diuerſis ſupremis capitibus conſtitutis, diuerſa fides atq; Religio in Eccleſiam induceretur:vt prærereà vnus iudex viſibilis eſſet, qui omnium ſubditorum & aliarũ poteſtatũ cauſas definiret, & diſſenſiões compone-

neret, nè nullus esset, qui diuersa capita nonnunquàm (vt fit) dissidentia, ad vnitatem & concordiam reuocaret. Nam licèt Christus (vtì dictum est) Ecclesiæ suę sempèr pręsens fuit, non tamen per se (vt experimur) quęstiones quę occurrunt soluit, aut inter dissidẽtes iudicat, quantunuìs ineptè ad iudicium Christi prouocet Smidelinus in huiusmodi causis: sed quemadmodùm in Sacramentorum administratione hominum ministerio vtitur, ità etiàm in vnitatis Ecclesiasticæ conseruatione. Hinc rectè beatus Hieronymus aduersùs Iouinianum ità loquitur: Inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis tollatur occasio. Et rursùs in capite 2. Esaiæ: Super vnum montium Dominus fundauit Ecclesiam suã, & loquitur ad eum, Tu es Petrus &c.

Hieron.

Cyprianus.

D. Cyprianus prætereà tractatu 3. de simplicitate Pręlatorũ: Exordium, inquit, ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna mõstretur. Idem octaua epistola lib. 1. Vnus est Deus & Christus vnus, Ecclesia vna & cathedra vna, supra Petrum Domini voce fundata. Et rursùs eiusdem libri epist. 3. Neq; enim aliũdè hęreses obortæ sunt aut nata schismata, quàm indè quòd sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos & iudex vice Christi cogitatur. In eandem sententiam lib. 4. epist. 9. Indè schismata & hæreses obortę sunt & oriuntur, dum Episcopus qui vnus est, & Ecclesię præest, superba quorundam pręsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, indignus hominibus iudicatur. Et Hieron. Ecclesię salus in summi sacerdotis dignitate pẽdet, cui si non exors quædam & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesijs efficiuntur schismata, quot sacerdotes.

Hierony. aduersùs Luciferianos.

Proindè vetus synagoga vnum habuit supremum sacerdotem, quemadmodùm suprà declaratum est ex Deut. 17. qua cùm nõ sit deterior, immò excellentior & magìs ordinata Ecclesia Catholica, haud dubiè vnum etiàm erit caput in ea relictum. Huc accedit ꝙ in particulari qualibet Ecclesia vnus sit superior, qui eam moderetur & regat: ergò etiàm in vniuersali Ecclesia vnus erit superior, qui vnitatem totius corporis conseruet. Prætereà in Ecclesia triũphãte in cęlis vnum est caput nobis inuisibile, ergò in Ecclesia militante in terris atq; visibili vnum est caput visibile, quia Ecclesia q̃ in

In synagoga vnus fuit summus sacerdos.

In Ecclesijs particularibus vnus superior.

in terris degit, imitatur ordinē Ecclesiæ cælestis. Hinc beatus Bernardus ad Eugenium Pontificem: Non vilem, inquit, reputes formam hanc, quæ in terris formam habet in cælo. Vidit hoc qui dicebat, Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem nouam, descendētem de cælo. Sicut enim Angeli, Archangeli, Virtutes, Potestates, Throni, Dominationes, Cherubin, Seraphin sub vno sunt capite Deo, ità & hîc Patriarchæ, Archiepiscopi, Primates, Episcopi & reliqui sub vno sunt Pontifice summo. Neq; est paruipendendum, quòd Deum habet authorem, & de cælo ducit originem. lib. 3. de cōsiderat. Apoc. 21.

Cap. 5.

D. Petrum constitutum esse Christi vicarium, & generalem Ecclesiæ gubernatorem, quod multis Euangelij & Patrum testimonijs declaratur.

QVandò igitur apertè docuimus, in Ecclesia vnū esse relictum, qui tanquàm Christi Vicarius, totius Ecclesiæ curam gerat: nunc deincèps explicandum venit, quisnam ille fuerit, cui Christus seruator tantam curam imposuit. Illum autem fuisse D. Petrum, loca à Bredēbachio citata manifestè coarguunt. Ac tametsi Smidelinus suis strophis hæc omnia eludat, asserens hæc à suis esse confutata, quàm verè istud iactitet, vel vnus Matthæi locus, paulò pensiculatiùs examinatus, facilè declarabit. Beatus es Simon Bariona, inquit Christus, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cælis: & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petrā ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cælorū: & quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cęlis: & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cælis. In his verbis duo q̄dam inueniuntur, videlicet, commendatio personæ, & promissio committendæ potestatis. In vtraq; autem parte notandum est, totum sermonem ad personam Petri referri: ob hanc enim causam, non solùm nomen eius, sed & patris nomen exprimitur. Et prętereà additur, Et ego dico tibi. Quasi dicat, inquit Hieronymus: Tu dixisti mihi. Iam ego vicissìm dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Quod interpres Græcus Petrum cōstitutum esse Christi vicarium. Matt. 16.

& Latinus petram transtulerunt, hoc Chaldæi vocant כֵּפָא. Vndè Petrus Cephas dicitur, significaturq; ea voce saxum ingẽs aut rupes, cui commodè inniti possit ingens aliquod ædificiũ. Vult itaq; Christus Dominus Ecclesiam suam super Petrum ædificare, hoc est, eius humeris totius Ecclesiæ curam imponere, vt ipsam non solùm in fide instituat atq; sustentet, sed etiàm cura & administratione gubernet. Atque hoc est quod post trinam amoris Petri stipulationẽ, Dominus tèr ad ipsum responderit, Pasce oues meas: vbì textus Græcus significantioribus verbis vtitur: βόσκε τὰ ἀρνία μου, ποίμαινε τὰ πρόβατα μου. id est, Pasce oues meas, Rege oues meas: quod in suis annotationibus obseruâsse videmus Erasmum. Iam autem quòd his verbis non esse Primatum Petro collatũ, tam cõfidentèr asserit Smidelinus, nę illum optimo iure repræhenderit Sapiens ille Parœmiographus: Nè innitaris prudentiæ tuę. Quod verbum tractans Hieronymus in parabolis, (vt refertur de constitut. cap. Nè innitaris) Prudentiæ suæ innititur, inquit, qui ea quę sibi agenda vel dicenda videntur, Patrum decretis anteponit. Nos igitur spreto illo non minùs temerario quàm superbo Smidelini spiritu, quo sibi soli rectam huius loci intelligentiam tam arrogãtèr vendicat, Patrum Orthodoxorum sententias audiamus. Inter hos primum faciamus D. Clementem Pontificẽ & martyrem, atq; ipsius D. Petri primi Pontificis discipulum: Notum tibi facio Dñe, inquit, quia Simon Petrus verę fidei merito & integræ prædicationis obtentu fundamentũ Ecclesiæ esse definitus est. Qua de causa etiàm Domini ore cognominatus est Petrus. Petra quidem dictus est Christus. A Petra cognominatus est Simõ Petrus, vt in hac ratione edoceamur, Petrum Christi vicem in terris habiturũ, cuius nomen & accepisse cognouimus, & eundem petram vocari, supra quam fundanda erat Ecclesia.

In cap. 21. Ioan.

Pro. 3.

S. Patrum sententiæ de primatu Petri.

D. Clemens martyr Epist. 1. ad Iacobũ fratrem Dñi.

Cyprianus episcopus & martyr, tam multis in locis euidentissimis verbis Petri Primatum attestatur, & Ecclesiam supra ipsum fundatam. Videatur liber de simplicitate prælatorum, Epistola ad Iubaianum, Tract. 2. de habitu virginũ, & ad Fortunatum de exhortatione ad martyrium. Ex plurimis vnum duntaxàt locum producemus ex epistola aduersùs Nouatianum de vnitate Ecclesię: Loqui-

Cyprianus.

quitur Dominus ad Petrum, Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam &c. Et eidem post resurrectiōem dicit, Pasce agnos meos, pasce oues meas. Super vnū ædificat Ecclesiam, & illi pascendas oues committit &c. Ioan. 21.

Hilarius quoq; in 16. cap. Matt. sic de D. Petro loquitur: O in nuncupatiōe noui nominis felix ecclesiæ fundamentum, dignaq; ædificatione huius Petræ, quę infernas leges & tartari pœnas, & oīa mortis claustra dissolueret. O beate cæli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditûs traduntur, cuius terrestre iudicium præiudicata authoritas fit in cælo, &c. Hilarius.

In eandem sententiam Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus: Nec Simon fore sibi nomen, inquit, sed Petrus, prædicit, vocabulo ipso cōmodè significans, quòd in eo tanquàm in petra lapideq; firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam. D. Ambrosius serm. 16. Petri prę̨conium sic cecinit: Audîstis frequentèr ipsum Petrum à Domino petram nuncupatum &c. Si ergò, inquit, Petrus petra est, super quam ædificatur Ecclesia: rectè priùs pedes, scilicet claudi ex vtero matris, sanat, vt sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ità & in hoc membrorum fundamenta confirmet. Cyrillus libro 2. super Ioannem cap. 18. Ambrosius. Act. 3.

Rabanus quoq; de Petri primatu in hanc sententiam scribit: Qui regem cęlorum maiori prę cæteris deuotione confessus est, meritò præ cæteris collatis clauibus regni cælestis dotatur. Rabanus

Sed quid rem tam passìm & vbiq; in Patrum monumentis obuiam, ac tantis iam olìm testimonijs illustratam, pluribus demonstrare conor? Videatur Anacletus tertius post D. Petrum pontifex, in epistola ad episcopos Italiæ & ad vniuersos toto orbe sacerdotes, D. Ambros. serm. 47, Tertull. de pręscript. hęreticorum, Cyprianus lib. 1. epist. 3. ad Corneliū. Quid ad hæc Smidelinus? Hæc est, inquit, Pontificiorum vetus cātilena, & à nostris & scripturæ & SS. Patrum testimonijs confutata. An cuiquam probauerit Smidelinus, se testimonijs Patrum diuersum ostendere posse? An sanctissimos illos laudatissimosq; Pręsules, Martyres & Doctores, mendaces, vanos & sibi contrarios probabit? an verò seipsum potiùs, tam temerè de sanctis Patribus pronunciantem, vanum & mendacem ostendet?

Demonstrauimus hactenùs, quomodò scripturas tractauerit: nunc, vt se diuina simul & humana polluere & promiscua habere ostendat, etiàm vniuerso illi sanctissimorum Patrum senatui hanc ignominię notam inurere conatur, quasi aut sibi contraria scripserint, aut Petri eminentiam & principatũ negauerint, cùm idipsum tam multis iam ipsorum verbis à nobis demonstratum sit. Verè tibi frons meretricis, frons impudẽtissimi ganeonis, facta est, nesciens erubescere. Sed fortassis Origenẽ & sibi & cęteris omnibus contrarium declarare conabitur, qui tractat. I. in Matt. non solùm Iacobum & Iohannem filios tonitrui, sed & quenuis fidelem dicere videtur petram, cui non p̃ualere possunt inferorum portę. Verũ eo loci Origenes suo more typicã adfert expositionem secundùm allegoriam. Quod vel ex illo manifestũ est, quòd portas inferi, peccata: claues regni cęlorum, virtutes interpretetur. Alioquì multis in locis secum ipse dissideret Origenes, cùm alibì, tum homil. 17. in Lucam, dicat illum Apostolorum principem.

Hiere. 3.

Responsio

Porrò quia non diffitemur, quandoq; legi pares fuisse Apostolos honore & dignitate, vt pius Lector intelligat, quo pacto hæc cũ p̃dictis conciliari possint, breuem & luculentam distinctiõem adferemus. In Apostolis duo consideranda sunt: alterum, ꝙ Apostoli fuerint: alterum, quòd fuerint Episcopi, pastores & p̃positi certarum Ecclesiarum. Quatenùs Apostoli fuerunt, eandem habuerũt authoritatem & facultatem docendi omnes gentes, perferendi legationem, & ἀποστολὴν εἰς ὑπακοὴν πίστεως, vt ait Paulus ad Romanos. Sic Petrus tametsi fuerit Apostolus circuncisionis, vocauit tamen & gentes. Quatenùs autem fuerunt Episcopi, vnum habuerũt inter se caput & Primatem Petrum, quem D. Clemens signiferum, Chrysostomus verticem, caput & principalem magistrum Apostolorum & totius orbis, Origenes principem Apostolorum, Cyprianus vnicę Ecclesię exordiũ vocat, Basilius & Tertullianus magnũ Ecclesiæ fundamentum appellant, Ambrosius præcipuũ Apostolorum: Gregorius Nazianzenus, Hic, inquit, Petra vocatur, & illi Ecclesiæ fundaméta cõcreduntur: D. Augustinus immobile fidei fundamentum nominat.

Quõ Petrus dicatũ Apostolorum princeps, & quõ Apostoli fuerĩt pares.

Rom. 16.

Quatenùs igitur fuerunt Episcopi, singularem & particularem

ſinguli habuerunt Eccleſiam. Sic Iacobus Hieroſolymorum epiſcopus fuit,atq; adeò ſinguli ſuas prouincias, ſuosq; Epiſcopatus habuerunt:& hac ratione ſub Petro tanq̃ vertice & principe fuerunt:vt,quemadmodùm Cyprianus ait,vnitas Eccleſiæ manifeſtaretur:& dicente Hieronymo,vt capite conſtituto, ſchiſmatis tolleretur occaſio. Aut hæc eſt veriſſima de primatu Petri ſententia, aut adferat Smidelinus melioreˊ,qua & ipſi Petro & Apoſtolis ſalua conſeruetur authoritas,& verborum Chriſti, doctrinęq; Eccleſiaſticæ ſibi conſtet veritas.At nè hanc diſtinctionem veluti nouá quis ſuſpectam habeat,audiamus D.Iohannem Chryſoſt. hunc in modum de Petro & Petri ſucceſſoribus loquentem: Quisnam fidelis ſeruus & prudens?non hoc ait,quòd ei ignotus ſit fidelis ac prudens ſeruus, ſed quòd exprimere velit tum hoc opus quàm rarum ſit,tum quæ ſit fuuctionis huius amplitudo. Contemplare itaq; & præmium quantum:ſuper omnia, inquit, bona conſtituet eum.Etiam´ne nunc nobiſcum contendes, fraudem iſtam tibi nõ benè ac feliciter ceſſiſſe,qui per eam vniuerſis Dei Opt.Max.bonis ſis præficiendus?quum præſertim ea agas,quæ cùm Petrus ageret, illum Chriſtus authoritate prædıtum eſſe voluit, ac reliquos item Apoſtolos longè præcellere &c?Eccè,ait,quæ cùm Petrus ageret, id eſt,quum amplam illam functionem ſuſtineret, cùm eſſet œconomus totius domûs Dei,authoritate præditum fuiſſe,& reliquos apoſtolos longè præcelluiſſe. Vis apertiùs hoc tibi demonſtrari, Smideline?Audi ſanctum pontificem & martyrem D. Anacletum: Beati Apoſtoli inter ſe ſtatuerunt,vt epiſcopi ſingularum ſcirent gentium,quis inter eos primus eſſet,quatenùs ad eum potior eorũ ſolicitudo pertineret.Nam & inter beatos Apoſtolos quædam fuit diſcretio.Et licèt omnes eſſent Apoſtoli, Petro tamen à Domino eſt conceſſum,& ipſi inter ſe idipſum voluerũt,vt reliquis omībus præeſſet Apoſtolis,& Cepha,id eſt,caput & principium teneret Apoſtolatûs.Qui & eandem formam ſuis ſucceſſoribus, & reliqui Apoſtoli Epiſcopis tenendam tradiderũt. Et non ſolùm hoc in nouo teſtamento eſt conſtitutum,ſed etiàm in veteri fuit.Vndè ſcriptum eſt,Moſes & Aaron in ſacerdotibus eius,id eſt, primi inter vos fuerunt. Hæc & multò plura ibì D.Anaclet9,ſcribitq; ſimilia

Aduersùs Nouatianũ de vnitate Eccleſiæ.

lib. 2. de ſacerdotio, circa principium.

epiſt.3. de patriarchis & primati.

lia in epistola præcedenti. Clemens quoq; in epist. ad Iacobū fratrem Dñi: Nec inter Apostolos, inquit, par institutio fuit, sed vnus omnibus præfuit &c. Iam & Cyprianus in tract. 3. de simplicitate p̄latorum, posteaq̄ multa de ecclesiæ vnitate & authoritate Petri dixisset, ità subiungit: Et quanuìs Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: Sicut misit me pater, & ego mitto vos: accipite spiritum sanctum &c. tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientē, sua authoritate disposuit. Hoc erant vtiq; & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus: sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna monstretur.

Ioan. 20.

Similia scribit sanctissimus pontifex Leo ad Anastasium: Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habēt: ità multi sumus vnum corpus in Chr̄o, singuli autem alter alterius membra. Hæc cōnexio totius quidem corporis vnitatem requirit, sed pręcipuè exigit concordiā sacerdotum. Quibus tametsi sit sacerdotij dignitas cōmunis, nō est tamē ordo æqualis. Quoniam & inter beatissimos apostolos in similitudine honoris fuit quędam discretio potestatis: & cùm omniū par esset electio, vni tamen datum est, vt cæteris præemineret. De qua forma episcoporum quoq; est orta distinctio, & necessaria dispensatione prouisum, nè omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis prouincijs singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: & rursùs quidam in maioribus vrbibus constituti, solicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri sedem vniuersalis Ecclesiæ cura conflueret. Hæc ille Leo.

Cap. 6.

D. Petrum in hac generali cura successorem aliquem necessariò habere.

D. Petrum in hac gn̄ali cura successorem aliquē necessariò habere.

PEtrum igitur reliquis Apostolis in munere pastorali parē non fuisse, sed longè illis præcelluisse, generalemque hierarcham, ac domûs Dei œconomum primarium constitutum, nunc in confesso est: superest vt demonstremus, eum in hac generali cura successorem aliquem necessariò habere.

Quod

Quod commodè facturi videbimur, si officiorum distinctionem præponamus. Officia autem alia ordinaria, alia non ordinaria constituimus. Non ordinaria dicimus, quæ vel ad vitam tãtummodò, vel ad tempus iuxta superioris arbitrium conceduntur, atq; hæc quidem successorẽ habere non solent, cuiusmodi est offiaium legati, commissarij &c. Ordinaria sunt quæ sempèr durant, quandoquidem perpetua sunt illa ad quæ referuntur, cuiusmodi sunt Imperator, Rex, Dux, & id genus alia. Imperium enim, regnnm, Ducatus, per mortem Imperatoris, Regis, Ducis non intereunt. Huc etiàm pertinet officium pastoris: quia enim oues perpetuò manẽt, fit vt necessariò etiàm pastor officium habeat perpetuum, quod in successorem transeat. Cùm igitur Petrus pastor Ecclesiæ à Christo sit constitutus, qui oues eius pascat & regat: necessariò efficitur, eius officium perpetuum esse, quia oues nunquàm deerunt, ac ꝓindè B. Petro aliquem in generali hac pastoris cura succedere debuisse. Atq; hæc sit vna ratio, cui secundam hãc adijcere licebit. D. Petrus non in suam vtilitatem generalis pastor constitutus est ecclesiæ, sed in vtilitatem ecclesiæ. Ecclesia autem non minùs hoc tẽpore vno pastore indiget, quàm Apostolorum temporibus, immò multò magìs. Si igitur primitiua Ecclesia vnum pastorem habuit, vtiq; & nunc habebit Ecclesia in vergenti ætate constituta, quandò non minùs hanc amore prosequitur Christus, quàm illã, vnoq; sanguinis sui precio vtranq; redemit. Neq; minùs hodiè opùs habet ecclesia ædificatione, doctrina, optima gubernatione, quãdõ latè diffusa est per vniuersum orbem, vt facilè schismati & dissensioni locus inueniretur, quàm olìm, cùm pauculæ essent & illæ sanctissimę & perfectissimæ oues, quales erant Apostoli atq; discipuli Domini. Proindè si tunc monarchica gubernandi ratio in Ecclesia tanquàm optima instituta est, etiàm modò eadem ratione gubernabitur. Huc accedit, quòd in veteri synagoga Aaron summus sacerdos vsq; ad Christi tempora successorem habuerit. Synagoga autem vmbram Ecclesiæ Christianę repręsentauit. Nec pͤtereundum, quòd Christus Petro oues suas gubernandas committens, vt non aliquas aut paucas ei commisit, ità nec opposita conditiõe pͥsentes duntaxàt, sed & futuras ei commendâsse putandum est, quibus

Officia alia ordinaria, alia nõ ordinaria.

Secũda ratio, Petrus in vtilitatẽ ecclesiæ generalis pastor constitutus.

bus quandoquidem obstante mortalitate sempèr adesse non potuit, successorem habere oportuit. Agnouerunt ista quotquot in Ecclesia viguerunt sanctissimi Patres, quemadmodùm ex præcedentibus colliquescit, & pluribus demonstrari potest.

Adrianus primus Pontifex epistola, quam imperatoribus scripsit, quæ in 7. generali synodo lecta & approbata est, de B. Petro sic ait: Nam ipse princeps Apostolorum B. Petrus, qui primitùs Apostolicæ sedi præsedit, sui apostolatûs principatum & pastoralis curæ successoribus suis, qui in sua sanctissima sede successuri sunt, penitèr dereliquit.

Rursùs Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus, cuius epist. in generali octaua synodo extat, ità ad Adrianum Pontificem scribit, postquàm verba hæc, Tu es Petrus, & super hanc petram &c. posuisset: Tales inquit, beatas voces non secundùm quandá vtiq; sortem Apostolorum principi Petro solùm scripsit & definiuit, sed per eum omnes qui post illum secundùm ipsum efficiẽdi erãt summi pastores, & diuinissimi sacriq; Pontifices senioris Romæ. Videantur ea, quæ pulcherrimè tradit Chrysost. lib. 2. de sacerdotio circa principium. Has rationes candido & veritatis studioso Lectori satisfacere existimamus, ad probandam vnius alicuius generalis successoris in Cathedra Petri necessitatem: contentiosis & pertinacibus nemo vnquàm satisfecerit.

Cap. 7.

Romanum Episcopum esse D. Petri successorem, varijs rationibus ac testimonijs demonstratur.

NVnc deincèps quisnam in vniuersali hac totius Ecclesiæ cura D. Petro successerit, declarandum restat. Hoc autem cognoscemus, si cogitemus in ordinarijs huiusmodi officijs successorem illum esse, qui in locum demortui substituitur. Ac tametsi Seruator in Euangelio nullum D. Petro successorem deputauerit seu nominauerit, quoniam tamen ordinarium istud officium instituit, simul etiàm voluit vt in locũ demortui ille totius Ecclesiæ curam gereret, qui illi Ecclesiæ præesset, in cuius administratione D. Petrus moreretur.

Quis cuius successor existimandus.

Constat porrò, D. Petrum Romanum Episcopum fuisse, atq; in eo episcopatu à Nerone interfectum esse, queadmodùm illud postea luculentèr docebimus: ex quo manifestè consequitur, successorem D. Petri, non alium quàm Rom. Pontificem esse. Si enim Antiochiæ mortem obijsset, eius successor Antiochenus episcopus fuisset: si rursùs Hierosolymis occubuisset, nulla sibi particulari Ecclesia adiuncta, talis aliquis successor eius fuisset, qui nullius particularis Ecclesiæ curam gereret. Nam Pótificatus iste totius orbis, personæ, non autem loco, commissus est. Non enim ad Roman. vrbem generalis hæc cura est alligata, quin ab ea separari possit. Si enim capta Roma, aliò Pontifici commigrandum foret, aliam sibi ecclesiam adiungens, eius administratióem, cum vniuersali totius Christiani ouilis cura suscipere deberet. Pontifex enim vbì moratur, perpetuò secum vniuersalem hanc curam circunfert, quanuis facilè locus mutandus nó sit: quia, vt inquit Marcellus pontifex epist. 1. ad episcopos Antiochiæ, iubente Domino, Petri sedes Romam translata est. Et Egesippus lib. 3. excidij Hierosolymit. cap. 2. narrat D. Petrum dum ad necem quæreretur, rogatu Christianorũ Roma discessisse, illiq; fugienti Christum occurrisse: ex quo cùm Petrus quæreret, quônam proficisceretur, Dominum respódisse, Romam vado iterùm crucifigi: quibus verbis non obscurè significauit, velle se vt Romę Petrus occumberet, vtq; Rom. episcopus ei in generali totius Ecclesiæ cura succederet. Hanc veritatem tot veterũ sententiæ cófirmant, vt eas enumerare difficile sit. Atq; in primis nulli vnquàm fuerunt Rom. pontifices, qui hanc generalem curam & administrationẽ non agnouerint, eamq; suis scriptis epistolis atq; per vniuersum orbem missis, declarârint: (nam quæ Smidelinus hîc obmurmurat, suo loco cófutabimus) quos si hęretici suspectos habeant, tanquàm quibus in causa propria credendum non sit: maximè sanè mirum videri debet, si falsò sibi tantam authoritatẽ arrogauerint, nunquàm ab Apostolorum temporibus, inter tam sanctos patres, confessores atque martyres quenquam inuentũ fuisse, qui eos vel falsitatis arguerit, vel aliquo saltem modo repræhẽderit: quin potiùs ad vnum omnes tantam authoritatem in Rom. pontifice agnouerint. Nam & episcoporum confirmatio, à Roma-

no pontifice petita est. Episcoporum causæ ab eodem sunt definitæ: alij deniq; cuiuscunq; ecclesiæ episcopi ab ipso confirmati sunt, & re exigente, episcopatibus suis submoti.

Sæpiùs legimus Constantinopolitanos à Rom. pôtifice damnatos, sæpiùs Alexandrinos & Antiochenos. Alexandrinum autem episcopum à Romano episcopo confirmatum fuisse, satìs indicat D. Athanasius epist. ad Felicem pontificem missa. In epistola, quam Synodus Constantinopol. 2. ad Damasum misit, satìs etiàm indicatur, à Romano pontifice episcopos solitos esse confirmari, quandò in ea petitur confirmatio Constantinopolitani, Hierosolymitani, atq; Antiocheni episcoporum.

Syluerius Romanus, & post eum Vigilius, quoniam Antemium Constantinopolitanum, nunquàm in episcopatu confirmare voluerunt, nuuquàm potuit is firmam Constantinopolis sedem habere. Similitèr †Achatius, qui Imperatoris Zenõis opera, in Alexãdrinam sedem Petrum quendam hæreticum introducere voluit, à Rom. pontifice repulsam passus est: nunquàm enim Petrus ille, sed potiùs Ioannes quidam, in Alexandrina sede est constitutus. Causas porrò episcoporum sempèr ad pontificem Romanum pertinuisse, indicat Sozomenus lib. 4. Tripart. Historiæ cap. 15. referẽs D. Athanasiũ Alexandrinum, Paulum Constantinopolitanum, & aliquot alios Episcopos Romam ad iudicium confugisse: atque cognoscens, inquit, Rom. episcopus crimina singulorum, tanquàm omnium curam gerens propter sedis proprię dignitatem, omẽs in communionem suscepit, singulisq; suas reddidit Ecclesias. Præter Rom. pontifices, alij etiàm doctores, ob insignem vitę sanctimoniã & multijugem doctrinam publico totius orbis testimonio receptissimi, veritatem hanc in scriptis suis testatam reliquerunt. Videatur D. Athanasius in epistola ad Felicem, & alia ad solitariã vitam agentes. Cypriauus lib. 1. epist. 3. & 8. lib. 3. epist. 11. & alibì sæpiùs. D. Hieronymus epist. ad Damasum: Facessat, inquit, inuidia Romani culminis, recedat ambitio: cum successore piscatoris & discipulo crucis loquor. ego nullum præuium nisì Christum sequens, beatitudini tuę, id est, Cathedrę Petri communione consocior. super illam petram ędificatã ecclesiam scio. Et post pauca: Quicunq; tecum

†Acacius

Causæ episcoporum à pont. Rom. cognitæ & iudicatæ.

Patres agnoscunt Rom. episc. D Petri successorem.

tecum non colligit,ſpargit: hoc eſt,qui Chriſti non eſt, antichriſti eſt.Et epiſtola ſequenti ad eũdem:Ego interim clamito: ſi quis cathedræ Petri iungitur, meus eſt.Et rursùs: Hæc eſt fides,Papa beatiſſime, quam in Catholica didicimus Eccleſia, quamque ſempèr tenuimus, in qua ſi minùs peritè aut parùm cautè fortè aliquid poſitum eſt,emendari cupimus à te,qui Petri ſedem & fidem tenes. Si autem hęc noſtra confeſſio, Apoſtolatûs tui iudicio comprobatur: quicunq; me culpare voluerit,ſe imperitum vel maleuolũ, vel etiã non Catholicum,ſed hæreticum comprobabit.

D.Ambroſius in cap.3.epiſt.prioris ad Timoth.Cùm,inquit,totus mundus Dei ſit,Eccleſia tamen domus eius dicitur, cuius hodiè rector eſt Damaſus. Ambroſi⁹. D.Auguſtinus ſępè ſucceſſionem Rom. pontificum recenſet,vt etiàm Irenęus & Euſebius, quemadmodũ ſuprà declaratum eſt,qui omnes agnoſcunt Rom.pontificem D. Petri ſucceſſorem.Idem Auguſtinus Romanæ ſedis dignitatem in multis ſuis libris agnouit.Videatur epiſt.106.ad Paulinum,& epiſt. 162.Item lib.2.contra Donatiſtas cap.1.& pręfatio in libros contra duas epiſtolas Pelagianorum. Auguſtin⁹.

Rursùs D.Baſilius epiſt.52.& 57.D.Bernardus etiàm libro 2.de conſideratione ad Eugenium:& reliqui patres,quos omnes longũ eſſet enumerare.Omnes quippè agnoſcunt, Rom.epiſcopum cæteros omnes authoritate & dignitate pręcedere. Idem confirmãt Concilia generalia,quę nunquàm rata habita ſunt, niſi à Romano Pontifice confirmarentur. Baſilius. Bernard⁹.

Cap. 8.

Confutantur argumenta Smidelini cõtra Primatum Romani epiſcopi, & primò,an Chriſtus prohibens diſcipulis de Primatu contendere,omnem primatum Petro abrogauerit, ſoláq; eminentia quædam donorum fuerit,non etiàm poteſtatis inter Apoſtolos,vt vult aduerſarius.

HAec ſunt piè Lector, ex plurimis pauciſſima,quę ad iſtius politię à Bredenbachio aſſertę (quam conuellere & confunde-

re conatus est Smidelinus) restaurationem aut potiùs conseruationem pertinere iudicauimus, quibus velutì faculis adhibitis, vniuersa illa Smidelini fuligo facilè discutitur. Nunc superest, vt quæ obmurmurauit, paucis examinemus. Quòd Christus reliquis Apostolis Petrum non præfecerit, (inquit Smidelinus) tanquàm cõsulem, quæ apud Lucam extat, grauissima admonitio testatur. Nam cùm discipuli de primatu contenderent, quis illorum esset habendus maior, Christus ab huiusmodi vanis & pontificalibus, hoc est, superbis cogitationibus eos auocat, dicens: Reges gentium dominantur &c. Vos autẽ nõ sic &c. Quid hinc infers Smideline? Prohibet hîc Apostolis aliquam eminentiam? Nihil minùs. Nam & ipse erat rex regum, & Dominus Dominantium, & vertex ille Apostolorum Petrus suos discipulos & neophytos vocat genus electum & regale sacerdotium. Quæ verba considerans Origenes, si illos dicimus reges, inquit, qui per verbum ipsorum crediderunt, quantò magìs ipsi reges habendi sunt, qui faciunt reges? Si reges à regendo dicuntur, omnes vtiq; qui Ecclesias Dei regunt, reges meritò appellabuntur Ecclesiæ. Et propter hoc meritò Dominus rex regũ dicitur. Nisì enim isti & cæteri, qui eos imitantur, reges fuerint, ille nõ videbitur rex Regũ &c. Rex igitur fuit Christus, Reges fuerũt Apostoli. Quó? Nõne ait Christus, Reges gentiũ dñantur, Vos autẽ nõ sic? Facile est hũc nodũ ex patrũ orthodoxorũ cõmentarijs dissoluere. Sed quia Bredenbachiũ oppugnat Smidelinus, ipsum Bredenbachium in commẽtarijs suis in Mattheum, audiamus: Ethnicæ tyrannidis est, inquit, affectare potentiam atq; dominiũ, vt alios pro tua libidine cogas tibi inseruire, te metuere ac formidare. Christianæ pietatis est atq; modestiæ, omnibus inseruire, de om̃ibus benè mereri, nemini tete præferre. Quòd si diuina ordinatione contigerit te præfici alijs, eo magìs etiàm animum submittere, vtì sub onere grauiori. Non quòd non debeat prefectus sua vti authoritate, cùm opùs est, cùm dicat Apostolus, Peccantes, corã om̃ibus argue, vt & cæteri timorem habeant. Et qui enormitèr peccauerint, tradendi interìm Satanæ sunt in interitum carnis, nequaq̃ crudelitate tyrannica, sed potiùs charitate Apostolica, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi. Nam hoc ipso minister fit

[Margin notes: Reges Apostoli. — 1. Ti. 6. — Bredẽba. in ca. 20. Mat. & cap. 18. — 1. Tim. 5.]

fit omnium etiàm illorum,in quos videtur sæuire. Hactenùs Bredenbachius.

Voluit igitur Christus his verbis non damnare principatum,sed superbam dominandi ambitioné:qua(pleni adhuc,vt aiunt Chrysost.& Theophylactus,carnalibus affectibus)plerique discipulorũ volebant sedere à dextris & sinistris:alij inuidebant Petro hanc p̃rogatiuam,quòd dixerat Christus ad Petrum,Staterem illum sumens,da eis pro me & te:alij,vt Lucas commemorat, audiẽtes Dominum dicentem, Eccè manus tradentis me, mecum est in mensa, cœperunt quærere inter sese,quisnam esset ex ipsis, qui hoc facturus esset,atq; indè(vt Theophylactus ait)eò peruenerunt, vt dicerenr,Ego sum melior,ego sum maior,& similia. Quid igitur Dñs? Comprimit,inquit Theophylactus,tumultum hunc duobus exẽplis:Vno gentilium,quos abominabantur,ostendẽs, quòd illis assimilandi sint,si sapiant similia:altero autem, suo exemplo. Chrysostomus dubitat,an verè contentiosis verbis contenderint, atq;ità tumultum excitauerint: an verò tacitè duntaxàt secum cogitauerint:vtut sit,omnium commentarij testantur,Christum nõ principatum siue eminentiam his verbis abrogâsse, sed ambitiosum affectum,qui tum adhuc in ipsis viuebat,redarguisse:quod ipsa Christi verba luculentèr testantur,dicentis:Qui maior est in vobis, fiat sicut minor:& qui præcessor est,sicut ministrator. Ex quibus liquet,fuisse inter Apostolos aliquem maiorem, aliquem præcessorem:sed tamen hunc ipsum,animi demissiõe & humilitate, se oĩm ministrum præbere debere.Qui sibi arrogat,inquit Chrysostom⁹, is verè humilis nõ est:q̧ verò humilis est,is ad veræ sublimitatis cacumen volauit.Sic multis in locis scripturæ damnantur opes tanq̃ materiæ summi mali:nõ quòd malus sit eorum vsus, sed quòd frequentissimus & pessimus sit earum abusus. Admodùm igitur fragile est & planè ficulneum, immò absurdum hoc Smidelini argumentum,quo primatum D.Petro abrogari nimìs ineptè & impudentèr affirmat:cùm & Euangelista Christum ambitionem duntaxàt & fastum gentilem & honoris inuidiam carpere demõstret, omniumq; veterum interpretationes in hanc sententiam consentiant.

Mat.20. Matt.17. Luc.22. In 20. cap. Matth. Chrs non eminentiã, sed eminẽdi affectum apostolis prohibuit.

Smid. Sequitur nunc apud Smidelinum: Si quæ inter discipulos fuit maioritas, donorum fuit, non potestatis, quæ omnium erat similis & vna, ligandi scilicet & soluendi.

Bred. Vetus hæc est Protestantium cantilena, (vt verbis vtar Smidelini) & sæpiùs à Catholicis refutata, vt actum agere videamur, si operosè respondeamus. Data fuit omnibus ligandi & soluendi potestas: sed Petrus in administranda & gubernanda ecclesia, tanquàm vnus & summus nauclerus, tanquàm vertex, princeps & signifer fuit electus, vt capite cõstituto, schismatis, non quidem inter Apostolos, quorum tãta erat cõcordia, sed potiùs inter posteros tolleretur occasio. Quòd non sola fuerit donorum inter discipulos maioritas, abũdè nunc demõstrauimus, quanquàm & hac ratione Petrus tam acris, tam vehementis, tam fidelis & ardentis in omnibus animi, cæteros longè p̃celluit, tametsi & cæterorum nonnulli præcipuis quibusdam virtutibus polluerunt, velutì Iohannes peculiaritèr à Deo adamatus, & Paulus vas electionis appellatus, Petrum tamen vnicum Domini Achaten & Apostolorum Coryphæum fuisse, tot iam & tam illustribus testimonijs probauimus, vt Smidelinus eorum authoritatẽ huiusmodi ineptijs nunquàm eleuauerit. Hoc erant vtiq; Apostoli cæteri, inquit Cyprianus, quod fuit Petrus: sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna monstretur.

Vide cap. 5. huius lib.

Cap. 9.

Non omnes illos esse Petri successores, quotquot à D. Petro ordinati sunt episcopi, vt falsò asserit aduersarius.

Smid. QVod nunc sequitur, planè absurdum est & ridiculum. Etsi maximè obtineant, inquit, Petrum principem Apostolorum fuisse, quod nunquàm probabunt, potestate scilicet alijs superiorem fuisse, (sicut videre est in epist. ad Galatas, quòd à D. Paulo in faciem fuerit repræhẽsus) quid hoc ad Roman. Pontificem? Non enim solùm Romani episcopi, si tamẽ, sed alij quoq; sunt D. Petri successores, quos passim Ecclesijs præfecit.

Bred. Quanuis apertæ sycophantiæ nullam responsionem mereantur, examinabimus tamẽ & hoc παράδοξον. Potestate superiorem fuisse

ſe Petrum, nunc (vtì dicimus) demonſtratum eſt. ſi piget ad ea recurrere, lege quæ habet Chryſoſt.lib.2.de ſacerdotio circa principium, De repræhenſiōe Pauli ſuo loco dicemus. Quòd alij à D. Petro conſtituti & paſsim Eccleſijs præfecti, ipſi Petro in Cathedra ſucceſſerint, vt ſimpliciter dicam, apertum eſt & nimìs impudens mendacium. Chryſoſtomus memorato loco Rom. epiſcopum Petri ſucceſſorem vocat, itidemq; alij doctores paſsim: quibus omibus prætermiſsis, (vt prolixitatem vitemus) ipſum D. Petrum iam in extremo vitæ actu conſtitutum, loquentem audiemus, referente ipſo Clemente. In ipſis, inquit, diebus, quibus vitæ finem ſibi imminere præſenſit Petrus, in conuentu fratrum poſitus, apprehenſa manu mea, repentè conſurgens, in auribus totius eccleſiæ hæc protulit verba: Audite me fratres & conſerui mei: quoniam ſicut edoctus ſum ab eo, qui me miſit, Domino & magiſtro Ieſu Chriſto, dies mortis meæ inſtat, Clementem hūc epiſcopum vobis ordinabo, cui ſoli meæ prædicationis & doctrinæ cathedram credo, qui mihi ab initio vſq; ad finem comes in omnibus fuit, & per hoc veritatem totius meæ prædicationis agnouit. Qui in omnibus tentationibus meis ſocius extitit, fideliter perſeuerans, quem præ cæteris expertus ſum Dominum colentem, homines diligentem, caſtum, diſcendi ſtudio deditum, ſobrium, benignum, iuſtum, patiētem, ſcientem ferre nonnullorum, etiam ex his qui in verbo Domini inſtruuntur, iniurias. Propter quod ipſi trado à Domino mihi datam poteſtatem ligandi & ſoluendi, vt de omnibus quibuſcunq; decreuerit in terris, hoc decretum ſit & in cælis. Ligabit enī quod oportet ligari, & ſoluet quod oportet ſolui, tanquàm qui ad liquidum eccleſiæ regulam nouerit. Ipſum ergò audite, ſcientes q̄ quicunq; contriſtauerit doctorem veritatis, peccat in Chriſtum, & patrem omnium exacerbat Deum, propter quod & vita carebit. Ipſum autem qui præeſt cæteris, oportet medici vicem agere, & nō feræ beſtiæ furore commoueri. Hæc eo dicente, ego procidens ad pedes eius, rogabam excuſans me, & declinans honorem cathedræ vel poteſtatem. At ille reſpondens: Pro hoc, inquit, nè rogaueris. Hoc enim fieri ſtatutum eſt mihi, & eo magìs, quo te excuſas, quia hæc cathedra eum, qui cupit eam & audactèr expetit, non requirit,

Clemens epiſt.1.ad Iacobum fratrem Dñi.

ſed ornatum moribus,& in verbis eruditum, Quòd ſi eſſet alius melior,ſi quis mihi alius adiutor tam ſedulus adſtitiſſet,ſi quis tam plenè doctrinæ meæ rationem cepiſſet, ſed & eccleſiaſticas diſpoſitiones à me tam plenè didiciſſet,habens alium talem, non te cogerem opus bonum ſuſcipere nolentem.Superfluum eſt ergò aliũ quærere,quum primitias eorum,qui ex gentibus per me ſaluãtur, & præcipuè huius vrbis,te primum obtulerim DEO. Sed certus eſto quòd neceſsè eſt te ſuſcipere omne periculum, quia nec ego pro ſalute omnium ab obſecrando ceſſabo &c.Hæc ibì D.Clemens.

Quin & hoc tibi probandum incumbit,Smideline,quis epiſcoporum vel ſeipſum dixerit,vel ab alijs agnitus ſit D.Petri ſucceſſor præter Romanum epiſcopum.Si obijciat Linum, deindè Cletum, ac poſteà demùm Clementem Petro ſucceſſiſſe, iam olìm reſponſum eſt,Linum & Cletum Chorepiſcopos, non autem ordinarios & diametrales Petri fuiſſe ſucceſſores,tametſi & alij alitèr reſpondeant.Platina ait,Clementem tantę fuiſſe modeſtię,vt coëgerit Linum & Cletum ante ſe munus pontificatûs obire, nè poſteris hæc principatûs ambitio pernicioſi exempli haberetur. Sed nec paulò pòſt Platinæ conuenit cum Irenæo, qui Lino ſucceſſiſſe Anacletũ, Anacleto Clemẽtem, huic Euariſtum aſſerit.Atq; rursùs ipſe Anacletus in prima epiſtola ſua, Clementem prædeceſſorem ſuum appellat.Irenęo ſuffragatur Euſebius.

Platina in Lino.

Irenęus lib. 3.ca.3.

Quòd ait Smidelinus, Proceres autem Eccleſię & paſtores non poſſunt à ſuis aliquam exigere obedientiam, niſì quatenùs indubitatum Dei verbum adferunt: quouſq; ſe porrigat verbum Dei, demonſtrauit Bredenbachius in libro contra Henricum Pileum. Demõſtrauit & infatigabilis ille & inuictus Eccleſiæ hyperaſpiſtes D.Staniſlaus Hoſius in libro de expreſſo verbo Dei: docuit & explicuit idem præclaro & illuſtri volumine D.Vuilhelmus Lindanus,propter admirabilem eruditionem cum vitę integritate coniunctam,nupèr creatus epiſcopus, vt alios innumerabiles taceam, quibus veſtri ne iota quidem reſponderunt.

In Panopl. Euãgelica.

Cap. 10.

An

An rectè faciat Smidelinus, quòd suam suorumq́; peruicaciam vocet constantiam: an rectè neget à Luteranis eiectos esse Catholicos episcopos.

PRosequitur nunc: Quæ summus Pontifex impia pręcipit, Smid.
vt eadem quoq; faciant, quibus imperat, huic obedire est
extrema impietas. Fatemur tecũ, in huiusmodi præce- Bred.
ptis Pontifici parendum non esse: sed quæ vos seditiosis
clamoribus impia esse contenditis, nos negamus, & solidis ratiõi-
bus ab impietate vindicamus. Hominibus seditiosis & aduersùs le-
gitimam potestatem rebellibus nihil vsitatius est, quàm vt magi-
stratum iniquitatis impietatisq́; suggillent. Omnes præterea hære-
tici, prępositis ecclesiasticis, episcopis, & plerunq; episcopo Roma-
no dogmatum impietatem impegerunt, vt hac ratione plebem ad
seditiosam defectionem solicitarent. Vndè D. Augustinus Petilia- lib. 2. ca. 51.
num obiurgans, Cathedra, inquit, quid tibi fecit Ecclesię Roma- cont. li. Pe-
nę? Donatistę quoq; cùm à Melciade Romanæ vrbis episcopo er- til.
roris & schismatis damnati essent, (ad ipsum enim iamindè ab ini- Vide Aug.
tio sempèr Ecclesiasticarum controuersiarum, & religionis iudici- epist. 162.
um relegatum est) illi repudiato Melciadis iudicio, ad Constanti-
num prouocârũt. Sic rebelle illud hæreticorũ vulgus, vt suis erro-
ribus patrocinium quærat, legitimis ecclesiæ præsidibus atq; adeò
toti Ecclesię catholicæ impietatem impingit. Longè sanctiùs & ho
norificentiùs præclarum illud Ecclesiasticę vnitatis exemplar D.
Cyprianus explicaturus symbolum, cùm retulisset, in quibusdã ec Cypr. in ex-
clesijs quędam verba ipsi symbolo adiecta, in ecclesia tamen vrbis posit. symb.
Romę, inquit, hoc non depręhenditur factum, quod ego propter- Apost.
eà esse arbitror, inquit, quòd neq; hæresis illa illic sumpsit exordi-
um, & mos ibì seruatur antiquus &c. Quę de piorum, hoc est, ve-
strorum, sic enim vis intelligi, constantia memoras, hanc scilicet
peruicaciæ nomine traduci, nõ eget prolixo responso. Si pium est,
scripturas torquere, deprauare, mutilare, easq́; spretis omniũ ve-
terum interpretum expositiõibus, tanquàm commentis humanis,
ex proprio arbitrio instàr cerei nasi flectere & reflectere: si piũ est,
tam conuiciosis dicterijs, famosis libellis, pictis imaginibus passim

in omnes debacchari & ſcurrari: ſi pium eſt, ſpreto Moſe & Aarone, hoc eſt, legitimo Eccleſiæ magiſtratu, cũ Core, Dathan, & Abiron clamitare, Nónne omnis multitudo ſanctorum eſt? cur eleuamini ſuper populum Domini &c? ſi pium eſt, damnatos & rebelles hæreticos ab vniuerſæ Eccleſiæ iudicio ad principes laicos prouocare, cùm & horum ſupremus princeps & Imperator Carolus V. cum tot laudatiſſimis Regibus, Ducibus & Principibus doctrinam ſeditioſam, rebellem & hæreticam cum ipſis authoribus condemnauerit, cùm in pleroſq; veſtrûm gladio à Deo accepto animaduerterit: ſi pium eſt, eos qui diſputante & ſuggerente diabolo, noua, inaudita, profana, ſchiſmatica, impia, blaſphema & ſeditioſa dogmata carni adlubeſcentia, prurientibus auribus ingerunt, qui turpiſſima libidine æſtuantes, vbi tot & tam infinita & præclara extãt continentiæ & cælibatûs exempla, effractis monaſteriorum clauſtris, ad inceſtas, adulterinas & ſacrilegas nuptias, velut equi hinnientes proruunt: ſi pium eſt, diſruptis omnibus Eccleſiaſticarũ legũ ac diſciplinæ repagulis, contemptis ieiunijs, exploſis horarijs, combuſtis ac concrematis maiorum ſanctionibus, direptis ac ſpoliatis Eccleſijs, furioſam quandam belluinam & planè Satanicam licentiam ſub blaſphemo Euangelij prætextu, voce & ſtylo paſsìm proclamitare, & exemplo docere, deliciari, in monacharum ſacrilegis complexibus inceſtuosè voluptuari, carnis curam ad concupiſcẽtias agere, quibuſlibet, quomodolibèt, quandolibèt veſci, nè petulantiſſimæ carnis deſiderijs quicquam negetur: ſi, inquam, hoc piũ eſt, ſi hi ſunt digni pœnitentiæ fructus quos docuit Ioannes, ſi hoc eſt ſeminare in lachrymis: ſi hoc eſt, operari ſalutem cum timore & tremore, ſi hoc eſt præcingere lumbos, ſi hæ ſunt lucernæ ardẽtes, atq; intereà ſe iactare filium Dei, certũ de hæreditate cæleſti, à qua nullo pacto poſſis exhæredari: ſi, inquam, hoc pium eſt, fatendum eſt, Chriſtianos in primitiua eccleſia (de quorũ diurnis & nocturnis precibus, vigilijs, ieiunijs, ſolitudine, vitæ aſperitate, continentia & perpetuo contra carnis, diaboli & mundi iritamenta certamine, tam multa extant teſtimonia, de quorum glorioſa victoria tam præclara trophæa, tam illuſtres conſpiciuntur triumphi, de quorum pleriſque dixit ille: Surgunt indocti, & rapiunt cælum)

Num. 16.

Aug. de D. Antonio Anachoret. li. cõf. ca. 8.

lum) veram pietatem nesciuisse: fatendum est, illos vehementèr desipuisse, qui tanta cura, tãta solicitudine, tot precibus & lachrymis, tam asperis ac duris cilicijs, tãta vitæ austeritate sategerint certam facere vocationem suam: immò fatendum est, Christum falsò nobis hunc metum iniecisse, quòd regnum cælorum vim patiatur, & violenti rapiant illud. Oportet igitur aliud esse cælum, in quod cum noua hac vestra pietate trãsferamini, cùm illi qui hactenùs ad cælum tetenderunt, longè alia via incesserint, aliam doctrinam ꝓfessi sint, alia pietate præditi fuerint. Porrò noua hæc vestra pietas comitem habet etiàm nouam constantiam, hoc est, vt simplicitèr dicam, summæ & inauditę impietati inauditam coniungitis peruicaciam, fastum & superbiam, qui tam peruicacitèr, tam fastuosè & superbè solis vobis veram & genuinam scripturarum intelligẽtiam vẽdicatis, (quorũ præceptor, velut enthusiasmo percitus, & œstro lymphatus, non erubuit publicitùs proclamare: Hîc sto, hîc sedeo, hîc maneo, hîc glorior, hîc triumpho, hîc insulto Papistis, Thomistis, Henricistis, Sophistis, & omnibus portis inferi, nedùm dictis hominum quantunlibèt sanctorum, & consuetudini fallaci. Dei verbum est super omnia. Diuina maiestas mecum facit, vt nihil curem, si mille Augustini, mille Cypriani, mille ecclesiæ Henricianæ contra me starent. Deus errare & fallere non potest. Augustinus & Cyprianus, sicut omnes electi, errare potuerunt, & errauerunt:) qui post annos mille quingentos, velut è cælo prolapsi doctores, nũc primùm docere conamini, quæ anteà nesciuimus: qui scripturas planas & faciles esse dicitis, & nihilominùs tanta contentione, tam dissonis, pugnacibus & contrarijs clamoribus de recto earum intellectu cõtenditis, qui à iudicibus Ecclesiasticis ad principes, à principibus ad vulgus, à vulgo ad scripturam, à scriptura ad tribunal Christi tam procacitèr & incõstantèr prouocatis, qui dum cuilibet ex populo doctrinæ Ecclesiasticæ examen & iudiciũ conceditis, immò non petentibus obtruditis: Latomum & Bredenbachium, tanquàm Rhetores & Grammaticos, ab examine dogmatum vestrorum, tam peruicaciter, tanto cum supercilio arcetis: & vt semèl dicam, qui aliud stantes, aliud sedentes ex eodem ore modò calidum, modò frigidum, stolida, ridenda & plusquàm anili le-

In lib. cont. regẽ Angliæ

Hieron. ad Pammach. & Ocean.

uitate, sinè omni pudore, sinè omni verecundia, sinè omni fronte, tanto cum nominis vestri dedecore, vestroq; & publico totius orbis malo profertis, docetis & scribitis. Eas nunc Smideline, & tuam tuorumq; pietatem & constantiam iactites. Si nobis persuadere poteris, hanc non esse summam impietatem. summam & plusquàm diabolicam peruicaciam: si, inquam, hoc nobis, aut vlli, vestris prȩstigijs nondùm penitùs fascinato, persuaseris, dixero te non simplicem esse præstigiatorem.

Smid. Pergit Smidelinus: Quod de consule ciuitatis Dei adfert Grammaticus, prorsùs ineptum est, absurdum & insulsum. Sed audiamus

Bred. quid absurdi protulerit Bredenbachius: Quòd si quis, inquit, fortè Magistratus iniquior sit in aliquem ciuem, aut etiàm in totũ populum, non tamen propterea cuiquam concessum est, in ipsum magistratum insurgere, populum ad seditionem conuocare, sibi sumere potestatem deturbandi de sua sede illum, quem cõstituit rex aut princeps, dominus videlicet ciuitatis. Si quid iustȩ querelȩ est, ad principem ciuitatis dominum referendum est, vt is Magistratũ iniquum ad æquitatem redigat, in malitia pertinaci mittat successorem iustum. Ità se planè habet in Repub. Christiana, si qñ pontifices, episcopi, cæteriq; quibus cura huius Reipubl. commendata, incipiant esse tyranni, aut alioquì negligentes officij, nõ est nobis imitandus Martinus Luterus, vt nos commoto orbe turbemus omnia &c.

Smid. Adhȩc Smidelinus, paulo superiùs: Hoc, inquit, prorsùs dissimile est. Alia enim ratiõe sumus subiecti politico magistratui, & alia presbyteris, hoc est, Ecclesiæ pastoribus. Quamobrẽ Smideline? Vtcunquè enim, inquit, iniqua onera subditis imponat magistratus, populus propter conscientiam tenetur obedire, Rom. 13. Etsi hæc quoq; ipsorum potestas sit limitata, si quid cõtra manifestum verbum Dei præciperet, magìs obediendum est Deo &c.

Bred. Eadem profectò ratione subiecti sumus Ecclesiastico magistratui, cui impunè non paretur, si quid contra expressum Dei verbum pcipiat: si quid verò iniuriarum aut grauaminis inferat, non facilè

Act, 23. rebellandum. Sic Paulus, iubente Anania summo pontifice in os percussus, cùm ignorans eum esse Pontificem, grauiùs ferret iniuri-

am, monitus respondit: Nesciebam fratres, quia princeps est sacerdotum. scriptum est enim: Principem populi tui nõ maledices. Falsò igitur absurditatis arguit Bredenbachium Smidelinus. Exod. 22.

Cap. II.

In Cathedra Mosis aut Petri sedentes, licèt non æquet Mosen aut Petrum sanctimonia, tamen audiendos esse.

SEquitur apud Smidelinum: Iustè punitos esse Core, Abirõ & Dathan cum ducentis quinquaginta viris, non negamus, quòd Mosi & Aaroni restiterunt, suum officiũ facientibus. Sed vtrunq; probandum incumbit Grammatico, suos sacrificulos conferri ipsi Aaroni & Mosi. Et principes qui sanctam Euangelij doctrinam tuentur, similes esse seditiosis & maledicis Core & Abiron & Dathan. Probent priùs sese Mosen &c. Smid.

Milliès iam dictum est, non excusari rebelles subditos à rebellione, etiamsi præpositi non sint per omnia tales quales esse deberẽt. Non erant Moses nec Aaron Scribæ & Pharisæi, & tamen, quia super cathedram Mosis sedebant, iubebantur discipuli illis præstare obedientiam. Ac tametsi odiosa sit in huiusmodi comparatio, certum nihilominùs est, vt suprà docuimus, si non omnes Pontifices sanctimonia æquentur Aaroni aut Mosi, sedere tamen eos non in Mosis aut Aaronis, sed Petri cathedra per Christum erecta. Quòd autem per Core, Dathan & Abiron non illi qui sanctam euangelij doctrinam tuentur, sed qui sub huius prætextu schismata & hæreses disseminant, intelligantur, ipsa historia & crebra patrum vsurpatio declarat. Core, inquit Origenes, figuram tenet eorum, qui contra Ecclesiasticam fidem & doctrinam veritatis insurgunt. Idẽ docet Cyprianus multis in locis. Porrò si hæreticorum etiàm appellationem in vos competere negatis, appellate & ostendite vos catholicos, ostendite Ecclesiam vestram per orbem totum radios suos porrigere, ostendite illam per vniuersam terram ramos suos copia vbertatis extendere, ostẽdite vos non à Lutero Luteranos, sed à Christo Christianos nũcupari. Hac ratione olìm D. Augustinus Gaudentiũ Ecclesiã Catholicã sibi suisq; vẽdicantẽ refutauit. Bred. Matt. 23. Orig. hom. 9. in Num. Cypria. li. 1. cap. 4. Idem tract. 3. de simpli. prælat. Aug li. 3. ca. 1 cõtra Gaudentium. Hieron. cõ. Lucifer.

Prosequitur Smidelinus: Cæterùm putida est criminatio, Episco- Smid.

ſcopos à noſtris eijci, vt illorũ cathedras conſcendãt principes &c.

Bred. Vtiq; putida hæc eſt Smidelini criminatio, cùm nuſquàm queratur Bredenbachius, Principes Cathedras conſcendere, ſed veſtrã potiùs & præceptoris veſtri rebellionem & ſeditioſos violentosq́; contra Eccleſiaſticam poteſtatem inſultus redarguit, ſic enim inquit: Si, q̃bus cura huius eccleſiaſticę Reipub. cõmendata eſt, incipiant eſſe tyranni, aut alioquì negligentes officij: nõ eſt nobis imitandus Martinus Luterus, vt nos commoto terrarum orbe, turbemus omnia, atq; illis reiectis, nos cathedras aſſcendamus, nos regimen ipſi arripiamus, & conſtituamus nosipſos rectores Eccleſiæ Dei &c. An verò iniuſtè hîc queritur Bredenbachius? An negabit Smidelinus, Luterum eieciſſe legitimè vocatos, & per ſolẽnia ſcrutinia electos epiſcopos? Atquì totus mundus diuerſum teſtatur, nec opùs vt longè facti documenta petantur. Magno piorum oĩm dolore vita functus eſt incomparabilis heros D. Iulius Pflug epiſcopus Numburgicus, vir eruditionis, virtutis & pietatis ſpectatiſſimæ. Quo pacto Luter⁹ & Saxo illũ tractauerint anno 1542. mâlim ipſius Sleidani, quàm meis verbis referre. Paulò ſub hoc tempus, inquit, mortem obijt Epiſcopus Numburgicus, in eiusq́ue locum à collegio fuit cooptatus IVLIVS Pflugius: Elector autem Saxoniæ princeps, non hoc licere collegio, niſì de ſuo conſenſu contendebat, & reiecto Pflugio, Nicolaum Amſdorffium ex nobilitate Theologum Vuittenbergicum inſtituit, inaugurãte Lutero menſe Ianuario, qui poſt eius rei librum edit lingua populari &c. Porrò libri (quantùm memoria repetere licet) initium erat huiuſmodi: **Wir ketzer haben abermal ein groſſe mißthat begangẽ/ daß wir einn newen Biſchoff in dem Stifft Numburg eyngewielt haben on ther/ſchmer/ ſaltz/ ſchmaltz/ ſpeck vnd kolen** &c.

Præclara mehercle inauguratio. Dignus erat inaugurator, cui perpetuò res eſſet cum carbonibus & axungia, qui legitimam electionem, ſacrum & antiquiſſimum Chriſmatis vſũm & ſacramenta Eccleſiaſtica tam improbè profanabat. Nõ igitur eſt quod vſq;adeò te tuosq́; gregales excuſes, quaſi nullam vnquàm Epiſcopis vim feceritis. Excuſſiſtis, inquit Eraſmus, aliquot locis epiſcopos, Canonicos & monachos, ſed muſcas iam propemodùm ſaturas, ac

In epiſt. in pſeudoeuã.

pro

pro his ſiticuloſas adſciuiſtis: hæc ſunt renaſcentis Euãgelij veſtri præclara auſpicia. quid immineat malorum, vos diuinate &c. Hæc ille. Nec omninò vanum eſt, principes & reges quoſdã veſtros, cathedras conſcendere, dum immediatè ſe poſt Chriſtum Eccleſiæ capita conſtituunt, quẽadmodùm non ſinè dolore vidimus Henricum VIII. Angliæ regem feciſſe, qui obtruncato Iohanne Fiſcherio epiſcopo Roffenſi, ſanctæ memoriæ præſule & martyre, ſe ab vniuerſa eccleſia Catholica per factionem & ſchiſma ſegregauit, adſciſcens ſibi doctores, qui ſcabrum & inſanum aurium pruritum ſcaberent. Quid eſt cathedras conſcendere, ſi hoc non eſt?

Cap. 12.

Declaratur, quàm falsò & malignè deprauauerit Smidelinus verba Cypriani, vt ſeditionem excitet in Eccleſia Catholica, & quòd Cyprianus planè ei ſit contrarius, videlicet plebem non debere temerè à ſuo paſtore deſciſcere, quod Cyprianum dicere vult Smidelinus.

PRogreditur nunc Smidelinus ad alium paragraphum: Quòd verò, inquit, non tantùm magiſtratui ſuum ius in Eccleſia derogat à Domino conceſſum & imperatum, ſed vniuerſam Chriſti Eccleſiam ſuo priuilegio ſpoliat, quod iam indè ab Apoſtolorum temporibus obtinuit, id nullo modo ferendum eſt. Nam quòd eccleſiæ liceat remouere ab officio docendi indignos & ſceleratos miniſtros, ſi de hac re meam auerſatur ſententiam Grammaticus, audiat D. Cyprianum loquentem: Propter quod, inquit, plebs obſequens præceptis Dominicis & Deum metuens, à peccatore præpoſito ſeparare ſe debet, nec ſe ad ſacrilegi ſacerdotis ſacrificia miſcere, cùm ipſa maximè habeat poteſtatem, vel eligendi dignos ſacerdotes, vel indignos recuſandi. Quod & ipſum videmus de diuina authoritate deſcendere, vt ſacerdos plebe præſente, ſub oĩm oculis deligatur, & dignus atq; idoneus publico iudicio ac teſtimonio comprobetur. Hæc ille. Quæ Grammaticus noſter cum ſuo figmento de conſule conferens, videbit mendacium & veritatem ſimul conſiſtere non poſſe. Quæ immanè eſſet in Eccleſia tyrannis, Smid.

eam

eam licentiam ſacrificulis concedere, vtcunq; enormitèr peccent, impia doceant,& flagitioſè viuant, vt Eccleſiæ non liceat à latere tam fœtidi & malè olentis hirci recedere?

Bredenbachij ſcopus erat,non facilè inſurgendum in Magiſtratum,quantunuis fortè iniquiorem,nec populum ad ſeditiõem cõmouendum,vt ſibi ſumat poteſtatem deturbandi de ſua ſede illum,quem conſtituit rex aut princeps, dominus videlicet ciuitatis.Ità, inquit,ſe planè habet in Repub.Chriſtiana &c. Nunc examinemus argumentum Smidelini ex Cypriano deſumptum. Vult docere Smidelinus,poſſe Eccleſiam ab officio docendi remouere indignos & ſceleratos miniſtros. Quæſo te, vbì hoc negauit Bredenbachius?De officio magiſtratûs ciuilis in Eccleſia pòſt videbimus. Quis autem fuerit Bredenbachij ſcopus,modò dictũ eſt: huic nihil obſtat illa propoſitio,licere Eccleſię remouere ab officio docendi indignos & ſceleratos miniſtros, & ad hanc propoſitionem probandam nihil cõfert locus Cypriani, qui ne meminit quidem eo loci Eccleſiæ,ſed plebis. Plebis autem appellatione Eccleſiam contineri non poſſe, non vno in loco aſſerit Smidelinus. Si enim plebis appellatione intelligi poteſt eccleſia,vbì frons,vbì mens,vbì ratio tua Smideline,cùm paulò pòſt dicis: Deindè etiàm hoc præpoſterum eſt,quòd ait Eccleſiam in ipſis Apoſtolis & epiſcopis fuiſſe,vt ſuum figmentum de ſtercore vaccino ſtabiliat &c. Sanè ſi in Apoſtolis & epiſcopis tanquàm capitalibus & præcipuis Eccleſiæ membris,non fuit Eccleſia,longè abſurdius,ſi dicamus eam in inferioribus membris,in ipſa plebe conſiſtere. Sed vt pius Lector pleniùs perſpiciat malignum & ſeditioſum Smidelini animum,volentis hoc Cypriani dicto,plebem incitare ad ſeditionem & rebellionem contra magiſtratum Eccleſiaſticum,paucis aperiemus ſcopum illius epiſtolæ & ſententiam Cypriani. Trigintaſex epiſcopi numerantur in epiſtolæ ἐπιγραφῇ Felici presbytero & Paulo diacono reſcribentes, Martiali & Baſilidi hæreſiarchis epiſcopatum gerere & ſacerdotium Dei adminiſtrare non licere.Epiſtolæ exordium ſic habet:Cùm in vnum conueniſſemus, legimus literas veſtras,fratres dilectiſſimi,quas ad nos per Felicem & Sabinum coëpiſcopos noſtros pro fidei veſtræ integritate & pro Dei timore feciſtis:

Cypria.verba falsò & deprauatè à Smidel. adducta.

ciſtis:ſignificātes Baſilidem & Martialem libellis idololatriæ commaculatos,& nefandorum facinorum conſcientia vinctos,epiſcopatum gerere & ſacerdotium Dei non adminiſtrare oportere. Et deſideraſtis reſcribi ad hæc vobis, & iuſtam paritèr & neceſſariam ſolicitudinem veſtram,vel ſolatio,vel auxilio noſtræ ſentētię ſubleuari &c. Hæc & ſequentia verba paulò attentiùs conſideremus: & dilucidè videbimus,nullum penè argumentum validius contra rebellem & ſeditioſam Smidelini opinionem adferri poſſe. Principiò videmus Felicem presbyterum & Paulum diaconum plebemq; ipſis commiſſam,oblato hoc nonnihil difficili & ambiguo iudicio de Martiale & Baſilide hæreſiarchis, & idolorum ſacrificijs contaminatis, an in epiſcopatu quem ſibi vendicabant, & ad quem admitti volebant,tolerandi eſſent,non ſpontè, non tumultuantèr,non ſeditioſè,non authoritate priuata & manu populari eos Epiſcopatu deturbâſſe, quantunuis manifeſti eſſent idololatræ,ſed conſcripta ad magiſtratum eccleſiaſticum,hoc eſt,vniuerſum illum epiſcoporum ſenatum epiſtola, petiuerunt ſolicitudinē ſuam vel ſolatio vel auxilio ſententiæ epiſcoporum ſubleuari. Epiſcopi conſulti principiò ex ſacris vtriuſq; teſtamenti literis,demōſtrant,quales oporteat eſſe ſacerdotes,quomodò non eligēdi ſint ad ſacerdotium impuri,vitiati,profani,idololatræ. Nec plebem ſibi blandiri debere,quaſi immunis à cōtagione eſſe delicti poſſit,cum ſacerdote peccatore communicans,& ad iniuſtum atque illicitū pꝓpoſiti ſui Epiſcopatum,conſenſum ſuum accommodans. Quod,in- Num.16. quiunt, in Numeris manifeſtari inuenimus, quandò Core & Dathan & Abiron contra Aaron ſacerdotem ſacrificandi ſibi licentiam vendicauerunt: illic quoq; per Moſen pręcepit Dominus, vt ab eis populus ſepararetur,nè facinoroſis coniunctus,eodem facinore & ipſe perſtringatur. Separamini, inquit,à tabernaculis ho- Ibid.16. minum iniuſtorum duriſſimorum,& nolite tangere ab omnibus q̄ ſunt eis, nè ſimul pereatis in peccatis eorum:(ſequuntur iam, quæ Smidelinus à ſuperioribus defalcauit) Propter quod plebs obſequens præceptis Dominicis, & Deum metuēs,à peccatore præpoſito ſeparare ſe debet,nec ſe ad ſacrilegi ſacerdotis ſacrificia miſcere,cùm ipſa maximè habeat poteſtatem vel eligendi dignos ſacer-

Q dotes,

dotes,vel indignos recuſandi.Hæc Cyprianus. Videmus hîc plebem nihil temerè feciſſe,ſed epiſcopos ſuos conſuluiſſe,& ex eorũ ſententia à concionibus & ſacrificijs Baſilidis & Martialis abſtinuiſſe,quod Smidelini propoſito ex diametro repugnat. Quis iam non admiretur,quis nõ execretur extremam & deſperatam huius hominis malitiam,qui tot pientiſſimorum epiſcoporum plenã ſacri conſilij,plenam prudentię & pietatis epiſtolam, quæ integrè citata,tam manifeſtè ſeditioſum ipſius conatum refellit: hoc, inquã, tam venerandum ſanctæ illius ſynodi reſcriptum, truncatũ & mutilatum ad ſcelus ſuum ſtabiliendum nequiſſimè detorquet, quaſi liceat plebi priuata & populari authoritate in præpoſitum Eccleſiæ inſurgere,& ab eo deficere? Hîc profectò videor mihi audire ipſum D.Cyprianum, cum vniuerſo illo laudatiſſimorum epiſcoporum ſenatu,huiuſmodi expoſtulatione in hoc Smidelini ſceleratum facinus deſtomachantem:Quouſq; tandèm Smideline ſcriptis noſtris abutére?quandiù nos iſte furor tuus ſuggillabit?quem ad finem ſeſe effrenata iactabit audacia? nihil te manifeſta noſtri reſcripti ſententia?nihil contraria & repugnans tuo flagitioſo conatui doctrina,tam paſsìm,tam multis in locis & alibì etiàm à nobis teſtata,nihil hic ampliſſimus tot epiſcoporũ ſenatus: nihil horum ora vultuſq; mouerunt?Patére tua conſilia non ſentis? conſtrictam omnium horum conſcientia teneri ſceleratam malitiam tuam non vides?O tempora,O mores.Magiſtratus hunc falſarium eſſe intelligit,Principes vident,Epiſcopi exploratũ habẽt,hic tamẽ viuit,viuit?immò verò cathedram conſcendit,ſeditioſa verba declamitat,ſcriptis mendacibus veritatem oppugnat,catholicos calumnijs grauat,cõuicijs laceſſit, falſis teſtimonijs pſequitur, neq; viuis,neq; mortuis parcens.Noſtros quoq; mánes ſolicitat, notat & deſignat vnumquenq; noſtrûm, quaſi ſceleris ſui participem & defenſorem.Hæc ſceleratiſſimi falſarij improbitas, qua tanto iam tempore incautos oculos noſtris noſtrorumq; falsò & mendacitèr prolatis teſtimonijs faſcinauit,qua dolos & impoſturas ſuas fucauit, qua veritatem eluſit:hæc tanta tamq; ſceleſta improbitas, non verbo,ſed ferro:non votis,ſed rotis vindicanda erat.Quis iam nõ horum tantorum epiſcoporum tam iuſtæ expoſtulationi applaudat?

dat? quis non pedaneis suffragijs in eorum sententiam concedat? quis non de crimine falsi accusatum, conuictum & iudicatum, sua etiàm adstipulatione condemnet? Pudeat tam aperti mendacij p̃conem Euangelicum: erubesce tandèm mendacijs veritatẽ oppugnare. Vtinàm exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiãt, qui oderunt eum, à facie eius. Iustissimus dolor has querelas nobis extorquet, quòd videamus huiusmodi mẽdacijs & imposturis simplicium corda seduci. Sed vincet tandèm veritas, quæ premitur q; dem ad tempus, nunquàm tamen opprimitur. Obrepere si hominibus possunt, inquit ibidèm Cyprianus, DEO non possunt, cùm scriptum sit, Deus non irridetur. Lib. 1. ca. 4. Gal. 6.

Sed vt Cypriani locũ penitùs examinemus, patet quo pacto ipsi episcopi, de Basilide & Martiale consulti, rescripserint Felici presbytero, Paulo Diacono, &c. vt plebs segregetur, nec sacrilegi sacerdotis sacrificijs sese misceat. Vndè iam euidentèr liquet, impudentissimè & falsissimè hunc locum eò detortũ à Smidelino, quasi plebs propria & plebeia authoritate, statim cõtra pastorem aut episcopum insurgere debeat, cùm hîc tam apertè legamus, plebem illam, de qua Smidelinus ex Cypriano refert, nihil priuatim, temerè aut inconsultè molitam, sed per Felicem presbyterum & Paulũ Diaconum, consuluisse Cyprianum & reliquos Episcopos, quid de Basilidis & Martialis episcopatu & sacrificijs admittendis statuendum aut sequendum esset. Qui igitur Cypriano teste niteris, Cypriano teste mentiris. Neque spoliat Ecclesiam suo priuilegio Bredẽbachius, vt suo more falsè criminatur Smidelinus. Ab ipsis Apostolorum temporibus vsq; in præsentem diem, sempèr fuit habitus delectus in ordinandis sacerdotibus, eoq; nunquàm nisì præmisso examine, in loco publico, in Ecclesia Metropolitica, in conspectu totius populi ordinantur & consecrantur, vt nisì idoneam & sufficientem habeant eruditionem, aut alicuius criminis accusentur & conuincantur, à sacerdotio repellãtur. Atq; hoc est quod Apostolus Timotheum suum de ordinandis Ecclesiæ præpositis & ministris instruens, inquit: Oportet autem illum testimoniũ habere bonum ab ijs qui foris sunt, vt non in opprobrium incidat. Sic Apostoli, delecturi Diaconos, inquiunt: Considerate, fratres, viros

Plebis assensus etiãnùm adhibetur in eligendis sacerdotibus.

1. Tim. 3.

Act. 6.

viros ex vobis boni teſtimõij ſeptem, plenos ſpiritu ſancto &c. Vi-
1. Tim. 5. dua quoq; debebat eligi, in operibus bonis teſtimonium habens.
Iam ſi ſacerdos ordinandus ſit aliquis, tecta & latentia crimina in
receſſu habens, de quibus Eccleſia iudicare nõ poteſt, cùm de oc-
cultis non iudicet, vtì ſuprà dictum eſt, & intereà plebs vel aliquis
ex plebe iſtorum criminum conſcius ſit, tenetur ex officio, habita
ratione ſalutis publicæ, quæ ſuprema lex eſt, monere ordinantem
Epiſcopum, nè temerè hominem flagitioſum ad ſacerdotium ad-
mittat. Hoc eſt quod ait Cyprianus, cùm ipſa plebs maximè habeat
poteſtatem vel eligendi dignos ſacerdotes, vel indignos recuſan-
di. Quamobrem Cypriane? reſpõdet paulopòſt, Quia plebs ſingu-
lorum vitam pleniſſimè nouit, & vniuſcuiuſq; actum de eius con-
uerſatione perſpexit. Longè igitur diuerſa ſunt, eligere & electiõi
aſſenſum præbere, ac bonum teſtimonium perhibere, electum de-
niq; ordinare & conſecrare. Sed & hanc rationem habet plebis aſ-
ſenſus, vt ſacerdotes & epiſcopos ſuos maiori amore & obſeruan-
tia proſequatur, vtpotè in quorum electiõem communibus & cõ-
cordibus ſuffragijs conſenſit. Hoc enim eſt quod beatiſſimus Leo
ſcripſit ad Anaſtaſium: Nè, inquit, ciuitas epiſcopum non optatum
contemnat & oderit, & fiat minùs religioſa, quàm conuenit, cui nõ
licuit habere quẽ voluit. Atq; hinc etiamnùm hodiè apud Catho-
licos in loco publico, vt diximus, & in æde Cathedrali ordinantur
ſacerdotes, vt quilibet habeat facultatem vel in dignorum ſuſce-
ptionem conſentiendi, vel indignos, propalato crimine, recuſan-
di. Quòd ſi latentèr fortè irrepſerint indigni, & flagitioſè viuendo
perrexerint ſe præbere indignos: alterum ſupereſt remediũ, anna-
les vel etiàm ſemeſtres prouinciarum & diœceſium ſynodi, parti-
cularia deindè ſingulorum collegiorum comitia, conuentus ſeu
(vt vocant) capitula, in quibus deferendæ ſunt huiuſmodi quere-
læ ad ſynodi præſides, exemplo huius plebis, de qua loquitur Cy-
prianus, quæ, cùm Baſilides & Martialis hæreſiarchæ obrepſiſſent
ad epiſcopatum, per Felicem presbyterum & Paulum Diaconum
hanc rem detulerunt ad Cyprianum & reliquos epiſcopos: nõ au-
tem, vt mendacitèr probare conatur Smidelinus, ſtatìm ſeditioſè,
non expectata epiſcoporum ſententia, ſe ſeparauerunt. Eccè hæc
eſt

Plebis aſſenſus cur in eligẽdis ſacerdotibus adhibeatur.

est genuina & manifesta Cypriani sententia, apostolicæ doctrinæ & publicæ trãquillitati cõseruandæ per omnia cõformis & cõsentanea. Smidelin⁹ verò impudentissimè & falsissimè Cyprianũ deprauans, ad dissidia, seditiões & schismata classicũ canit. Huic iam sentẽtię, de nõ insurgendo facilè contra sacerdotes & Magistratus Ecclesiasticos, appositè conuenit quod à Bredenbachio ex Luca allatum, Smidelinus simplicitèr dissimulauit. Apud Lucam quid minatur (Domin⁹) Petro, inquit, si alius esse incipiat in suo Pontificatu, quàm debeat? Quòd si dixerit seruus ille in corde suo, Moram facit Dominus meus venire: & cœpit percutere seruos & ancillas, & edere & bibere & inebriari, veniet Dominus serui illius in die qua nõ sperat, & hora qua nescit, & diuidet eum, partemq́; eius cum infidelibus ponet. Eccè non dicit, Potestas erit cæteris seruis & ancillis insurgendi in illum seruum tam malè regentem domum absente Domino, & illum deturbandi, seq́; in loco eius constituẽdi: sed Dominus ipse veniet, &c. Hæc Bredenbachius. Intelligitur autẽ hic locus de præpositis Ecclesiasticis, teste Ambrosio & Theophylacto, & reliquis in 12. cap. Lucæ. Lucæ 12.

Cap. 13.

Non ineptè adductum à Bredenbachio locũ Pauli, Tu quis es qui iudicas alienum seruum? ibidèm grauissimus locus ex Chrysostomo adducitur, quo arguuntur illi, qui temerè in pastores Ecclesiasticos insurgunt. Itemq́; memorabile dictum Constantini Magni.

QVòd Bredenbachius non inscitè allegauerit locũ Pauli, Tu quis es qui iudicas alienum seruum, (vt falsò calumniatur Smidelinus) elegantèr & copiosè declarat Chrysostomus hom. 2. in cap. 1. epistolæ 2. ad Timoth. Quem locum tametsi prolixum, semèl tamen asscribere visum est, vt impurum os Smidelini, totiès in impuros sacrificulos expuẽtis ac deblaterãtis, semèl obstruatur: & simpliciores, quibus hæc grandia volumina nec habere, nec legere datum est, hac Rom. 14.

veluti spongia aduersus calumniantiũ adspergines instruatur. Qui honorat sacerdotes, inquit Chrysostomus, Deum quoq; honorat: qui verò sacerdotem spernit, ad id sensìm prolabitur, vt in Deum ipsum aliqñ cõtumeliosus euadat. qui vos, inquit, suscipt, me suscipit. Et sacerdotes, ait, ei⁹ in honore habete. Hinc Iudæi Deũ aspernari didicerunt, quia Mosen contempserunt, quia lapidibus illum impetebant. Nam qui piè sacerdoti afficitur, longè maiore pietate Deum reuerebitur. Etsi enim malus fuerit sacerdos quispiam, attẽdit Deus, quòd suî gratia illum etiàm qui dignus honore non est, obsequijs foues, ipseq; tibi pręmia exoluet. Si enim qui Prophetã in nomine Prophetæ suscipit, mercedem prophetæ accipiet: ꝑfectò & qui cedit & obtemperat sacerdoti, mercede sua non destituetur. Nam si vbì de hospitalitate agitur tantùm, vbì, quem suscipis, ignoras, tantum præmiorum accipis: si ei subijciaris, cui imperat Deus, non multò magìs mercede donaberis? Super cathedram inquit, Mosis sederunt scribæ & Pharisæi: omnia ergò quæcunq; dixerint, facite: secundùm autem opera eorum nè faciatis. An ignoras quid sit sacerdos? Angelus vtiq; Domini est. Non ex seipso loquitur: si despicis, non illum despicis, sed Deum qui illum ordinauit. Sed vndè, inquies, constat, Deum fuisse illius ordinationis authorem? Nempè nisì tu hanc habeas opinionem, spes tua inanis facta est. Nam si nihil per illum operatur Deus, neq; lauacrum habes, neq; mysteriotum particeps es, neq; benedictionibus frueris. Non ergò Christianus es. Quid ergò? Deus omnes ordinat, per omnes ipse tamen operatur, salutem populi moliens, non illorum intuens merita. Nam si per asinæ os, si per Balaam scelestum hominem populi causa locutus est, multò magìs loquitur per sacerdotem plebis suæ gratia. Quid enim non agit Deus salutis nostræ causa? quid non loquitur? per quem non operatur? Si enim per Iudam operatus est, & per prophetas, quibus dicturus est: Non noui vos, discedite à me qui operamini iniquitatem: Perq; illos qui dæmones in nomine suo eiecerunt, non magìs per sacerdotes diuino mysterio famulantes operabitur? Nanq; si præpositorum vitas discutere ꝑgimus, ipsi doctores nostros ordinare contendimus: peruersoque ordine naturali, quæ suprà sunt, infrà esse volumus, vt superiùs pedes,

Grauissima Chrysostomi sentẽtia de malis sacerdotibus.

Matt. 10.

Etiàm malus sacerdos honorand⁹ propter Deum.

Sacerdos angelus Dñi

Deus tam ꝑ indignos, q̃ dignos oꝑatur.

Matt. 7.

Præpositorũ vita curiosè discutienda non est.

des,inferiùs verò sit caput. Audi quod Paulus dicat:Mihi autem ꝓ 1.Cor. 4.
minimo est,vt à vobis iudicer,aut ab humano die. & iterùm: Tu Rom. 14.
quid iudicas fratrem tuum?Si fratrem iudicare non expedit,quã-
to minùs magistrum? Nam si quidem hoc statuit Deus, benè fa-
cis,peccasq; nĩ facias:sin verò contraria præcipit, noli præsumere,
neq; ea coneris,quæ super te sunt. Insurrexerunt aduersùs Aaron,
post vituli formatam effigiem Core,Dathan,& Abiron. Quid er-
gò?nónne illi periêre?Quilibet,quæ ad se pertinent,solicitè curet.
Nam si quidem fidei dogma peruertat,etiamsi angelus sit, obaudi-
re noli:sin verò recta docet,noli vitæ,sed verbis intendere. Habes
Paulum verbis te operibusq; moderantem.Non distribuit paupe-
ribus,inquies,non benè dispensat Ecclesiæ res. Vndè tibi id con-
stat?Noli illum culpare antequàm discas. Reatum caue. Plurima
quippè ex simplici suspicione iudicantur.Imitare Deum tuum:au- Gen. 18.
di ipsum dicentem:Descendens videbo, si secundùm clamorẽ suũ
consummatur:sin autem,vt sciam. Quod etsi didicisti & examinâ-
sti & vidisti,iudicem sustine.Noli præripere Christi iudicis ordinẽ:
illius est munus,ista discutere,non tuum. Tu seruus vltimus, non
dominus es. Ouis ipse es,pastorem noli curiosè discutere, nè eius
quoq; criminis reus tenearis,quòd illum accusare ꝑsumis. Et quo-
modò,inquies,ipse mihi dicit, quod ipse non facit? Non tibi ipse
dicit:nam si illi obtemperas,mercede priuaris.Christus hęc admo-
net.Plus aliquid dicam,ne Paulo quidem obedire oportet, si quid
dixerit proprium,si quid humanum, sed Apostolo Christum in se
loquentem circunferenti.Non igitur aliena iudicemus: sua quisq;
discutiat,vitamq; dijudicet suam.At debet ille,inquies, melior es-
se,quàm ego. Cur obsecro? Quia sacerdos est.Et quid non habet il Aliâs & q̃d habet.
le ampliùs quàm tu?Non labores,non angores,non ærumnas?De-
bet esse te melior?Quid ergò?Nisì sit melior,teipsum perdis ac pi-
mis?Sunt verba ista plena arrogantiæ.Vndè enim nôsti illum te nõ
esse meliorem?Furatur,inquies,& sacrilegus est. Vndè hoc nôsti ô
homo?cur teipsum per præcipitia impellis? Nempè si quis dixerit,
ille purpuram habet,quanuis id scias, aurem obruis: et si arguere
possis,protinùs resilis,teq; scire dssimulas,nolens gratis subire pi-
culum.Quid ergò hoc in loco periculum minimè necessarium sus-
cipis?

cipis?Non carent reatu hæc verba. Audi quid dixerit Christus: Dico autem vobis, quòd omne verbum ociosum, quodcunq; locuti fuerint homines, reddent rationẽ de eo in die iudicij. Cur teipsum quouis arbitraris esse meliorem? Cur nõ ingemiscis magìs, ac pectus tundis, atq; in humum respicis, imitando felicem publicanũ? Etsi enim melior sis, hac fœda existimatione tua cuncta perdidisti. Melior es? tace, vt persistas esse melior: quòd si loquaris, omnia exinanîsti. Si te putas esse, desisti: si non putas, multùm sanè profecisti. Si enim qui peccator aduenerat, vbì confessus est, iustificatus descendere meruit: qui peccator non est, & esse se putat, quid (oro) non lucrabitur? quantùm ex ea humilitate suis adijciet commodis? Vitam tuam diligentiùs discute. Fur non es? at rapis, at violas, at innumera huiusmodi perpetras: neq; id, vt furtum probem, dixerim. Absit: immò illud valdè execror, & eum qui est huiusmodi, valdè defleo: nam dici non potest, quàm sit sacrilegium malum. Sed vobis parco. Nolo enim virtutem vestram alios accusando minuere. Quid, oro, publicano deterius? At cùm esset innumeris peccatis obnoxius, pharisæusq́; id solùm diceret, Nõ sum sicut publicanus iste, omnia perdidit. Tu de sacerdote dicis, Non sum sicut iste sacrilegus, & non om̃ia prorsùs amittes? Ista necessariò dicere, ac plurimis verbis prosequi cogor, non sacerdotum tantùm gratia, sed vestrî. Nam vereor, nè hac elatione virtus exhauriatur vestra, in iudiciumq́; decidatis. Audi deniq; q̃d dicat admonẽs Paulus: Opus autem suum probet vnusquisq;, & tunc in semetipso tantùm habebit gloriam, & non in altero. Nam dic, oro, si saucius proficiscaris ad medicum, num omissa cura vulneris tui, studiosè medicum percõtaris, vulnus ille habeat néc ne? An verò etsi ille sit saucius, vulnus tuum idcircò non curas, dicisq́; sanũ illum esse oportuit, medicus cùm sit? Quandò verò sanus medicus non est, abscedo, vulnus mecum insanabile referens? Nunquìd enim, si sacerdos malus, indè solatium capiet subditus? Nihil minùs. Cæterùm dabit ille q̃dem scelerum suorum debitas pœnas, dabis autem & tu tuorũ criminum pœnas. Etenim magister solum iam ordinem implet. Erũt enim, inquit, omnes docibiles Dei, neq; dicent, agnosce Dominũ. Omnes enim agnoscent me à minimo vsque ad maximum eorum.

[Margin: Matt. 12. — Luc. 18. — Ioan. 7. — Esa. 52. — Hiere. 31.]

Cuius

Cuius ergò rei gratia,inquies,præſidet?Cur ꝓpoſitus eſt? Nè, q̃ſo, Doctores noſtros maledictis impetamus,vt nè noſmet potiùs lędamus.Noſtra,vt dixi, omnia diſcutiamus,& neminē penitùs maledicemus.Reuereamur diem illam,qua illuminati ab illis ſumus. Patrem qui habet,etſi mille patiatur incommoda,omnia patris reuerentia conteget. Noli enim,inquit, gloriari in ignominia patris tui:neq; enim tibi tam gloria,quàm probrũ eſt. Et ſi ſenſum amiſerit,veniam habe. Lōgè hæc magis in patre ſpirituali dicēda ſunt. Reuerere illum,quòd tibi diebus ſingulis diuina miniſtrat, ſcripturas relegi facit,tuî gratia exornat domum: propter te vigilat, propter te vota perſoluit,pro te Deum precaturus adſtat, tuî cauſa preces exoluit,pro te apud illum religio, cultusq́; & obſequiũ eſt, pro te iſta omnia.Reuerere hæc ergò atq; conſidera:accede ad ea cum ſumma reuerentia.At malus ille eſt,& hoc ad te quid? Nunquìd enim qui malus non eſt,ipſe tibi magna iſta & diuina largit? Abſit.Fides enim tua ad omnia valet, neq; tibi iuſtus quiſpiam ꝓderit,niſi ipſe fidelis ſis:neq; nocebit malus, ſi fueris ipſe fidelis. Per vaccas in arca operatus eſt Deus,cùm populum ſaluare vellet: num enim ſacerdotis vita,num virtus tantum conferre potuiſſet? Non poſſunt,quæ Deus ipſe largitur,velutì ſacerdotali virtute ꝑfici:omnia quippè diuinæ ſunt gratiæ. Huius tantùm munus eſt, aperire os:cæterùm Deus cuncta operatur: ſymbolum iſte tātummodò implet.Intuere quātum inter Iohānem & Ieſum intereſt, & audi dicentē Ioannem:Ego opùs habeo à te baptizari:&, Non ſum dignus ſoluere ipſius corrigiam calceamenti.Sed tamen, cùm tantum intereſt,deſcendit ſpiritus,quem non habebat Iohannes. De plenitudine enim,inquit,ipſius nos omnes accepimus. Priùs tamē quàm baptizaretur,non ille deſcendit,neq; Iohannes ipſum deſcēdere fecit. Cur ergò iſtud fit?Vt ſcias ſacerdotem ſymbolũ implere tantummodò?Nemo hoīm tantum diſtat ab homine, quantum à Chriſto Iohannes.Deſcendit tamen ſpiritus, vt diſcas Deũ om̃ia operari, Deum omnia facere. Volo quiddam adijcere planè mirabile,& nolite mirari neq; turbemini.Quid verò iſtud eſt?Sacra ipſa oblatio,ſiue illam Petrus,ſiue illam Paulus,ſiue cuiuſuis meriti ſacerdos offerat,eadē eſt,quã dedit Chriſtus ipſe diſcipulis, quamq́; ſa-

Non gloriandum in ignominia patris.

1.Reg.6.

Matt. 3.

Ioann. 1.

Hæc animaduertat Miſſęmaſtix Smidelinꝰ.

sacerdotes modò cōficiunt. Nihil habet ista, quàm illa, minus. Cur id? Quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui illā antè sacrauerat. Quemadmodùm enim verba quæ locutus est Christus, eadem sunt quæ sacerdotes nunc quoq; pronūciant: ità & oblatio eadem est, eademq́; baptismi ratio est: adeò omnia in fide consistunt. Cornelium spiritus repentè repleuit, quia ipse priùs alacritatem voluntatis ostenderat, fidemq́; plenissimæ deuotionis obtulerat. Et hoc igitur Christi corpus & illud est: qui autē hoc illo minus aliquid habere putat, ignorat Christum esse, qui nūc etiàm adest atq; operatur &c. Hæc ibì D. Ioannes Chrysost. Ex quibus manifestum euadit, non ineptum nec insulsum esse, quod Bredenbachius ex Paulo ait, de iudicio in alienum seruum. Docemur etiàm quo spiritu agitetur Smidelinus, & quid huic respondendum sit, dum nulla non in pagina sacerdotes & præpositos Ecclesiasticos allatrat, vitamq́; & mores eorum velut hircinos impotētissimè seditiosissimeq́; traducit. Audiat quid pientissimus Imperator Constantinus in cōsessu Patrum Concilij Niceni dixerit: Si in episcopum incideret alienum coniugium violantem; se purpura sua piaculum id obtecturum esse, nè tam fœdū facinus spectatoribus occasionem mali crearet. Porrò quòd impotentissimus calumniator non mores duntaxàt episcoporum, sed & doctrinam eorum & totius Ecclesiæ Catholicæ impietatis & superstitionis nomine suggillat, quo iure hoc faciat, infrà videbimus, & hactenùs, vt sperò, luculentèr & fidelitèr demonstrauimus.

Rom. 14.

Niceph. Ecclesiast. hist. li. 8. cap. 16.

Cap. 14.

De ordine hierarchico Ecclesiæ Catholicæ, eoq́; nō facilè turbando.

Smid. Pergit iam Smidelinus, & concedit ordinē in Ecclesia nō esse turbandum. Verùm in hoc ordine, inquit, mitratos vestros & impuros sacrificulos contineri pernegamus.

Bred. Quàm p̄clara & necessaria sit res in Ecclesia & ciuitate Dei politicus ordo, non eget magna declaratione: docent ciuitatū benè constitutarum exempla, docet ipsa rerum naturalium constitutio, in quibus pulcherrimus ordo conspicitur. Refert Paulus in

Ecclesia quosdam datos Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Euangelistas, alios verò pastores & doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationẽ corporis Christi &c. Alibì refert, quomodò per ciuitates constituerit Episcopos. In Actis legimus Apostolos elegisse Diaconos, atq; ità statìm quendam hierarchicum ordinem vnà cum subolescente ecclesia natum & institutum, ex Euangelicis & Apostolicis scripturis manifestum euadit. Neq; hic episcoporum, sacerdotum & Diaconorum ordo cum Apostolis expirauit, sed procedente tempore & coalescente Christianismo, magìs ac magìs instauratus & excultus, atq; ità excultus, vt etiàm D. Clemens adhuc cunabula & primordia duntaxàt Ecclesiæ conspiciens, comparauerit Ecclesiæ statum magnæ naui, quæ per vndosum pelagus diuersis è locis & regionibus viros portat, ad vnam potentis regni vrbem properare cupientes. Sit ergò, inquit, nauis huius Dominus, ipse omnipotens Deus: gubernator verò sit Christus: Tum demùm proretæ officium episcopus impleat, presbyteri nautarum, diaconi dispensatorum locũ teneant: hi qui catechizant, nautologis conferantur: epibatis autẽ, totius fraternitatis multitudo similis sit: ipsum quoquè mare, hic mundus habeatur, &c. Huius apud Clementem similitudinis meminit quoq; D. Anacletus epist. 1. ad omnes Ecclesias scripta. Iam verò paululùm maturescens & velut pubertatem ingressa, quã formam habuerit, luculentèr describit ipse D. Anacletus epist. 3. cui titulus, De Patriarchis & primatibus & reliquis episcopis, & quòd Ecclesia Romana cardo sit & caput omnium Ecclesiarum. In hac epistola recenset de primatu Ecclesiæ Romanæ: quam, inquit, beatissimi Petrus & Paulus suo martyrio consecrauerunt. Secundam autem sedem esse apud Alexandriam, Tertiam apud Antiochiam. Refert quoq; de patriarchis, primatibus, archiepiscopis Metropolitanis, episcopis &c. Tum etiàm difficiliores causas Romæ tractãdas. Eccè talem ordinem, talem œconomiam statim ab Apostolorum temporibus habuit Ecclesia Catholica, principiò quidem pusilla & humilis instàr grani illius sinapis, cui Christus eam comparat. quod acceptum misit homo in hortum suũ, & creuit, factumq; est in arborem magnam, ità vt volucres cæli veniẽtes in ramis eius

Ephe. 4.

Ordo ecclesiæ.

In epist. 1. ad Iacobũ fratrẽ Dñi.

requieſcerent. Hūc ordinem ſempèr in Eccleſia fuiſſe, atq; etiã-nùm eſſe, omnes hiſtoriæ vno ore teſtantur, & res ipſa clamitat.

Ex hac continuata epiſcoporum mutuò ſibi ſuccedentium ſerie & propagine Catholicos epiſcopos & Pontifices omēs, quotquot vnquàm fuerunt, atq; etiamnùm hodiè ſunt, deſcendere ac prouenire, ſalua verecundia & veritate, nunquàm poterit inficiari Smidelinus, quantunuìs nunc ex mera cauillandi & mentiendi libidine peruicacitèr perneget. Nec poſſet ornatior & magìs compoſitus ordo inueniri aut optari, quàm in Eccleſia Catholica, tum inter ipſos Eccleſiaſticos præpoſitos, tum politicos & ciuiles magiſtratus, inſtitutum conſpicimus. Habet enim imperium ſuos gradus, ſuumq; faſtigium. Habet vnum & generalem monarcham, cui ſubſunt reges, regibus Duces, ducibus Barones, Satrapæ &c. Sic & Eccleſia magna illa domus & ciuitas Dei, vnum habet hierarcham, cui ſubſunt primates, primatibus archiepiſcopi, archiepiſcopis epiſcopi, præpoſiti, decani. Hunc ordinem & hanc conſtructionem, qua tandèm gradibus quibuſdam ad vnitatem deuenitur, conſiderauit Cyprianus, cùm eccleſiæ vnitatē comparat modò radijs multis ſolaribus ab vno ſole promicantibus, modò ramis ex vno trunco pullulantibus, modò etiàm riuis ex vno fonte profluentibus, Hunc quoq; ordinem & hanc hierarchiam, quam etiamnùm in Eccleſia Catholica conſpicimus, præuidens olìm in ſpiritu Sapiens, exclamat: Quæ eſt iſta, quæ aſſcendit quaſi aurora conſurgens, terribilis vt caſtrorum acies ordinata? Hic ordo quàm diù in vtraq; tam Eccleſiaſtica, quàm ciuili Republ. conſeruatur, facit vt pulcherrima quædam in rebus humanis conſonantia reluceat, referente Iuſtiniano Principe: Magna ſunt in hominibus dona Dei, inquit, à ſuprema collata clementia, Sacerdotiū & Imperium: illud quidem diuinis miniſtrans, hoc autem humanis præſidens ac diligentiam exhibens, ex vno eodemq; principio, vnaq; prouidentia humanam exornans vitam. Nam ſi ſacerdotium inculpabile ſit vndiq;, & apud Deum fiducia plenum: Imperium autem rectè & competentèr exornet traditam ſibi Rempub. erit cōſonantia quædam pulcherrima, omne quicquid vtile eſt humano generi conferēs. Talem ac tam felicem florentemq; conſonantiam multis ſeculis vidit

Cyprianus tract. 3. de ſimpli. prælatorum.

In authent. Quō oportcat epiſco.

dit Ecclesia Catholica, nec vnquàm descripta est nisi per hæreticos, seditiosa doctrina concitantes populũ aduersùs legitimos ecclesiæ & Imperij Magistratus, vt profani sibi vendicarent ea, quæ sunt sacerdotum: subditi quæ præpositorum, rudes & idiotæ quæ doctorum & eruditorum. Atq; huiusmodi seditiosam istius cõsonantiæ, istius compositissimi ordinatissimiq; ordinis commissionẽ & perturbationem, ipsissimam esse causam omnium horum dissidiorum, inter alia multa luculentissimo & efficacissimo D. Cypriani testimonio declarauit Bredenbachius. Cyprianus cùm alijs multis in locis, tum verò in tractat. 3. qui inscribitur, DE simplicitate prælatorum, & in epist. 3. lib. 1. quæ est ad Cornelium Papam, ità scribit: Neq; enim aliundè hæreses obortæ sunt, inquit, aut nata sunt schismata, quàm indè, quòd sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur. Cui si secundùm magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersùm sacerdotum collegiũ quicquam moueret: nemo post diuinum iudiciũ, post populi suffragium, post coepiscoporum consensum, iudicem se iam non episcopi, sed Dei faceret: nemo dissidio vnitatis Christi Ecclesiã scinderet, nemo sibi placens ac tumens, seorsìm foris nouam hæresim conderet. Nisì si ità est aliquis sacrilegæ temeritatis, ac perditæ mẽtis, vt putet sinè Dei iudicio fieri sacerdotẽ, cùm Dominus in euãgelio suo dicat: Nónne duo passeres asse veneunt, & neuter eorũ cadit in terram sinè patris vestri voluntate? Cùm ille nec minima fieri sinè voluntate Dei dicat, existimat aliquis summa & magna, aut non sciẽte, aut non permittente Deo in ecclesia fieri, & sacerdotes (id est, dispensatores) eius nõ de eius sentẽtia ordinari? Hoc est fidem non habere qua viuimus, hoc est, Deo honorem non dare, cuius nutu regi & gubernari omnia scimus & credimus. Hæc Cyprianus.

Quod tam illustre, de non turbando ordine & præstãda vni sacerdoti obedientia, testimonium, audiamus quæso, quàm ineptis sycophantijs conetur eludere noster Goppingẽsis. Eo in loco magìs Cypriano propositum fuerat, petulantiam quorundam reprimere, qui sinè causa metropolitanis contradicentes, nihil non sibi in

in Ecclesia licere arbitrarentur. Immò Smideline indè natas hæreses ait S. Martyr, quòd vnus in ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi non cogitatur: de metropolitanis verbum nullum. Super vnum ædificat Ecclesiam, & illi pascēdas oues committit, inquit in libro de vnitate Ecclesiæ. Et Hierony. ait, capite cōstituto schismatis tolli occasionē. Considera, quæso cādide lector, cōsidera, inquā, quid potuit clarius & veri⁹ à S. Martyre dici de origine & causa hæresum, & non perturbādo ordine illo hierarchico in ciuitate Dei ecclesia? Quod argumentū pleniùs ac solidiùs obstruere potuit impurum illud os Smidelini, dum peruicacitèr oblatrat: Verùm in hoc ordine mitratos vestros & impuros sacrificulos contineri pernegamus &c. Ille verò quemadmodū suprà impudentissimè & mendacissimè deprauauit apertè sibi repugnantem D. Cypriani sententiam, ità hunc quoq; Cypriani locum, qui velut Herculea claua vno impetu vniuersam Smidelini & omnium hæreticorum Babylonem funditùs prosternit, ineptissimis strophis & aperto mendacio conatur eleuare. Iam eidem Cypriani sententiæ pulcherrimè accinit Chrysostomus: Hoc nempè est, inquit, malorum omnium causa, quòd rectorum authoritas perijt, nulla illis reuerentia habetur, nullus honor, nullus metus. Obaudite, inquit Apostolus, præpositis vestris, & subditi estote illis. At nunc peruersa & confusa sunt omnia, &c. Et D. Hieronymus: Ecclesiæ salus in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si nō exors quædam & ab omnibus eminens detur potestas, tot in ecclesijs efficiuntur schismata, quot sacerdotes. Eiusmodi sententiæ passìm apud Patres occurrunt. Videatur D. Cypriani tractatus 3. de simplic. prælatorum. D. Anacletus in epistola prima ad omnes Ecclesias scripta, & epistola 2. de ordinatione Archiepiscoporum. Item epist. Clemēt. 3. de officio sacerdot. & clericorum. Iam cum his cōferatur illud classicum Luteri in lib. ad regem Angliæ: Nos nō sumus Papæ, sed Papa noster est: nostrum est, nō iudicari ab ipso, sed ipsum iudicare. Si hæc Luterus protulit suggerente spiritusancto, fatendum est, Patres Orthodoxos habuisse spiritum non sanctum: sin autem hi spiritum sanctum habuerunt, quorum sanctimoniam non catholici duntaxàt, verùm etiàm hæretici suspiciunt & veneran-

Heb. 13.
In 2. Timo. ca. 1. hom. 2.
Hieron. aduersùs Luciferianos.

rantur: quæ (malùm) dementia, quæ peruicacia, tam ſeditioſa paradoxa velut purum putum verbum Dei, voce & ſtylo, clamoribus & conuicijs, calumnijs & falſis allegatiõibus mordicùs velle tueri ac defendere? Video me multò diutiùs hıs imworari, quàm decreueram, & quàm dignum fuerit nugaciſſimis iſtis nugis refutandis inhærere: attamen quia fateri cogitur ordinem non eſſe turbãdum, & ab hoc ordine mitratos (vt vocat) epiſcopos, cum vniuerſa Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ hierarchia, ſinè omni ratione exclu dit: viſum eſt in gratiam Lectoris, re paulò altiùs repetita, manifeſtum calumniatorem euidenti demonſtratione refellere. Quem, quæſo, ordinem putas non eſſe turbandum Smideline? de quo ordine mihi narras? Nónne de eccleſiaſtico? Vtiq;: nam de hoc potiſſimùm cõtrouertimus. Iam autem Eccleſiam vtriq; ſibi vendicãt, Catholici, & vos hæretici. Si veſtræ Eccleſiæ ordinem nõ eſſe turbandum concedis, quid (quæſo) nobis concedis? An putas quempiam turbare poſſe illud, quod non eſt in rerum natura? Si negas, da nobis vllum ordinis veſtri documentum. Vbì eſt corporis Eccleſię veſtrę caput? Vbì oculi? vbì os & lingua? vbì manus & pedes? Nónne omnia hæc ſunt apud vos confuſa? Nónne omnes vultis eſſe ſcripturarum interpretes, & controuerſiarum diremptores? omnes prophetare & linguis loqui? Nónne omnem ſacri & profani, ſacerdotum & populi differentiam tollitis? puerum & mulierem eiuſdem eſſe poteſtatis, iuxtà poſſe abſoluere (vtor verbis Luteri) atquè Papam? Nónne Eccleſiam veſtram, haud ſepticipitem tãtùm hydram, ſed Hecaten, immò monſtroſiſſimum innumerabiliũ penè capitum portentum, oculis noſtris conſpicimus? Notius hoc eſt, quàm vt exemplarem demonſtrationem requirat. Non poteſt igitur apud vos turbari ordo hierarchicus ſeu Eccleſiaſticus, quẽ nec habetis, nec recipitis, qui dum caput habere non vultis, etiàm inuiti, nihil ferè nisì capita habetis, eaq; ſinè cerebro: immò, vt veriùs dicam, non parùm cerebroſa, pugnacia, ſeditioſa, rebellia. Cùm igitur concedas ordinem non eſſe turbandum, nolens volens cõcedere cogeris hanc hypotheſin, Ordinem hierarchicum Eccleſiæ Catholicæ non eſſe turbandum.

CAP.

Cap. 15.

De diuersa Principum & Episcoporum functiōe: & opus bonum, quandoquè ex personæ vel tēporis circunstantia malum reddi.

Smid. PErgit in eodem tenore Smidelinus: Ad exempla Ozæ & Oziæ nihil prorsùs nunc respondebo, cùm tanta audacia & impudentia prætereat silentio, quæ Brentius ad Sotū de his scripsit, quasi non legisset, quàm dissimile sit illorum facinus, quod ipse in pios principes torquet &c.

Bred. Quid dicat Brētius, ipse viderit. Nobis abūdè satisfacit historia Biblica, tam hoc in loco euidens, vt vetustissimi ecclesię doctores his exemplis perpetuò vsi legantur cōtra pręposteram Principum in gubernandis Ecclesijs curam. Et nè nimìs sibi blandiatur Smidelinus de authoritate Brentij, nos Iohanni Brentio Diuum Iohānem Chrysostomum doctrina, sanctimonia & antiquitate venerādum episcopum, opponimus homil. 4. de verbis Esaiæ tomo 1. vbì elegantèr demonstrat, alios esse terminos regni, alios sacerdotij. Non negamus piam quodammodò videri posse principum solicitudinem: sed quia principum est, territorijs, vrbibus, pagis &c. præficere prætores, præfectos &c. non autem agere harmostes & diribitores prouinciarum ac diœcesium episcopalium, constituere episcopos, ordinare sacerdotes, ex proprio arbitratu nouam religionem inducere, non consultis, immò contemptis illis pastoribus & doctoribus, quos Deus ecclesiæ suæ pręfecit, hæc principum solicitudo, quantunuìs decepti à pseudoprophetis, rectè & piè se facere existiment, Deo ingrata est, atq; ideò ingrata, quia præpostera, quia termini Regni eousquè se non protendunt. Audiamus hac de re D. Basilium: Potest, inquit, fieri, vt sit aliquid propria sua ratione & voluntas Dei, & bonum: quandò verò præter personæ vel temporis rationem vsurpatur, iam Deo acceptum nō sit. In eandem sententiam Dionysius Areopagita in epist. 8. ad Demophilū.

Basil. in regul. cōtrac. regul. 276.

Si hæc apud te nihil habent ponderis, Smideline, vel sola Dialectica tua, quam tantoperè iactitas, docere te debebat, quanta sit in huiusmodi, immò rebus humanis vniuersis vis & potestas τῶν πε-

ρι-

ϱιστάσεον. Sed hæc ſuo loco, vbi de officio Principum dicemus, latiùs tractabimus, nè ſequentes ductum Smidelini, omnia cõfundamus, qui ferè nulla non in pagina de officio Principum, & impuris ſacrificulis tollendis, inculcat.

Cap. 16.

An epiſcopi habeant poteſtatem iudicandi cauſas ſeculares, & poteſtatem gladij. Itemque D. Auguſtinum & alios epiſcopos eius temporis, non raro aut accidentèr, ſed totos dies, idq; frequẽtèr exercuiſſe iudicia ſecularia, quod in noſtris epiſcopis malignè criminatur Smidelinus.

PRogreditur Smidelinus: Hoc ſaltem licet in illum retorquere, inquit, cùm Grammatico tam ingens & inexpiabile ſcelus ſit, quandò pij principes de inſtitutione Eccleſiarum ſunt ſoliciti, & quòd in ipſis eſt, ſalutem ipſarum procurant, quæ de Ozia & Oza adduxit, videat nè in ſuos epiſcopos rectiùs torqueri queant, qui prætextu Apoſtolici muneris verè ſunt ἀλλότϱιοι ἐπίσκοποι. Si enim vel ipſo Grammatico teſte, diuerſæ ſunt functiones epiſcoporum & Principum, quo iure licet epiſcopis ciuilia exercere iudicia, quibus miniſterium euangelij commendauit Dominus? Num metuunt ſibi defuturos Principes, qui hanc adminiſtrationem ſuſcipiãt, ſicut Oza, nè corrueret arca? aut, quæſo, quæ ratio, niſì ambitio, ad hunc dignitatis gradum eos euexit, &c? Smid.

Tandiù triumphat mendacium, donèc pateſcat veritas: tenebrę, donèc exoriatur Lucifer. Nusq̃ ſuæ indormit occaſioni Smidelinus, vt legitimam poteſtatem conuellat, mendacijs & contumelijs mobili populo exoſam reddat. Cæterùm nos, adhibita veritatis luce, mendaciorum contumeliarumq; tenebras diſcutiamus. Criminatur Smidelinus Eccleſiaſticos Præſules, quòd exerceant ciuilia iudicia, cùm illi ciuiles principes arceant à cognitione cauſarũ Eccleſiaſticarum. Si tibi nouum videtur, Smideline, quòd epiſcopi arceant principes ab eccleſiaſtica gubernatione, non legiſti illud D. Ambroſij epiſcopi Mediolanenſis ad Valentinianum Imperatorem: Noli te grauare, Imperator, vt putes te in ea, q̃ diuina ſunt, Bred.

imperiale aliquod ius habere. Ad imperatorem palatia pertinent, ad ſacerdotem Eccleſiæ &c. Non legiſti quid Hoſius epiſcopus Cordubenſis dixerit Conſtantio? Non legiſti quid Diuus Hilarius ſcripſerit ad eundem Conſtantium? Sed planè nouum eſt quod tu Principibus eccleſiaſticis conaris eripere poteſtatem adminiſtrandi iudicia ciuilia, quam ſempèr eos habuiſſe patet ex reſcripto laudatiſſimi Imperatoris Theodoſij: Quicunq;, inquit, litem habens, ſiue petitor fuerit, vel in initio litis, vel decurſis temporum curriculis, ſiue cùm negociũ peroratur, ſiue cùm iam cœperit promi ſententia, ſi iudicium elegerit ſacroſanctæ ſedis antiſtitis, ilicò ſinè aliqua dubitatione, etiamſi alia pars refragetur, ad epiſcoporũ iudicium cum ſermone litigantium dirigatur. Omnes itaq; cauſæ, q̃ prætorio vel ciuili iure tractantur, epiſcoporum ſententijs terminatæ, perpetuo ſtabilitatis iure firmentur, nec vlteriùs liceat retractari negocium, quod epiſcoporum ſententia deciditur &c.

xj. q. 1. c. quicunq;

Hæc ſi quis antiquata contendat, quia in Iuſtinianæo codice nõ inueniuntur iſta inſerta, per Carolum Magnum renouata cognoſcat, qui in ſuis Capitularibus ſic ait inter cætera: Volumus atq; p̃cipimus, vt omnes noſtræ ditiõi ſubiecti, tam Romani, quàm Frãci, Alemani, Bauari, Burgundiones, Saxones, Turingi, Friſones, Galli, Britones &c. quocunq; legis vinculo videantur adſtricti, vel conſuetudinario annexi more, hanc ſententiam, quam 17. Theodoſus c. videlicet xj. ad interrogata Blanij ducis, quam illi & omibus per ſcripturam miſimus, & inter noſtra capitula pro lege tenẽda, cõſulto omnium fidelium noſtrorum, poſuimus, ꝓ lege cuncti perpetua teneant, id eſt, quicunq; litem habens ſiue petitor &c. vtì ſuprà ex Theodoſ. retulimus.

Ex his arbitror luculentèr conſtare, antiquiſſimum eum eſſe in Eccleſia morem, vt Eccleſiaſtici Primates etiàm ciuilium iudiciorum adminiſtrandorum poteſtatem habeant, quò etiàm præclara illa Conſtantini Magni Imperatoris ſententia referri poteſt, qua ad Epiſcopos Concilij Niceni vſus eſt: Deus, inquit, conſtituit vos ſacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoq; iudicandi: & ideò nos à vobis rectè iudicamur, &c. Quòd ſi hæc non ſatisfaciunt Smidelino, audiat quid de beatiſſimo illo præſule D. Augu-ſti-

Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 10. ca. 2. Nicep. lib. 8. ca. 16.

In vita Auguſtini.

ſtino ſcribit Poſſidonius: Interpellatus, inquit, beatus Auguſtinus à Chriſtianis, vel à cuiuſcunq; ſectæ hominibus, cauſas audiebat diligentèr ac piè. Et paulò pòſt: Et eas aliquandò vſq; ad horam refectionis, aliquandò autem tota die ieiunans, ſempèr tamen noſcebat & dirimebat.

Si nec Poſſidonio credit, vel ipſi Auguſtino fidem commodet, cuius hæc ſunt verba: Multò mâllem per ſingulos dies certis horis, quantùm in benè moderatis monaſterijs conſtitutum eſt, aliquid manibus operari, & certas horas habere ad legendum & orādum, aut aliquid de diuinis literis agendum liberas, quàm tumultuoſiſſimas perplexitates cauſarum alienarum pati de negocijs ſecularibus, vel iudicando dirimendis, vel interueniendo præcidendis, q̃bus nos moleſtijs idem affixit Apoſtolus non vtiquè ſuo, ſed eius, qui in eo loquebatur, arbitrio: quas tamen ipſum perpeſſum fuiſſe non legimus: alitèr enim ſe habebat Apoſtolatûs eius diſcurſus. Et paucis interiectis, Quem tñ laborem nó ſinè cóſolatione Domini ſuſcipimus pro ſpe vitæ æternæ, vt fructum feramus cum tolerantia. Hæc Auguſtinus. De opere Monacho. cap. 39.

Non eſt igitur quòd adeò deblateret in epiſcopos Smidelinus ciuilia iudicia exercētes, cùm & ipſe D. Auguſtinus totos dies hiſce inſumpſerit, atq; adeò vitæ æternæ præmium indè expectârit. Si quemadmodùm aduersùs Staphylum agit, ità & hîc librum hunc non eſſe Auguſtini clamitauerit: ſciat, ipſum Auguſtinum ſuis lucubrationibus hūc librum accēſere. Sed & Syneſius ille, cuius eruditionem, vt refert Nicephorus, Græci plurimū ſunt admirati, cùm à Theophilo Alexandrino Epiſcopus Ptolemaidis Cyrenaicæ regionis deſignatus eſſet, in epiſtola ad Eutropium fratrem ſic ait: Et conſtantiam, ſi Deus voluerit, obtinebo, atq; quanuìs à curis alienus, macerabor, cauſarumq́; & negociorum, quantunuìs graue miniſterium hoc, Deo confiſus, ſuſtinebo, &c. Lib. 2. Retract. ca. 21. Lib. 14. cap. 55. Eccl. hiſt.

Porrò quàm graue illud cauſarum miniſterium fuerit, alibì declarat D. Auguſtinus, explicās illum Pſalmi locum, Declinate à me maligni. Maligni, inquit, exercent ad facienda mandata, à ſcrutandis autem auocant, non ſolùm cùm perſequuntur, aut litigare nobiſcum volunt, verùm etiàm cùm obſequuntur & honorant, & ta- Auguſt. in Pſal. 118.

men ſuis vitioſis & negocioſis cupiditatibus adiuuandis vt occupemur,& eis noſtra tempora impendamus efflagitant,aut certè infirmos premunt,vt cauſas ſuas ad nos deferre compellant: quibus dicere non audemus,Dic homo,quis me conſtituit iudicem aut diuiſorem inter vos?Cõſtituit eñ talibus cauſis eccleſiaſticos Apoſtolus cognitores,in foro prohibens iurgare Chriſtianos. Nè illis quidem qui non aliena rapiunt,ſed ſua cupidè repetunt, dicimus:
Luc. 12. Cauete ab omni cupiditate,conſtituentes eis ante oculos hominé cui dictum eſt:Stulte,hac nocte auferetur à te anima tua:quæ preparâſti,cuius erunt?quia & quandò dicimus,non recedunt,nec declinant à nobis,ſed inſtant,vrgent, precantur,tumultuãtur,extorquent,vt ipſis potiùs ad ea quæ diligunt,quàm ſcrutandis Dei mãdatis,quæ diligimus,occupemur.O quanto tædio turbarum turbulentarum,& quanto deſiderio diuinorum eloquiorum dictum eſt,
Pſal.118. Declinate à me maligni,& ſcrutabor mandata Dei mei.Ignoſcant obedientes fideles,qui pro ſuis ſecularibus cauſis rarò nos quærunt,& iudicijs noſtris facilimè acquieſcunt, nec nos cõterunt litigando,ſed obtemperando potiùs conſolãtur. Certè propter eos qui & inter ſe pertinacitèr agunt,& quandò bonos premunt, noſtra iudicata contemnunt, faciuntq; nobis perire tempora rebus eroganda diuinis:certè,inquam,propter iſtos,& nobis liceat excla-
Pſal.118. mare in hac voce corporis Chriſti,Declinate à me maligni &c. Et
Epiſto. 147. rursùm alibì, inuitans Proculeianum ad ineundam concordiam: Homines,inquit,cauſas ſuas ſeculares apud nos finire cupientes, quandò eis neceſſarij fuerimus,ſic nos ſanctos & Dei ſeruos appellant,vt negocia terræ ſuæ peragant:aliquandò agamus & negocium ſalutis noſtræ & ſalutis ipſorum,non de auro, non de argento,non de fundis & pecoribus,pro quibus rebus quotidiè ſubmiſſo capite ſalutamur,vt diſſenſiones hominum terminemus,ſed de ipſo capite noſtro tam turpis inter nos & pernicioſa diſſenſio eſt. Quantunlibèt capita ſubmittant,qui nos ſalutant,vt eos concordes in terra faciamus,de cælo vſq; in crucem ſubmiſſum eſt caput noſtrum,in quo concordes non ſumus &c Hęc ibì D.Auguſtinus.
2.Tim. 2. Neque verò Paulus ipſe, dum ait: Nemo militans Deo, implicat ſe negocijs ſecularibus:non,inquam,videtur epiſcopis prorsùs oẽm
rerum

rerum secularium curam & administrationem pſcindere, sed eos notare, de quibus D. Cyprianus: Vidimus, inquit, episcopos plurimos, quos & ornamento esse oportebat cæteris & exemplo, diuina procuratione neglecta, procuratores rerum secularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas prouincias oberrantes, negociationis quæstuosæ nundinas aucupari. Esurientibus in ecclesia fratribus habere argentum largitèr, velle fundos insidiosis fraudibus parare, vsuris multiplicantibus fœnus augere &c. quem locum contra Cresconium adducens Augustinus, Nunquid, inquit, talium ille (Cyprianus) communicabat peccatis? Nunquid eorum sectam sequebatur? Et tamen cum eis in eorundem Sacramentorum communione persistebat, quia illa Sacramenta non ipsi instituerant moribus suis, sed ad pœnam sibi valere faciebant moribus malis. De huiusmodi, inquam, videtur Paulus loqui, totos se curis secularibus implicantibus, id est, irretientibus & immergentibus, vt nunquàm aut rarò ijsdem sese explicent, & ad spiritualium tractationem emergant. Quòd verò ad gladium ciuilem pertinet, pientissimum Antistitem D. Bernardum proferemus, quem adeò nihil auribus Pontificum & episcoporum dedisse, & ad gratiam locutum esse constat, vt etiàm liberè & securè ad Eugenium Papã scripserit: Quid tu, inquit, denuò vsurpare gladium tentas, quem semèl iussus es reponere in vaginam? Quem tamen qui tuum negat, non satìs mihi videtur attendere verbum Domini, dicentis: Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergò, & euaginandus ad tuum nutum: alioquì si nullo modo ad te pertineret & is, dicentibus Apostolis, Eccè duo gladij hìc: nõ respondisset Dominus, Satìs est: sed, nimìs. Vterq; est ergò Ecclesiæ, & spiritualis & materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille verò ab ecclesia exercendus, ille sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum sacerdotis, & iussum Imperatoris. Hæc D. Bernardus.

Cyprianus in serm. de lapsis.

Ioan. 18.

Matt. 26.

Luc. 22.

Cùm autem præpositi quidam Ecclesiastici, ciuiles Principatus ac dominia ab Imperatoribus, Regibus ac ducibus sibi donata habeant, vtiq; mirum non est, si eorum ratione gladium ciuilem habeant, quod nec ipse Melanchthon inficiatur. Si quam habent, inquit, episcopi potestatem gladij, hanc non habent vt episcopi ex

mandato Euangelij, sed iure humano donatam à regibus & Imperatoribus ad administrationem ciuilem suorum bonorum.

Hæc quoniam non ignorauit Smidelinus, vidēs nimirùm quosdam vicinos sibi principes Ecclesiasticos nōnunquàm gladio animaduertere in facinorosos, & scabiosas pecudes ab ouili Christi resecare: ipse, inquā, sui quoq; tam seditiosi & rebellis animi scabiem agnoscens, suæ rebellionis improbitatē hoc sophismate nōnihil fucare & condulcare conatur: sed ità, vt vulneris cruditatem magìs exasperet, quàm sanet. Nec tamen, inquit, Principibus episcopis quidquam ademptum volumus, modò omnes intelligant, ratione muneris Apostolici nihil minùs esse, quàm principes. Quis teneat tam versipellem Protea?

Quo teneā vultus mucātem Protea nodo?

Cap. 17.

Reddit Smidelinus causam suæ defectionis à Catholica fide, nempè propter quorundam peccata & falsam doctrinam. Hic autem ipsius Luteri verbis confutatur, quō scilicet, Lutero teste, ipsius doctrina exorta, omnia vitia sumpserint incrementum, & hæreses antiquæ sint renouatæ.

Smid.

PRosequitur nunc, & reddit causam suæ defectiōis ab Ecclesia Catholica, videlicet propter manifesta quorūdam peccata, & potissimùm propter falsam doctrinam & idololatriam plusquàm Ethnicā.

Bred.

Sed hoc tibi probandum restaret, immò Catholici præclaris voluminibus vestram doctrinā nouam, seditiosam, rebellem, & hæreticam demonstrârunt, quam tamen pertinacissima & plusquàm satanica insolentia stimulante, deprauatis scripturarum testimonijs, & falsis sanctorum Patrum allegationibus vtcunq; palliare conamini. Si negaueris, responde ad loca vtriusq; testamenti, quæ tam nequitèr, tam corruptè, tam dolosè à te producta declarauimus. Si conuicijs agere instituas, tuo quidem more facies: perges esse cōuiciator, sannio, maledicus: sed non desines esse falsarius, infamis & stigmaticus. Vnicum dūtaxàt superest remedium, vnica via, qua hæc tanta turpitudo abolescat, qua omnium tuorum scelerum ἀμνηστίαν consequare, nimirùm vt resi-

resipiscas, vt à mendacio ad veritatem reuertaris, vt cum Paulo ex persecutore & hoste fias tutor & defensor, aut etiàm clientulus dũtaxàt Orthodoxæ & Catholicæ Ecclesiæ. Quòd vestrorũ quoq; vitia & errata agnoscis, miror tuæ pertinaciæ æstum tantum deferbuisse, vt hanc concessionem facere sustinueris: sed perspectũ habuisti, factum difficiliùs negari, vtpotè multorum oculis expositũ: veritatem non æquè, quæ externis oculis (quos solos penè in testimonijs & iudicijs recipiunt idiotæ) conspici nequeat, & quã multorum opiniones frequentèr obscurant. Sunt igitur & vestrorum gregalium vitia & errata, eaq; non simplicia, sed enormia & immania. Si rursùm neges, audi oraculum vestri Idoli Islebici: Mundus, inquit, indiès fit deterior. Sunt nunc homines magìs vindictæ cupidi, magìs auari, magìs ab omi misericordia remoti, magìs immodesti & indisciplinati, multoq; deteriores, quàm fuerint in Papatu. Luterus in Postilla sup Euang. dñicæ 1. Aduẽt.

Alio verò loco suos increpans, deciès eos esse dicit Sodomitis peiores. Hæc est tui Luteri de vestro grege testimoniũ, quod dum declinare nequis, protinùs ad tua topica recurris, inquiens: Post propagatam Euangelij doctrinam, populum in multis locis deteriorem factum, passìm docet Luterus. Sed fallacia est accidẽtis. Accidit enim doctrinæ nostræ, quæ eius leuitatis nullo modo est causa, sed hominum peruersitas, qui Euangelij libertate ad licentiam carnis abutuntur &c. Aduersus Hosiũ fol. 112.

Mirum est, Luterum, cùm huiusmodi doctrinæ suæ fructus sibi à Catholicis obijceretur, non animaduertisse hanc fallaciam. Sed falsissimus hic malleator mirè sibi in huiusmodi fallaciarum animaduersione placet, quemadmodùm & suprà dixit, si quem salutis spem certò concipientem decipi contingat, fallaciam esse accidentis. Certè metuendum est, nè & Smidelinus hac in parte cum omnibus suis fallacijs miserè fallatur. Quandò fideles docentur opera omnia, quantunuìs bona, esse peccata: solam fidem iustificare, certos nos esse de regni cælestis hæreditate: quàm non ex accidenti proueniat hominum malitia, sed ex ipsa tam pestilentis doctrinæ indole & natura promãnet, vel cæco perspicuum esse potest: eoq; Tigurinæ Ecclesiæ ministri apertè pronunciãt, Luterum non prophetam fuisse, sed ex ore ipsius satanam, non Dei spiritũ, lo-

locutum esse.Neq; tantùm causa est hæc tam pestilens Luteri doctrina, quòd populus multis in locis factus sit deterior, sed & seminarium & scaturigo quædam fuit, ex qua velut ex equo Troiano monstrosissimæ pugnantissimæq; hæreses repentè prodiêrunt. Nam quòd Caluinus id alicubì excusare contendit, non minùs videlicet Luteranos nunc in culpa esse, quàm fuerint olìm Apostoli, quandoquidem horum tempore hæreses extiterint, haud paulò q̃ nunc sunt, rariores, quis non videt, quàm sit ineptum? Vndè enim Anabaptistæ antiqui Donatistici erroris cadauer effodierunt? Ex quadam Luteri ad Vualdenses epistola, in qua ille scribit, Omitti præstare in paruulis baptismum, quàm illos baptizare absque fide. Vndè Munzerus traxit exordium tumultûs rusticani, nisì ex Lutero? Vetuit hic Principibus obedire, vetuit ferre opem contra Turcas, quem deciès probioré esse scripsit, quàm stulti & insani Principes nostri. Vndè Carolstadius materiem arripuit resuscitandę heręseos Berengarianæ? Ex commentario Luteri in Iohannem, & ex versione huius dicti, ἡ σὰρξ οὐκ ὠφελεῖ οὐδέν. Atq; hæ nobiliores duntaxàt sunt sectæ: idem de reliquis omnibus sinè magno negocio demonstrari potest. Sed ad suprà commemoratas Luteri querelas reuertamur. Eas fortassìs de ipso discipulorum grege tantùm receperit Smidelinus, se verò cum suis Pastoribus esse sanctæ & honestæ vitæ: sic enim continuò sequitur apud Smidelinum:

Talibus elogijs Luterus decorat Principes Germaniæ.

Smid. Hoc tamen verè pronunciare possumus, munus docendi, quantùm fieri potest, non solere committi, nisì idoneis, & qui sana doctrina & necessarijs donis instructi sunt, vt populum docere queant, & qui sint honestæ vitæ &c.

Bred. Equidem Smidelinum nunquàm sciens vidi, neque de vitæ eius honestate studiosè inquisiui: quæ aliquãdò obitèr audiui de eo referri, & quæ Staphylus refert eum cum virginibus monialibus designâsse, cùm non sint plausibilia, tacere mâlim: neq; enim ipsi sum inimicus, quomodocunq; etiàm tractauerit charissimum mihi parentem Bredenbachium: sed eius tot modis hæreticam & seditiosam doctrinam non possum non exosam habere, & iuuãte Deo exosam habebo, donèc spiritus hos reget artus. Quod igitur refert, nullis committi munus docẽdi, nisì idoneis & honestæ vitæ: quotidi-

tidianæ rerum experientiæ manifeſtè repugnat, & D. Staniſ. Hoſius euidentibus exemplis contrarium demonſtrat. Poſſem, inquit, hiſtoriam tibi proferre Brenti, de quodam, qui cùm trium ſuperſtitum vxorum eſſet maritus, à veſtris tamen magno cum applauſu fuit exceptus, & in precio habitus, ob hoc ſolùm, quòd contraria Chriſtianæ fidei Luterana veſtra dogmata in vulgꝰ ſpargebat. Poſſem & alium, inquit, in eadem ciuitate nominare, de quo publica fuit fama, quòd è ſchola carnificis profectus, itidèm nõ vnius vxoris eſſet maritus. Quanuìs autem vnam tantùm ſecum adduxiſſet, vndecunq; tandèm raptam, (nam variè res narratur) inter ſcorta nihilominùs perpetuò volutabatur, vxore etiàm inſpectãte. Adeò nec vxoris commercium, vllum ei contra fornicationem attulit remedium: fuit tamen habitus pręclarus & idoneus cũprimìs Euãgelij veſtri miniſter. Hæc ille non minùs fide & ſanctimonia, quàm multijuga doctrina cóſpicuus Antiſtes D. Staniſlaus Hoſius, quomodocunq; eum tu impudentiſſimo ore tuo traducas. Quorum ipſe ego non admodùm nupèr à viris fide digniſſimis prorsùs ſimilia audiui, nec dubito plurimorum teſtimonijs cõfirmari poſſe.

Lib. 2 ppugnat. fidei Catho. cõt. Brẽtiũ, fol. 149.

Cap. 18.

Confutatis quibuſdam ſophiſmatis, demonſtratur, quàm improbè obmuteſcat aduerſarius ad Bredenbachij argumenta.

IAm quòd fraudes fraudibus connectens, ſubiungis, ſi qui minùs reſpondent noſtræ expectationi & ſpei, hoc imputandũ eſt veſtræ diſciplinę, in qua adeò impunè illis licuerint omnia, vt iuxta Comici ſententiam, non fuerit flagitium, ſcortari, helluari, fores effringere, &c. Smid.

Cùm Catholici doceant ex doctrina Apoſtolica, ſatagendum, vt per bona opera certam faciamus vocationem noſtram: vos aũt ſpretis operibus, ſalute per fidem ſiue confidentiam potiùs appręhenſa, hominem iuſtificari contendatis, vides temeris in nos debacchari calumnijs. Si apud nos dicis non eſſe flagitium, ſcortari, helluari, fores effringere, nimìs impudentèr mentiris: ſin apud vos flagitium eſſe contendis, facis tantundem. Quomodò enim ſcor- Bred.

tatio apud vos est flagitium,quibus permissum est adulterium?An non egit publicum lenonem, an non prostituit coniugum pudicitiam,an non ad adulteria classicum cecinit Luterus, docens & scribens,Si nō vult vxor, veniat ancilla?Iam & hoc considerādum est, si vt fateris,vos quoq; estis in vitijs & erratis,quomodò rursùm tibi constas,dum ais vos certò esse in gratia Dei?Nónne stipendium
Rom.6. peccati,mors?Nónne peccata diuidunt inter Deum & hominem?
Esa.59. nónne coinquinatus non intrabit in cælestem Hierusalem? Et tu
Apo.21. dicis, te tuosq; pastores esse vitijs & peccatis coinquinatos, & nihilominùs certos esse de hęreditate cælesti?Vide Smideline,quàm turpitèr vbiuìs locorum impingas. Vbiq; naufragium facis, mare vndiq; & vndiq; pontus,in quo iam miser errabundus fluctuans,in tot tuorum mendaciorum scopulos tanto cum sonitu, vt vniuersus orbis sentiat & intelligat,impegisti:tot iam tuarum antilogiarum,imposturarum fraudumq; turbulentissimis & mutuò se collidentibus procellis concussus es, vt metuēdum sit, nè in altissimā vel desperationis,vel contemptûs & peruicacię voraginem,quæ te iam diù immani suo hiatu sorbere cœpit, magìs magisq; subsidas,
Pro.18. (iuxta illud,Peccator cùm in profundum venerit, contemnit) donèc tandèm aquarū concursibus & profluuijs planè obrutus,spem non habeas emergendi.Nulla autem spes superesse potest ex hoc tam atroci naufragio, (quo dubius adhuc sustinēte illo cui fluctus & maria obediunt,huc illucq; iactaris)enatandi, nisì ad cor redeas,nisì salutarem pœnitentiam velut alteram tabulam appræhendas,& ad portū Ecclesiæ Catholicæ, ex qua temerè in hoc tam vastum & vndosum pelagus te præcipitâsti,remis velisq; reuoles. Ad locum D.Bernardi à Bredenbachio adductum, quomodò respōdeat Smidelinus,æquus lector facilè æstimauerit. Demonstrauerat Bredenbachius,quàm improbè hic locus ab aduersarijs sit mutilatus:ad hoc nihil quicquam respondet,quum pectus illud suum quantunuìs fœcundum,nihil suppeditare possit, quo tātam deprauationem excuset.

Similitèr dicendum de parabola zizaniorum, quam om̄es tam veteres quàm neoterici Catholicæ Ecclesiæ doctores, in eundem finem & scopum allegant, in quem à Bredenbachio adducta est.

Quòd

Quòd rursùs Lectorem obtundit de officio Magistratûs, posteà examinabimus, nè omnia passìm & quasi per satyram tractādo, methodum confundamus.

Cap. 19.

Quàm ineptè & calumniosè aduersarius accuset Paulum Tertium Pontificem, quòd sua suorumq; peccata, publica querela defleuerit, idq; omnibus Prophetis & Sanctis fuisse familiare.

PRogreditur Smidelinus: Cùm, inquit, Adriani sexti Cōfessionem, & pontificis Pauli tertij & Cardinalium delectorum consilium admittat, scimus in quo numero sacrificulos habere debeamus &c. Smid.

Adriani Pontificis & Legatorum Pauli tertij querelæ fuerunt de corruptis moribus Ecclesiæ, petentes à Patribus, vt his mederi studerent. Illorum simul & D. Bernardi querelis, cùm Brentius in ꝓlegomenis episcopos & sacerdotes omnes in odium, inuidiam & contemptum omnium adducere conaretur, an in hoc rectè fecerit, Bredenbachius declarauit, & nos suprà docuimus ex Chrysostomo, non esse omnium, censuram sumere de vita & moribus pastorum. Quid verò tu ad hæc Smideline? Scilicet vt tibi & Brentio similis esse pergas, magno cum fastu & arrogantia censorem agis in vitam Pauli tertij pontificis, eumq; & legatos ipsius enormium flagitiorum insimulas, quod ipsum in causa diuisionis suę defendendæ, semper hæreticis vsitatum & solenne fuisse, alicubi scribit Augustinus. Et Hieronymus, Propriū est hęreticorum despicere ecclesiasticos, & in eorum ruina gaudere. Cur autem non à Paulo Apostolo potiùs exorsus est calumniator, quô sic iam indè à Pauli temporibus episcopos scelaratos fuisse, atq; ideò syncerum nō habuisse iudicium demonstraret? Nam & ipse de ijs, qui suo tempore Dei regebant Ecclesiam, ad eundem propè modum, quo Adrianus & legati pontificis Pauli tertij, questus est. Cùm enim dixisset, Spero me Timotheum citò mittere ad vos, vt & ego bono animo sim, cognitis quæ circa vos sunt: subiunxit e uestigiò, Neminem eñ ha-

Bred. Augst. epist. 137. Phil. 2.

Phil. 2. habeo tam vnanimem, qui ſyncera affectione pro vobis ſolicitus ſit. Mox & rationem addit: Omnes enim, inquit, quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti. Vides quòd eadem ferè fuit Pauli de ſuis collegis querimonia. Neq; tamen ideò tales omes fuerunt, qui cum Paulo tum erant. Erat enim cum eo Lucas & Epaphroditus, 2. Tim. 4. quos conſtat non quæ ſua ſunt, quęſiuiſſe, ſed quæ Ieſu Chriſti: ſed quia plures eiuſmodi fuerunt in eius ſocietate, nimirùm Demas, qui dereliquerat eum, diligens hoc ſeculum: Hymenæus, Alexander ærarius, qui multa mala ei oſtēderat, & alij, quorum in hac ipſa meminit epiſtola, qui ex contentione Chriſtum annunciabant nō Phil. 1. ſyncerè, exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis eius: ideò, qui ſcripturæ mos eſt, dixit de nonnullis, tanquàm de omnibus, quemadmodùm etiàm Hieremiam feciſſe legimus: A minore vſque ad Hier. 6. maiorem, inquit, omnes auaritiæ ſtudent: & à propheta vſque ad ſacerdotem, cuncti faciūt dolum. Quid ergò dicemus? quia tales etiàm erant Pauli Apoſtoli temporibus magna ex parte verbi miniſtri, num ideò iugum eorum tanquàm non habentium graue & ſyncerum iudicium, (vt tu loqueris) fuit ab ouibus excutiendum? Non ità docuit Apoſtolus, ſed cùm queſtus eſſet de ijs, qui Chriſtū ex contentione prædicabant non ſyncerè, Quid enim, inquit? Dū omni modo ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annūcietur, & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo. Qui tum annunciabāt Chriſtum, faciebāt id animo minimè Chriſtiano: nihil enim aliud ſpectabant, quàm vt capto vinctoq; Paulo, maiorem adderent afflictionem, vt ex Euangelij profectu maius illi conflarent odium, & eum in vitæ ſuæ diſcrimen adducerent. Neq; tamen ideò Paulus eos audiri prohibuit, quin quacunq; tandèm occaſione Chriſtum per eos annunciari gaudebat. Huius exemplum imitari te decebat Smideline, vt gauderes potiùs cum Paulo, ſi vel per occaſionem Chriſtus annuncietur. Quid autem in hac Legatorum Pontificis querela repręhēdis? Si Deus pro meritis nos caſtigaret, iampridèm Eſa. 1. ſicut Sodoma & Gomorrha fuiſſemus. Hi ſcilicet ſunt legati & Pontifices, exclamat Smidelinus, qui querelis ſuis teſtantur, quàm graue & ſyncerum habeant iudicium.

Bred. Si vera fuit eorum querela, quid (obſecro) aliud fecerunt, quàm ſan-

ſanctam illam matronã olìm feciſſe legimus? Peccauimus, inquit, Iudit. 7. Pſal. 105.
cum patribus noſtris, iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus. Quid Eſa. 1.
aliud dixerunt, quàm ſanctus ille Propheta Eſaias? Niſi Dominus
exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, &
quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus. Quid aliud queſti ſunt, quàm Eſ- 1. Eſd. 9.
dras conqueritur? Deus meus, confundor & erubeſco leuare faciẽ
meam ad te, quoniam iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt ſuper
caput noſtrum, & delicta noſtra creuerunt vſq; ad cælum à diebus
patrum noſtrorum. Sed & noſipſi peccauimus grauitèr vſq; in di-
em hanc, & in iniquitatib⁹ noſtris traditi ſumus ipſi &c. Taliũ que-
relarum plena eſt ſcriptura. Si obijcias, quid tu talium Pontificum
querelas cõfers cum querimonijs ſanctorum Prophetarum? Vt ni-
hil illorum ſanctimoniæ detractum volumus, ità veriſſimo illius
Prophetæ eloquio nihil derogare poſſumus, Omnis homo men- Pſal. 105.
dax, id eſt, peccator. Et illius, Si iuſtum me dixero, os meum cõde- Iob 9.
mnabit me. Si noſtrorum Pontificum & legatorum peccata præ-
grauant peccatis Prophetarum, immò ſi fuerint ſicut pannus men-
ſtruatæ, ſi fuerint ſicut coccinum, nónne dicente Propheta, ſi qui- Eſa. 1.
eſcant agere peruersè, ſi quærant iudicium &c. quaſi nix dealba-
buntur, & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt?
Si qui ſtat, poteſt cadere: qui cecidit, non poterit reſurgere? O ini-
quum & ſeuerum cẽſorem, immò iniquiſſimum improbiſſimumq;
criminatorem. Quàm bellum ſe declarat Luteri diſcipulum, dicẽ-
tis, Papa noſter eſt: noſtrum eſt non iudicari à Papa, ſed iudicare
ipſum. Quid vides feſtucam (immò videas trabem licèt) in oculo
fratris, & trabem in oculo tuo non vides? Hypocrita, eijce primùm Matt. 7.
trabem ex oculo tuo, inquit Dominus apud Euangeliſtam. Vis ti- Luc. 6.
bi hanc trabem demonſtrari? Dolauimus eam ſuprà ex idoli tui Iſ-
lebici ſcriptis. Mundus, inquit, indiès fit deterior. Sunt nunc ho-
mines magìs vindictæ cupidi &c. magìs immodeſti & indiſciplina-
ti, multoq; deteriores, quàm fuerint in Papat 1. Et alio loco ſuos
increpans, dicit eos deciès Sodomitis peiores. Qua fronte igitur au
det ille talium diſcipulorum gregalis Smidelinus, ſe & ſuos deciès
Sodomitis peiores obtrudere Eccleſiaſticę doctrinę iudices, & eos
reijcere, quorum hoc proprium ſempèr in Eccleſia fuit munus, in

cuius possessione plusquàm mille quingentis annis fuerunt? quinimmò si spectes, Iudæorum etiàm sacerdotes, plusquàm bis totidẽ alijs annis? Nam ex quo tempore sacerdotium Iudæorum sumpsit originem, ad hunc vsq; diem, nunquàm apud omnes eos qui vel in venturum, vel in eum qui iam venit, Christum crediderunt, penès alios quàm penès episcopos & sacerdotes de religionis doctrina iudicandi fuit potestas, nõ autem penès solam scripturam, vt vultis, quam illi non minùs quàm nos, habuerunt. Idem etiàm gentes, solum naturæ & rationis ductum sequentes, obseruâsse testatur Põponius in 2. ff. de origine iuris: Omnium, inquit, harum legũ & interpretandi scientia & actiones, penès collegium Pontificum erãt, ex quibus constituebatur quis quoq; anno præesset priuatis. Dum tanto cum supercilio, tanta petulantia & procacitate linguæ in Paulum tertium Pontificem & legatos eius insurgis, certum nobis & vniuerso orbi præbes argumentum, quali spiritu exagiteris. Omẽ superuacuũ pleno de pectore manat, inquit Horatius. Christi sententiam exprimens apud Lucam 6. Et alibì Dominus: Progenies viperarum, quomodò potestis bona loqui, cùm sitis mali? Si dicas, Christum & Apostolos etiàm corripuisse pontifices & Pharisæos, quis non videt, quàm longè alia via hoc fecerint? Et quis es tu, vt hac in parte compares te Christo & Apostolis? Data fuit Christo omnis potestas in cælo & in terra: missus erat à patre in doctorem gentium, & sicut missus erat, misit Apostolos suos, atq; ità nõ subditi erant ampliùs pharisæis, qui in nouam iam Christi cathedram collocati, subditos sibi habent pharisæos. Et tamen quãtunuìs abrogata iam Mosis Cathedra, in tam sublime δικαστήριον, in tantam maiestatem euecti essent Apostoli, nihilo seciùs gẽtium ille doctor & vas electionis, cùm ante summi Pontificis Ananiæ tribunal statueretur, acerbiori verbo fortè imprudẽtèr ꝓlato, respõdit: Nesciebam, fratres, quia pontifex est: scriptum est enim, Principi populi tui non maledices. Eccè quanuìs Domino iam crucifixo, sacrilegi & impij & cruenti illi esse cœpissent, nec iam quicquam de sacerdotali honore & authoritate retinerent, tamen ipsum quanuìs inane nomen & vmbram quandam sacerdotis cogitans, expauit, inquit Cyprianus. Si vt dicit Sapiens, qui detrahit fratri suo, peccat: detra-

Matt.12.
Mat.28.
Act.23.
Exod.22.
Lib.1. epist. 3.

detrahere autem nō eſt falſa proferre,hoc enim eſt mētiri, ſed vera:ſi libelli famoſi authorem ſuum capite plectūt,quid de tali cōuiciatore dicemus? nūquìd non meritò ad rotas & coruos relegaberis?Tu qui paſtorem te dicis,ſi quempiam tuorum in concione publica nominatìm pſtringeres,vitiu & flagitia eius operosè enumerares,quid ipſum reum, quid ipſam vniuerſam circunſidētium coronam dicturam exiſtimas?aut quo iure factum tueberis? Iam vice verſa ſi in eodem cœtu ouis in te inſurgat, dicat te ſcurram, ſcortatorem,adulterum, pæderaſten, quid dicturus es? Etſi vera dicat,ferres manifeſtum detractorem?Si nec tibi oues,nec ouibus te hoc pacto tractare licet:tu virum Chriſtianum, immò pontificē & ſucceſſorem Petri,(non negare potes, etiamſi rumparis) de ſuis ſuorumq; peccatis exemplo omnium Prophetarum tam piè dolētem & ingemiſcentem, de reformandis vniuerſæ Eccleſiæ morib⁹ tam ſolicitum,in vniuerſo orbe conuocando, & conſilia in commune omnium vtilitatem conferendo tam ſtrenuum, ſagacem, induſtrium, tam in omnia ſe vertētem, vt opportunum cibū daret ſuis domeſticis in tempore:talem,inquam,ouilis Dominici paſtorem ità ludificaberis?tam atrocibus cōuicijs proſciſſum ſcurris & ſannionibus deridendùm propinabis?nullo die dicto,indicta cauſa,tu iudex ſimul & teſtis improbiſſimus cōdemnabis?Dices,Apoſtolus inquit,peccantes coram omnibus argue.Sed vt hoc concedamus,& ambiguam diſtinctionem diſſimulemus,permittit quidē Apoſtolus,dicente Theophylacto,peccantem etiàm in propatulo, ſi delinquere perſeueret,redargui.Verùm cui hoc dictum eſt?Timotheo dictum eſt,epiſcopo dictū eſt.Tu ſi paſtor es, ratiōe ſummi paſtoris,ouis es,ſi tamen ouis,qui non es in ouili Dominico,ſi non vulpes,ſi non lupus,qui maceriam huius ouilis tam improbè demoliri conaris.Si dicas nos docere nemini detrahendum,& nihilo ſeciùs Catholicos in Luterum & diſcipulos eius inſurgere, quis nō videt, quàm iuſtè id faciant?Proruitis ad inceſtas nuptias, noua,abſurda & hæretica dogmata paſsìm diſſeminatis, docetis & ſcribitis,ac de his principiò amantèr admoniti,vt deſiſteretis, non ſolùm nō paruiſtis,ſed & flagitia veſtra pertinacitèr defendere cōtendiſtis,errantes,& in errorem mittentes corda ſimplicium.Scripſit

Matt. 24.

1. Tim. 5.

Lib. de captiuit. Bab. psit Luterus, si non vult vxor, veniat ancilla: coniugij vsum tam esse necessarium, vt cibi & potûs: non teneri monachos ad votũ castitatis, atque ità ad diuortia, repudia, pellicatus, incestus & adulteria pestilentissimam aperuit fenestram, ad quam tam multos ex subitanea rei nouitate simul & blanda licẽtia pellectos procurrisse, transcendisse, & in omnium flagitiorum lacunam præcipites descẽdisse, quotidiana experientia compertum habent Catholici. Atq; hãc Luteri doctrinam, vitæ quoq; eius exemplo confirmatam, tu tuiq; symmystæ tanquàm sanctam, piam & Euangelicam pertinacissimè defenditis, & ad meliora inuitantes, tot conuiciorum, mendaciorum & calumniarum plaustris inuaditis, obruitis, conculcatis, vt miseram plebẽ in erroribus demersam detineatis, nè vnquàm possit assurgere, & tu postulabis à nobis, vt ad tam indignam, flagitiosam & detestabilem doctrinam, quæ tantam perniciem, tantas turbas, tam atrocia dissidia inuexit in orbem penè vniuersum: ad hãc (inquam) doctrinam, ad hęc flagitia, quæ tanta pertinacia defenditis, vis nos acclamare εὖγε εὖγε? vultis agnosci, quales vos nusquàm non iactatis, pro certis & indubitatis Dei filijs, cùm dicat Aposto-

Gal. 5. lus: Qui talia agunt, regnum Dei non possidebũt? Sanè si quæ sunt inter Catholicos vitia, non defendimus, sed deploramus, & deplorauerunt legati Pontificis Pauli tertij: doctrinam autem Catholicã etiamsi diabolus cum suo exercitu eam vsq; ad insaniam, si tamen sanus est, oppugnet, defendem⁹ donèc expugnetur Veritas, donèc

Lucæ 22. videamus collabescere verbum Domini: Petre, ego rogaui pro te, nè deficiat fides tua. Porrò quantò modestiùs vobis in religionis negocio versentur Catholici, nemo ignorat, adeò vt quidam etiàm Lutero addictissimi, maledicentiam ipsius summoperè detestati sint. Tu quoq; quàm conuiciosum agas rabulam contra laudatissimum Præsulem D. Stanislaum Hosiũ, nemo ignorat, qui vel paucas scurrilis tuæ refutationis paginas perspexit, cùm tamen ille modestissima confutatione Brentij prolegomena examinauerit.

Cap. 20.

An

An quia Paulus dicat se Gentium, Petrum verò circumcisionis Apostolum fuisse, ideò Paulus Petro par fuerit: & Pauli locum ab aduersario adductum, ipsi maximè aduersari.

NVnc tandèm prosequitur Smidelinus suam arietationẽ contra Primatum Romanæ Ecclesiæ, quem nos superiùs (secuti ordinem Bredenbachij in libro de componendis dissidijs, quia Smidelinus suam oppugnatióem illic ordinis ratione postulante inchoabat) plenè demonstrauim⁹, pluribus demõstraturi, nisì temporis angustia ꝓhiberemur. Ignoscet autem hìc nobis candidus lector, quòd ad hanc quæstionem rursùm reuertamur: sequenda enim fuit Lesbia Smidelini rhapsodia, quam tam infelicitèr & distortè consuit, vt nullam legitimæ & methodicæ confutationis faciem habeat. Hic igitur est aries Smidelini.

Cùm Christum respuat Iudicem, inquit, videamus quibus argumentis iudicium solis pontificibus & episcopis asscribat. Omnia autem hoc fundamento innituntur, Episcopi & Pontifices & sacrificuli sunt Apostolorum successores: Ergò quicquid iudicant, huic sinè contradictione, nulla disputatione habita, est obtemperandum. Posteà promissionibus Christi Apostolorum amplificat potestatem consulis Petri, & reliquorum tanquàm senatûs, quib⁹ etiàm Pharisæos adiungit, vt magìs confirmata sit authoritas. Qui vos audit, me audit: Quorum peccata remiseritis, remissa erunt: Tibi dabo claues regniꝗ cælorum &c. Nos, quoàd eius fieri poterit, breuitati studebimus, Principiò demonstrantes Petrum non habuisse Primatum super reliquos Apostolos & ecclesiã Christi, qualem illi affingit noster Grammaticus. Deindè, si maximè talem potestatem adeptus esset Petrus, nihil ad Roman. Põtificem pertinere. Postremò, quoniam Christus nulli Apostolorum primatũ contulerit, nó expedire vt in Ecclesia Christi summa potestas vni deferatur. Parem fuisse D. Petro Apostolo Paulum, aut etiàm propemodùm superiorem, quæ ad Galatas extant scripta, docent. Verba Smid.

lApoſtoli ſunt: Cognoſcentes quòd mihi concreditum ſit Euangeium præputij, ſicut Petro circuncisionis. Nam qui in Petro efficax fuit ad Apoſtolatum circuncisionis, efficax fuit in me erga Gẽtes. Et paulò pòſt: Iacobus, Cephas & Ioannes, qui videbantur eſſe columnæ, dextras dederunt mihi ac Barnabæ ſocietatis, vt nos in gẽtes, ipſi verò in circuncisionem Apoſtolatu fungerentur. Hic loc⁹ apertè demonſtrat, D. Paulum authoritate & poteſtate parem fuiſſe D. Petro, nec paſſum vt aliquã ſuper ipſum iuriſdictionẽ vſurpâſſet. Hactenùs Smidelinus.

Smid. De iudicio Christi videbimus ſuo loco. Quòd ad Pauli locum attinet, iam demùm veriſſimũ illud Comici agnoſco: Nihil dictũ, quin dictum ſit priùs. Huius enim tui tuorumq́; argumenti abſurditatem iam olìm ante annos penè triginta luculentèr demonſtrârunt ſcriptores catholici: ſed vt Tertullianus ex Græco poëta refert, quemadmodùm ἀσπὶσ παρ' ἐχίδνησ φάρμακον δανείζεται, ità Smidelinus non deſinit ex damnatis magiſtrorum ſuorum libris hæreticæ doctrinæ toxicum mutuari & coaceruare, quantunuìs nos eiuſmodi amuletis & antidotis armatos & inſtructos nôrit, vt venenata illa contagia nihil quicquam nobis queant officere. Igitur aduersùs cicutã illam quã Smidelinus ex gregalium ſuorum plantatione, quam non plantauit pater cæleſtis, vndiquè corraſit, nos Catholicorum & Orthodoxorum fragrantiſſimum pulegiũ, ſeu mâuis odoriferam Moly herbam producemus.

Lib. 3. cõtra Marcionẽ. Aſpis à vipa venenũ mutuatur,

Vt autem pius lector Paulinæ ſententiæ ſcopum pleniùs aſſequatur, origo & occaſio horum Pauli verborum breuitèr referenda eſt: Pſeudoapoſtoli, ſiue (vt Paulino verbo vtamur) ψευδάδελφοι quidã inſimulauerãt Paulum, quòd diuerſum doceret ab eo, quod p̃dicabant ac docebant Apoſtoli, cùm ſcilicet hi permitterent circuncisionem, Paulus verò circuncisionem damnaret. Detrahebant inſupèr ipſius Apoſtolatui, quaſi à Chriſto apoſtolus delectus non eſſet, nec Apoſtolorum doctrinæ conſentanea doceret. Principiò igitur docet, ſe non ab hominibus, neq; per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum & Deum patrem creatum Apoſtolum. Deindè paucis de Iudaiſmo, perſecutione & cõuerſione ſua expoſitis, quomodò ad varias gentes conceſſerit, eisq; Chriſtum euangelizauerit, enar-

enarrat. Quomodò exindè semèl atque iterùm Hierosolymam ascenderit ad Petrum & Iacobum fratrẽ Domini, & contulerit cum illis Euangelium quod prædicabat in gentibus. Apostoli autẽ Paulo concreditum esse Euangelium præputij, & gratiam ei datã cognoscentes, euestigiò Iacobus & Cephas & Iohannes dextras societatis dederunt Paulo & Barnabę, hoc est, vt inquit Theophylact⁹, conuenêre illi secum & ꝓ se tulerunt, eis esse oblectamento, quod Paulus prædicabat, quandoquidem Pauli prædicatio nihil ab eorũ prædicatione dissentiebat, Iam, quæso te, pie lector considera, cuius sit impudentiæ, ex hoc Pauli loco velle probare æqualitatẽ Apostolorum? Legat & relegat Smidelinus omnium veterum commẽtaria & orthodoxas expositiones: nullum comperiet suis hæresibus vel in minimo suffragari. Quinìmò si penitiùs hunc locum expendamus, illustrem nobis præbet confutationem eorum, quę Smidelinus tam temerè, tam insulsè & arrogantèr vbiq; inculcat. Consideremus hìc Apostolum Paulum semèl atq; iterùm Hierosolymã ascendisse ad Petrum. Quamobrẽ? An quid humani passus est Paulus? Audiamus de hoc D. Hieronymũ. Neq; enim puto, inquit Apostolicæ fuisse grauitatis, vt post tantam triennij præparationẽ, humanum aliquid voluerit in Petro adspicere, sed his oculis adspexit eum, quibus & modò in epistolis suis videtur. Iuit autem non quidem discendi studio, quì & ipse eundem habuerat doctorẽ & magistrum sanctum spiritum, sed honoris deferendi gratia, adeò (inquit Theophylactus in dictam Pauli epistolam) illum venerabatur & colebat. De hac eius profectione, in eandem epistolam ità scribit sacer Ambrosius: Dignum fuit, inquit, vt cuperet videre Petrũ, quia primus erat inter Apostolos, cui & delegauerat saluator curã Ecclesiarum, nõ vtiq; vt ab eo aliquid disceret, qui iam ab eodem authore didicerat, à quo ipse fuerat instructus Petrus, sed propter affectum Apostolatûs, & vt sciret Petrus hanc illi datam licentiam Euangelium prædicandi, quam ipse acceperat. Veniẽs ergò ad eũ, hospitio receptus est, & mansit apud eum diebus quindecim, tanq̃ vnanimis Apostolus. Hoc ideò manifestat, vt ostendat se concordiam cum Apostolis habuisse, nec in aliquo ab eis dissensisse, sicut de eo susurrabant pseudoapostoli, vt eum apud gentium diffamarent

rent Ecclesias,& sua mala simplicioribus insererent, dicētes ea cō-
uenire cum doctrina maiorum Apostolorum. Vides igitur, quàm
falsò & infelicitèr tu colligas ex hoc loco, Paulum parem, immò fe-
rè maiorem, fuisse Petro, quem è tam longinquo visitauit honoris
deferendi gratia tanquàm primum inter Apostolos, cui delegaue-
rat Saluator curam Ecclesiarum omnium. Porrò & aliud præclarũ
& insigne documentum hoc suo exemplo nobis præbuit Aposto-
lus, quod D. Augustinus iam olìm obseruauit contra Faustum Ma-
nichæum, lib. 28. cap. 4. & in quæstionibus euãgelicis lib. 3. cap. 40.
Non dubitabat S. Apostolus de sua doctrina, vtpotè θεοδίδακτοσ & à
spiritu sancto edoctus: attamen nè qua ratione per pseudoaposto-
los eius prædicatio redderetur inefficax, qui vbiq; calumniabant̃
doctrinam eius improbari ab Apostolis, & nè hoc pacto offendicu
lum præberet infirmis, asscendit Hierosolymam, conferens suum,
quod prædicabat, Euangelium cum Apostolis. Iam vide Smideli-
ne, quàm illustre, quàm opportunum, quàm efficax contra temet-
ipsum protuleris testimonium, qui in rebus fidei recusas suscipere
authoritates hominum, vel etiàm definitiones ac decreta generali-
Psal. 7. um conciliorum, sed vnumquenq; sequi debere, quod intra se sen
tit. Vide quàm verè dixerit propheta, Incidit in foueam quam fe-
cit. Sed inquis, ex hoc Pauli loco manifestum euadere, Petro com-
Gal. 2. missas fuisse non oues vniuersas, sed eas tantùm, quæ ex circunci-
sione. Siquidem circuncisiõis Apostolum eum Paulus vocat, se ve-
rò gentium.

Cap. 21.

Cur Petrus circuncisionis Apostolus dictus, & Paulus Gentium.

CAeterùm cur Petrus circuncisiõis Apostolus dictus sit
à Paulo, qui se gentium gloriatur Apostolum: haud dif-
ficultèr intelliges, si perpendas illud quod de seipso te-
Matt. 15. stificatus est Seruator, dicens: Non sum missus nisì ad
oues, quæ periêrunt, domûs Israel. Tum quòd Apostolis præcepit,
Matt. 10. cùm daret eis potestatem spirituum immundorum, & vt curarent
omnem languorem & omnem infirmitatem, videlicet nè abirēt in
viam

viam gentium, nec Samaritanorum ingrederétur ciuitates: sed ite potiùs inquit, ad oues perditas domûs Israel, quas suum populum & oues gregis sui peculiaritèr sæpè vocat Deus in scripturis. Quorum Christi mandatorum memores Apostoli, etiàm diù post acceptum spiritum intra solius Iudeæ limites sese continuerunt, donèc viso admonitus Petrus, primùm omnium susciperet Corneliũ Centurionem gentilem & incircuncisum hominem ad Baptismum. Ad hoc igitur vsq; temporis tam Petrus, quàm vniuersi cum eo Apostoli, solis Iudæis euangelizabãt verbum fidei. Vndè nihil mirum, si Petrus eatenùs circuncisorum præcipuè diceretur Apostolus, ad quos solos missum se dixerat CHRISTVS, missi etiàm principiò Apostoli, ità quidem, vt, tametsi ante receptum spiritum sanctũ audiuerant à Christo: Ite in orbem vniuersum &c. diù tamẽ post acceptum paracletum non reuelaretur illis communicandum etiàm gentibus Euangelium in salutem. Cuius cùm tempus iam adesset opportunum & placitum Deo, (siquidem satis iam diuulgato Iudeis Euangelio) non Paulo, aut Iacobo, non Ioanni, sed Petro, nimirùm summo Pastori totius Ecclesiæ (quæ eatenùs circuncisorum duntaxàt fuerat) visio de cælis apparuit, qua positus in mentis excessu, vidit apertum cælum, atq; indè vas quoddam velutì linteum magnum, quatuor initijs alligatum, demitti in terram, in quo erãt omnis generis quadrupedia terræ, bestiæq; & reptilia & volatilia cæli, & facta est vox ad eum: Surge Petre, occíde & manduca. Quo viso, vt pòst intellexit, admonebatũ etiàm gentes incorporare Christo. gentium enim immunditiæ per quadrupedia, terræ bestias, reptilia, volatiliaq; significabantur, Quas Deus intra linteum Ecclesiæ recipere iam existimans opportunum, Petro præcepit primùm, vt eas mactaret verbo Dei quouis gladio vtrinq; incidente penetrantiori: deindè vt mãducaret, hoc est, cibi more in Ecclesiæ corpus traijceret, sibiq; tanquàm Ecclesiæ fundamento cõglutinaret. Et nè vanum somniantis phantasma reputaret, tertiò repetita voce admonitus est: nec multò post visionem venerunt à Cornelio quidam eius accersendi gratia, vt ipsum Cornelium erudiret in ijs, quæ pertinebant ad salutem. Cum quibus proficisci iussus à spiritu, vt accessit ad Cornelium, eidem cum omni domo sua annun-

Mar. 16.

Act. 10.

ciauit regnum Dei, hunc in modum exorsus: Re ipsa comperio, quod non sit personarum acceptio apud Deum, sed in omni gēte, qui timet ipsum, & operatur iustitiam, hic acceptus est illi &c. Et cùm adhuc eo loquente cecidisset spiritus sanctus super omnes, qui audiebant sermonem, obstupefactis miraculo his qui ex circuncisione venerāt cum Petro, iussit eos baptizari in nomine Domini. Per hūc itaque Petrum totius Ecclesiæ caput & magistrum, didicerunt primò & cæteri Apostoli, quòd & gentibus concesserat Deus pœnitētiam ad vitam. Quarè & exorta posteà disceptatione non exigua,
Act. 15. an gentes onerandi essent oneribus legalibus, in apostolorum habito de hac quæstione concilio, surgens Petrus, dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis, quod ab antiquis diebus Deus inter nos elegit, vt per os meum audirent gentes verbum Euangelij & crederent. Audis quòd hîc dicat Petrus, Deum videlicet ab antiquis diebus elegisse, vt per os ipsius inter omnes Apostolos audirent gentes verbum Euangelij & crederent, vt qui anteà fuerat solius circuncisionis pastor & Apostolus, quippè quæ sola in ouili Dominico eatenùs cōtemnebatur, efficeretur etiàm pastor gentium, quas cùm placuisset Deo etiàm in ouile suum adducere, & ad agnitionem veritatis venire, elegit hoc fieri ministerio Petri, vt velut præuidens istorū calumnias, Dominici gregis magìs commendaret vnitatem, contestatumq; faceret, vnicum ouile, sub vnico pastore esse oportere. Quòd verò Paulus se gentium, Petrū verò circūcisionis facit Apostolum, non eò pertinet, quasi gentibus tantùm ipse euāgelizauerit. Siquidem & ipse primùm sempèr euangelizauit Iudęis per synagogas, sed cùm ipsi penè vbiq; ab illis contradiceretur, dixit vnà
Act. 13. cum Barnaba: Vobis oportebat primùm loqui verbum DEI: sed quoniam repulistis illud, & indignos vos iudicatis æterna vita, eccè conuertimur ad gentes. Meritò igitur se gentium gloriatur Apostolum, ex quibus præcipuum laboris & plantationis suæ fructum & incrementum retulit. De Iudæis gloriari non audet, à quibus penè vbiq; malè acceptus est. At Petro, cui totius ouilis cura commissa est, æquus penè fructus fuit & in Iudæis & in gentibus. Sed quoniam Iudæis primùm loqui oportuit verbum Dei, primus quoq; labor eius ad Iudæos in ouile Christi, sibi commissum, introducēdos

dos maximo cum fructu ac prouentu desudauit, adeò vt vnico primoq; eius sermone, quem ipso die Pentecostes habuit, tria millia circiter animarum conuerterentur ad Christum. Quarè ea ratione in illo principio meritò vocatus est à Paulo circuncisionis Apostolus, in qua tum fructus eius cernebatur maximus. Sed posteà nihilosecius, nec minori cum fructu laborauit in gentes, quàm antè in circuncisionem fecerat. Cùm enim (vt beatissimi Leonis verbis dicamus) apostoli duodecim, accepta per spiritum sanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Euangelio mundum distributum sibi terrarum partibus suscepissent, & beatissimus Petrus princeps Apostolici ordinis, iam populos, qui ex circuncisione erant, erudierat, Antiochenam ecclesiam, vbi primùm Christiani nominis dignitas est orta, fundauerat, & Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam atq; Bithyniam legibus Euangelicæ prædicationis impleuerat, ad arcē Romani destinatur imperij, vt hîc sicut esset terrenus imperator & rector orbis, ità & ibidèm p̄sideret hic pastor, qui præsul esset & caput Ecclesiæ totius. Hæc D. Leo. In serm. de Petro & Paulo.

Hinc Iustinianus Imperator Romam vocat patriam legum, fontem sacerdotij. D. Leoni inter alios plurimos adstipulatur Eusebius ille Cęsareensis, enarrans historiam Simonis Magi ex Iustino & Irenæo, & quemadmodùm maleficis suis artibus ità demētauerat Romanos, vt diuinos sibi honores impenderent. Sed non in longum, inquit, permanet fraude quæsita diuinitas. Continuò nanq; in ipsis Claudij temporibus, clementiæ diuinæ prouidētia, probatissimum omnium populorum & maximum fidei magnificentia, virtutis meritò primorem principem Petrum ad vrbem Romam, veluti aduersùs humani generis communem perniciem repugnaturum deducit, ducem quendam & magistrum militiæ suæ scientem diuina prælia & virtutum castra ductare. Idem in Chronicis suis in Claudij Cæsaris annum secundum, scribit his verbis: Petrus natione Galilæus, Christianorum pontifex primus, cùm primùm Antiochenam fundasset Ecclesiam, Romā proficiscitur, vbi Euāgelium prædicans, vigintiquinque annis eiusdem vrbis perseuerat Episcopus. Audis igitur Smideline, Christianorum omnium, non Iudæorum, pontificem primum Petrum, qui Romanæ vrbis, orbis

In authent. vt Eccles. Rom. 100. annor. p̄scr. gaudeat.

Ecclesi. hist. lib. 2.

& gẽtium dominæ, annis vigintiquinq; Episcopatum tenuit. Cuius curæ vt vniuersa Christi Ecclesia commissa est, ità quomodò sese huius curæ amplitudo per vniuersum orbẽ diffuderit, nolo meis, sed Hugonis Etheriani verbis clariùs intelligas, qui Emanuelis Cõstãtinopolitani Imperatoris temporibus suos Græcos à schismate ad matris gremium reducere satagẽs, de Petro & eius successoribus Romanis Pontificibus scribit in hæc verba: Ex ipsa, inquit, rei euidentia liquidò appàret, ꝙ Petrum eiusq; successorem Christus principem & caput non modò Latinorum, Græcorum, Occidentis & Septentrionis vniuersi: verùm Armeniorum, Arabũ, Iudæorum, Madianitarum, Amalechitarum, & totius Oriẽtis & Meridiani climatis in perpetuum constituit. Ob quam rem occidui solis limites vniuersi, Petri successorem vsq; nunc sibi Dominum recognoscunt, & sub illo præsule diriguntur. Quod omnem ab vtero & gremio matris errantem facere opportunum est. Petrus enim magnus Christi Apostolus in omnibus ferè ciuitatibus Syrię, Cappadociæ, Phrygiæ, Macedoniæ, Elladis, Epiri, Siciliæ, Italiæ, Galliæ, Hispaniæ ac extremitatum episcopos ordinauit. Etenim Iacobus eius fauore Hierosolymorum thronum tenuit: deindè Euodium Antiochiæ ordinauit, Tarsi Vrbanum, Epaphroditum Lyciæ, ‡Figellum Ephesi, Smyrnę Apellem, Philippis Olympam, Thessalonicæ Iasonem, Silam Corinthi, Patrîs Erodiona, Taurومenij Magnum, Alexandriæ Marcum &c. Hactenùs Etherianus ille.

Cuius pium studium vtinàm æmulari potiùs conarẽtur, qui Euãgelium iactitant, quàm addere ignem incendio, & labefactatã vnà cum Ecclesiasticæ hierarchię vigore religionem Christianam funditùs euertere, prudentes facti illorum miserando deplorandoq; exemplo, quos iamdudùm dedit Dominus in direptionem nationum barbararum, & in conculcationem omnium bestiarum agri, & abiecit à facie sua, eô quòd deseruerunt Ecclesiastici ędificij fundamentum quòd separati sunt à Cathedra Petri, sicut quõdàm Israel à domo Dauid.

Cap. 22.

An

An Petrus à Paulo verè fuerit repræhensus? & si verè repræhensus, non ob hoc imminui authoritatem Petri.

PErgit Smidelinus: Vt taceam, inquit, D. Petrum ab Apostolis repræhensum, quod non rectè ambularet ad veritatem Euangelij, quæ quomodò cum Petri consulatu & Primatu conueniant, Grammaticus viderit: superiorē enim repræhendi & coerceri ab inferiore, etiàm ipsi ἄτοπον videbitur. Smid.

De hac reprēhēsione, Clementis est sententia, referēte Eusebio, nō fuisse hunc Petrum Apostolum, sed vnū ex 70. discipulis, Petri cognomine. Cæterùm vt refert Claudius Guilliaudus, hæc præpostera Petri defensio refellitur ab Hieronymo. Dicit igitur Hieronymus, & cum illo Chrysostomus & Theophylactus, hanc Pauli repræhensionem non seriam, sed simulatam, fuisse. Contrarium defendit Augustinus. Hieronymo patrocinatur ipse Paulus, qui similia identidèm fecisse legitur Act. 16. circuncidit Timotheum propter Iudæos. Act. 18. totondit sibi caput in Cenchreis, & habebat votum. Et cap. 21. cum viris quatuor habentibus votum super se, intrauit templum, & sanctificauit se cum illis, & oblatio facta est pro eo. Item suo ipsius testimonio 1. Cor. 12. Fact⁹ sum Iudęis tanq̃ Iudæus. Dicimus igitur Paulum hæc dixisse nō condemnandi Petri gratia, sed ob futurum mox profectum in Iudæis, noua pugnādi arte, noua simulatione vsum. Videntes enim Iudæi Petrū repręhendi, & in disputatione de legalium obseruatiōe superari, statìm agnouerunt, suam quoq; pertinaciam, qua legalium obseruationē vrgebant, redargui. Atq; hoc est, quod ait Oecumenius, palàm & non priuatìm Paulum restitisse Petro, vt vidētes qui ex Iudæis crediderant, ipsum præceptorem suum Petrum palàm argui, quòd nō cum præputiatis conuersaretur, nec contradicentem agnoscerent, quòd non esset deincèps necessaria legis obseruatio post fidem. Quia verò hoc dispensatoriè agebatur, manifestè venit Paulus ad hos sermones cum Petro, vt audientes fideles qui ex circuncisiōe erant, mutarent legis obseruatiōem. Quòd si vera fuisset ira, oportuisset priuatim ipsos apud se mutuò disserere. Hæc Oecumenius. Bred. Lib. 1. Eccl. hist. ca. 14

Atq; ità videmus non tam Petrum, quàm superstitiosos Iudæos

obliquè repræhendi. Disertè examinat Græcum textum & phrases Hebræas D. Adamus Sasbout, ad quē lectorē remittimus. Verùm si demus seriam fuisse repræhensionem, an continuò suā actionem probauerit Smidelin⁹? an quicquam derogauerit Petro? Nō enim absurdum est, non est ἄτοπον, vt ait, superiorem ab inferiore repræhendi, quandoquidem & summi Ecclesiæ præpositi delinquere possunt, cùm & ipsi cum vniuersa Adami posteritate obnoxij sint peccatis, & hęc eorum peccata fraterna correptione redargui possunt etiàm ab illis, qui sunt inferiores, non autem temerè & conuiciosè à quibusuis. Sic D. Bernardus Eugenium Pontificē nō minùs liberè repręhendit, quàm fraternè & amantèr admonet. Idē ad Archiepiscopum Coloniēsem magna vtitur dicendi παρρησίᾳ. Sed reuocemus ad incudem & quodammodò ruminemus aliquāto exactiùs hoc Smidelini argumentum. Contendit Smidelinus Petrum à Paulo repræhēsum. Quid Petrus? Obticuit, siluit, obtemperauit, æquissimo animo sustinuit. Iam tu Smideline considera, quàm opportunum, quàm vrgens telum, tu imprudēs, dum aërem verberans, in incertum quodammodò pugnas, in tuum Luterum, atq; adeò in teipsum, Luteri defensorem, iaculatus sis. Ille doctrinam suam non solùm ab hominibus, verùmetiàm ab angelis, immò à Deo ipso iniudicatam habere voluit. Petrus apostolorum vertex, cui commiserat Dominus pascendas oues suas, cui dederat claues regni cælorum, cui dixerat, Tu aliquandò cōuersus, confirma fratres tuos: hic, inquam, Petrus, tam patientèr, tam benignè, tam verè Christianè corripientem sustinet fratrem. Nónne potuisset dicere cum Lutero? Non curo: verbū Dei mecum facit: Dominus ipse tanto tempore mecum conuersatus est, docuit, instruxit, paracletū suum visibili forma mihi infudit. Quid tu me instruis? quid tu me corripis, qui Dominum in carne nunquàm vidisti? Hanc tam admirabilem Petri modestiam olìm obseruauit & nobis imitandam proposuit D. Cyprianus in epist. ad Quintinum de hæreticis: Nec Petrus, inquit, quem Dominus primum elegit, & super quē ædificauit ecclesiam suam, cùm Paulus de circuncisione postmodùm disceptaret, se vindicauit, seu aliquid insolentèr aut arrogantèr assumpsit, vt diceret se Primatum tenere, & obtemperari à nouellis & po-

In libris de considerat.

Luc. 22.

& posteris sibi potiùs oportere. Nec despexit Paulum, qꝫ Ecclesiæ priùs persecutor fuisset &c. Idem obseruauit Augustinus lib. 2. cõtra Donatist. cap. 1.

Si igitur Petrus in hac sua lenitate & mansuetudine spiritũ habuit Apostolicum & Euangelicum, necessariò sequitur, Luterum & te Smideline, in quo Luterus adhuc magna ex parte viuit, longè diuersum habere spiritum. Illud quoq; hîc non incõmodè animaduerti potest, ex ijs quæ suprà diximus, patére, quanta prudentia, quanto moderamine, quanto & quàm solicito scandali & offensionis metu aggressi sint Apostoli prædicationẽ doctrinæ Euãgelicæ, quomodò præbuerint lac infirmis, solidum cibum adultis, quomodò nonnunquàm iudaizauerint, quomodò instàr Chamæleontis in omnia sese verterint, & veluti Protea quendam Euangelicum agentes, facti sint omnia omnibus, vt vndiq; aliquid lucrifacerent Christo. Quàm dissimili ratione, quàm inuerso cõsilio suum Euangelium exorsus est Luterus, quo impetu, quanto cum furore, statìm omnia sustulit, conuulsit & cõfudit? quo fremitu, quibus verborum cõuiciorumq; tonitruis palàm & vbiq; debacchatus est in ꝓpositos Ecclesię? Apostoli visibili forma acceperunt Spiritumsanctum. Luterus in forma visibili disputauit cum diabolo. Paulus optat oẽs esse sibi similes nõ cõiugatos: Luterus docet impossibilem continentiam, omnes vult esse coniugatos. Sed vt ad propositum redeamus, vides Smideline, quomodò nusquàm non impingas, quomodò tuis ipsius telis, nos non modò nõ lædas, sed præter opinionem tuam excęcantem oculos tuos hæretica cõtendendi libidine, teipsum conficias. Ad locum Lucę 22. de contentione discipulorum de primatu, suprà tibi responsum est, vbì eandem nobis cramben coxisti.

Cap. 23.

An Petri eminentiam minuat, quòd scribit Lucas eum à reliquis Apostolis missum esse in Samariam.

SEquitur nunc: Petrum à reliquis Apostolis cùm testetur Lucas missum esse in Samariam, quàm nihil sibi arrogauerit sup- Smid.

reliquos Apostolos, quibus sese subiecit, manifestè appáret: siquidem inferioris non est mittere superiorem, nisì fortè protestatiõe priùs facta de suo Primatu, Petrus collegarũ siue Senatûs sui precibus obtemperauit. Hæc missio adeò non derogat authoritati Petri, vt eandem etiàm apertissimè comprobet. Nam licèt prædicante Philippo recepisset Samaria verbum Dei, & per eundem multa ibidèm signa ederentur, nondùm tamen spiritum sanctum acceperant. Quod cùm audîssent Apostoli, qui erant Hierosolymis, miserunt ad eos Petrum & Ioannem, vt maiori quadam authoritate confirmarentur nouitèr conuersi ad fidem. Miserunt autem velutì si decerneret senatus fore ex Republica, vt non prætor, non legatus, non proconsul, sed ipse per se consul, senatus, princeps administret difficilem periculosamq́; aliquam prouinciam, aut bellũ gerat. Quod nequaquàm fuisse insolens aut nouum, Romanæ docent historiæ. Nec tamen propterea non erat penès ipsum suprema authoritas & consularis potestas.

Si idem ex sacra historia tibi mâlis comprobari, audi quid scriptum sit Iosuæ 22. Cùm reuerterentur filij Ruben & Gad & dimidia tribus Manassæ à filijs Israel de Silo, vt intrarent Galaad terrã possessionis suæ, quam obtinuerant iuxta imperiũ Domini, in manu Mosis vltra Iordanem, cùm venissent ad tumulos Iordanis in terram Chanaan, ædificauerunt iuxta Iordanem altare magnitudinis infinitæ. Quod cùm audîssent filij Israel, & ad eos certi nuncij detulissent, cõuenerunt omnes in Silo, vt ascenderent & dimicarent contra eos, & interìm miserunt ad illos in terram Galaad Phinees sacerdotem magnum in lege, filium Eleazari, filij Aaron maximum & dignissimum in populo, & cum eo decem principes de singulis tribubus. Nunquìd propterea desijt Phinees esse (quod de eo scribitur) dux eorum coram Domino? aut nunquìd illi decem principes tribuum, propter hoc principes non fuerunt, quòd à tribubus missi sunt?

Nihil igitur hæc Petri missio authoritatem eius imminuit, nec imminuere debet, si fortè submissiùs & modestiùs sese gessit, memor mandati Dominici: Qui maior est in vobis, fiat sicut minor: (Luc. 22.) cùm nihilominùs eminentiæ & potestatis suæ memor fuerit, quotiès

tiès Ecclesiæ vtilitas,aut aliorum ædificatio requirebat. Testantur hoc satis Ananias cũ vxore Saphira,in quos exiguæ pecuniæ fraudem,in aliorum exemplum,horribili mortis sententia vltus est.

Audi quid D.Augustinus dicat in illud Iohannis, Qui non honorificat filium,non honorificat patrẽ: Eccè, (inquit aliquis) missus est filius,& maior est Pater,quia misit. Recede à carne. Vetus homo suggerit vetustati,tu in nouo agnosce nouitatem: nouus tibi,seculo antiquus,perpetuus,æternus, reuocet ab hoc intellectu. Minor est Filius,quia missus dictus est filius. Missionem audio,nõ separationem.Sed hìc,inquit,videmus in rebus humanis,quia Maior est qui mittit,quanquàm & ipsæ res humanæ dicant contra te testimonium,velut verbi gratia,si quis vxorem vellet petere, (inquit D.Augustinus)& per se non posset,amicum maiorem mittit, qui ei petat.Et sunt multa,in quibus ipse maior eligitur,qui mittatur à minore.Quid ergò calumniam vis facere,quia ille misit, ille missus est?Sol radium mittit,& non separat: luna splendorem mittit, & non separat:lucerna lumen fundit,& non separat. Video ibì missionem,& nullam video separationem.Nam si de rebus humanis quæris exempla,ô hæretica vanitas,quanquàm sicut paulò antè dixi,& ipsæ res humanæ in quibusdam exemplis coarguũt & vincunt te,tamen attende quàm sit aliud in rebus humanis, vndè vis exempla ducere ad res diuinas &c. Hæc ibì D.Augustinus, Arriũ cum Smidelino eodem telo confodiens. Tract.21.in Iohannem.

Iam & tempora nobis distinguenda sunt, vt scripturas concordemus.Nam tam erat in illo nascentis Ecclesiæ principio tempus moderandi ordinandiq; Ecclesiam illa hierarchia, quam disposuerat sacer spiritus, & cuius caput Petrum iamdudùm constituerat Christus,quàm congregandi Ecclesiam illa hierarchia ordinandã, & in quam Petri authoritati,eiusq; exercitio locus fieret.Quarè & omnes tunc manibus pedibusq; quod dicitur, in hoc annixi sunt, vndecunq; potuerunt,dispersas palantesq; oues cõgregare in ouile Christi,Petro commissum.In quas iam congregatas & introductas locus erat exercitio authoritatis Petri. Et statìm post tempora Petri euidentiùs eluxit illa Ecclesiæ hierarchia sub Clemente & Anacleto,vt suprà ex eorum scriptis declarauimus.

Cap. 24.

An ideò biceps monſtrũ obtrudatur Eccleſiæ, vt vult Smidelinus, ſi dicamus poſt primarium caput Chriſtum, etiàm ſecundarium caput datum eſſe Eccleſiæ Petrum Apoſtolum.

PRogreditur Smidelinus: Ac niſi pro Eccleſia Chriſti biceps monſtrum nobis obtrudat, Chriſto qui Eccleſiæ caput eſt, nullum poteſt conſtituere ſummum vicariũ, cùm ipſe ſuæ eccleſiæ adſit vſq; ad conſummationem ſeculi: vicaria autem opera omnium Eccleſiæ miniſtrorum vtitur, qui paſsìm in toto orbe diſperſi, per ſpiritum Chriſti coniuncti, idem ſentiunt & docent.

Non imus inficiàs, Chriſtum eſſe eccleſiæ ccput, vndè vitalis ille influxus ſpiritusq; deriuatur in membra reliqua. Nec tamen idcircò bina capita & biceps monſtrum, vt tu vis, aut, vt Flaccus ait, belluam multorum capitum, obtrudimus, cùm alia ratione Chriſtus, alia Petrus ſit caput Eccleſiæ. Erat Chriſto redeundum ad patrem poſt peracta ſalutis & redemptionis noſtræ myſteria. At eius Eccleſia, quæ ex omnibus populis, nationibus, linguis, Apoſtolorum ſuorum congreganda erat miniſterio, requirebat neceſſariò ſecũ manens in terris caput ὁμογένεον, quod gubernaret atq; in vnum cótineret molem compaginemq́; tam vaſti illius, immenſiq́; corporis, ſinè quo nulla prorsùs futura erat Eccleſia. Atq; hæc fuit ratio, ſecundùm veterum Patrum ſententiam, cur Petrum potiùs quàm ſeipſum Chriſtus eccleſiæ ſuæ fundamentum pronunciauerit. Porrò nè quid nouum hac in re aut ab hominibus confictum te audire exiſtimes, ſed potiùs hanc Eccleſiæ hierarchiam euidentibus typis & figuris olìm præfiguratam cognoſcas, vmbram illã veteris ſynagogę paulìſpèr nobiſcũ cótemplare, in qua noſtræ Eccleſiæ haud obſcuram aut cófuſam, ſed expreſſam diſtinctamq́; eſt videre imaginem, adeò vt conferenti vmbram vniuerſam ad ſuum corpus, parteſq́; partibus adhibenti, haud ſit difficile & inuenire & cernere, quam noſtræ Eccleſiæ partem, quælibet vmbrę illius portio adumbret, figuret, & exprimat. Nam ſi Pharaonem illum, ſi captiuum Iudęorum populum, ſi duriſſimam illam ſeruitutem Aegyptiacã, ſi exitum

exitũ ab Aegypto, si agnũ & phase, si mare rubrũ, si iter per desertũ annorum 40. laboriosissimum sanè & tot calamitatibus, tot tentationibus, tot afflictiõibus, tot pugnis plenum, si deniq; ipsam promissionis terram considerauerimus, requiramusq; eorum singulorum solidam veritatem in corpore ecclesiæ nostræ Catholicæ, & in ijs quæ ad hoc corpus pertinent, videbimus huius corporis partes iam olìm per vmbræ illius lineaméta, velutì penicillo quodam expressissimè distinctissimeq; depictas ac delineatas. Quarè & Moses illius populi nomothetes, & Aaron summus sacerdos, à quo in synagoga illa sacerdotium cœpit, quod solidæ veritatis in Ecclesia nostra adumbrauerint & expresserint, nunc considerandum venit. An'ne & in Ecclesia Catholica inuenire est Mosen & Aaronem? Vtiq;. Noster Moses, noster legislator, Christus est: noster Aaron, Petrus est. figurauit quidem Aaron etiàm Christũ, quẽadmodũ & Petrus in cura pastorali suppleuit vices Christi: & vterq; tam Moses, quàm Aaron, erãt sacerdotes, iuxta illud psalmistę: Moses & Aaron in sacerdotibus eius: non tamẽ sub Aarone Moses, sed potiùs contrà, cùm tam Aaronem sacerdotem summũ & filios eius inferioris ordinis sacerdotes, ipse Moses cõsecrauerit, suæ interìm ipsius ordinationis nullum alium, quàm Deum authorem habẽs. In omnibus quoq; ad Deum pertinẽtibus negocijs ipse prior erat, Deoq; proximior, ac velut inter Aaronem & Deum mediator quidam & internuncius. Sed & passìm scripturæ Mosen Aaroni pręferunt, quemadmodùm & alio loco apud eundem Prophetam: Deduxisti, inquit, populum tuum in manu Mosis & Aaron. Summus ergò vterq; sacerdos, & Moses & Aaron, quanuìs sub Mose Aaron. Attamen non à Mose, sed ab Aarone deducitur illius sacerdotij principium, indeq; porrigebatur continua serie, nec sacerdotij Mosis, sed Aaronis successores sequentes ex ordine facti sunt. Noster igitur Pontifex Christus est. Habentes enim, inquit Apostolus, põtificem magnum, qui penetrauit cælos, Iesum filium Dei, teneamus spei nostræ confessionem. Non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris. Sed & nobis pontifex Petrus & pontifex summus, quemadmodùm suprà declaratũ est, à quo sacerdotalem ordinẽ Christus in sua Ecclesia instituit & in-

Quàm aptè cõueniant figura & veritas.

Psal. 98.

Psal. 76.

Heb. 4.

inchoauit. Non tamen ſub eo, ſed ſupra eum Chriſtus, qui non ſemetipſum clarificauit vt pontifex fieret: ſed ille, qui per Prophetã dixit, Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinẽ Melchiſedech. Hic itaq; à ſolo Deo patre pontificatum & ſacerdotij honorem adeptus, Petro ſacerdotij ſui vicarium honorem cõtulit, quem in Eccleſia gererent, tam ipſe, quàm qui ei legitima ordinatione ſuccederent. Quem non à ſe, ſed à Petro potiùs, atq; ab illo eius originẽ deriuari voluit. Non enim dixit, Super me ædificabo eccleſiam meam: ſed, Tu es Cephas, tu ſaxũ aut rupes, ſuper quam ędificabo eccleſiam meam, vt diſertè annotauit Cyrillus. Vides ergò in noſtra Eccleſia Moſen, vides Aaronem, vtrunq; ſacerdotem, vtrunq; ſummum: ſed ille noſter legiſlator, qui à Deo patre ſuo clarificatus, vt eſſet pontifex & ſacerdos in ęternum, hunc pro ſe vicarium nobis conſtituit, cum nomine ſuo etiàm poteſtatis principem faciẽs, ipſe reuerſus ad patrem, vt eſſet nobis apud eum & aduocatus & mediator. Itaq; iam, opinor, intelligis, in noua lege à Petro initium feciſſe Chriſtum ſacerdotalis dignitatis, quemadmodùm in veteri, ab Aarone Moſes, quanuìs & in illa ſupra Aaronẽ etiàm ſacerdos Moſes, & in hac noſtra quoq; ſupra Petrum ſacerdos pontifexq́; Chriſtus. Quod tamen nec illam veterem ſynagogam, nec noſtram eccleſiam monſtroſam aut dicephalem facit, ſed ſub Chriſto caput Petrus, immò Chriſti apud patrem exiſtentis vices inter nos gerit Petrus. An ideò nefas eſt Petrum nominare caput huius eccleſiæ, quę adhuc militat in his terris, quòd Chriſtus ſit totius eccleſię tã triumphantis quàm militantis caput ſupremum? Verùm huiuſcemodi tropi ſacris literis ſunt familiariſſimi. Nónne enim Chriſtus eſt ille mons, quem Daniel propheta vidit ex vna petra ſinè manibus de monte abſciſſa, excreſcere in mõtem tantũ, vt operiret vniuerſam terram? Et tamen Apoſtoli & horum ſucceſſores dicuntur montes Eccleſiæ à Dauide Propheta, cùm ait: Fundamenta eius in montibus ſanctis. Et cùm Paulus dixerit, Fundamentũ aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitũ eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus: nihilominùs tamen Apoſtoli dicuntur in eo Pſalmo & in Apocalypſi, fundamenta. Sic Chriſtus eſt illa lux vera, quæ illuminat oẽm hominem venientem in hunc mundum, & Deus pater, eſt ille lumi-

Heb. 7. Pſal. 109. Matt. 28. Dan. 2. Pſal. 86. 1. Cor. 3. Apoc. 21. Iohan. 8. Iohan. 1.

minum pater nihilominùs ad Apoſtolos dicit: Vos eſtis lux mun- Matt.5. Matt.28.
di. Quòd verò ais, cùm ipſe ſuæ Eccleſiæ adſit ad conſummationẽ vſq; ſeculi, miror qua ratione tibi conſtes, cùm paſsìm & vbiq; declamites, Eccleſiam hucvſq; horrendis tenebris immerſam fuiſſe, à temporibus tenebroſis (vt inquit Caluinus) Gregorij Magni. Si reſponderis, ſempèr fuiſſe in Eccleſia quoſdam, qui veram doctrinam ſectati ſint, cum quibus fuerit Chriſtus: probes nobis, qui demùm illi fuerint, qui ante Luterum, veſtram doctrinã profeſſi ſint, nisì fortè per longa temporum interualla nunc Iouinianum, nunc Vigilantium, nunc Berengarium, nunc Iohannem Huſſum profe-ras. Sed Brentius tuus cliens, in epiſtola contra Staniſlaum Hoſiũ apertè refert, Luterum Euangelij doctrinam primùm reproduxiſſe, ſecutus videlicet illorum magiſterium, de quibus ait Auguſtin⁹: Aug. lib. 1. cõtra epiſt. Parmeniani
Ipſum teſtamentum vos à flamma conſeruâſſe gloriamini.

Cap. 25.

An quia Christus vicaria opera omnium ſacerdotum vtitur, ideò nullus inter eos eminere debeat. Item epiſcopi à ſacerdote differentia, veterum quoq; ſacerdotum in veteri lege distinctio.

ATq; hoc quidem ad priorem emblematis tui partem reſponſum volumus, Smideline: nunc ad poſteriorem progrediamur, quæ habet: Vicaria autem opera om̃ium Eccleſiæ miniſtrorum vtitur Chriſtus, qui paſsìm in toto orbe diſperſi, per ſpiritum Chriſti coniuncti, idem ſentiunt & docent. Smid.

Hìc nonnihìl incipis tibi eſſe diſſimilis, cùm tandèm veritatem aliquo modo profitearis. Dicis Chriſtum vicaria vti opera om̃ium Eccleſiæ miniſtrorum, qui paſsìm diſperſi, per ſpiritum Chriſti cõiuncti, idem ſentiunt ac docent. Bred.

Hactenùs plurima contra teipſum produxiſti argumenta & ꝓbationes: nunc poſteaquàm ipſe teſtis reum te tot modis peregiſti, iudicis quoq; partes ſuſcipis, & prolata ſententia te tuoſq; gregales condemnas, ſcilicet vt verum in te fiat, Ex ore tuo condemna- Matt. 12.

Tit. 3.

beris,& illud Apostoli: Hæreticum hominem deuita &c.cum suo iudicio sit condemnatus. Vos enim quia nec idem sentitis,nec idẽ docetis,nec idem scribitis,vt ipse alicubì profiteris, & res ipsa clamitat,per spiritum Christi coniuncti non estis.Atq; ideò Christus vestra vicaria opera non vtitur,quia cùm ipse sit charitas,nullũ habet commercium cum dissidio.Vtitur autem Christus vicaria opa omnium Ecclesiæ ministrorum, in ministerio reconciliatiõis peragendo,in precibus & sacrificijs offerendis,in legatione perferenda:quòd autem inter hos ipsos vicarios suos, nullũ eminentiæ aut hierarchiæ ordinẽ constituerit,aut gradus distinxerit,id verò cum omnibus Ecclesiæ patribus ac doctoribus pernegamus. Confundit quidem Paulus apostolus nonnunquàm appellationem episcopi & presbyteri:sed ex eo velle contendere, nullum esse discrimẽ inter episcopum & presbyterum, id demùm hæresim ante multa secula damnatam resipit. Aëtius enim quidam, ambiens episcopatum,neq; valens obtinere,docuit nullum esse discrimen inter episcopum & presbyterum.Quem errorem deindè sopitum, resuscitârunt Vualdenses,quos imitati sunt Martinus Paduanus, Hieronymus de Praga,& Iohannes de Vuesalia,vt refert Ioannes Bõderius.Errorem autem hunc facilè refellit D.Anacletus pontifex & martyr,tertius D.Petri successor, in epistola de ordinatione Episcoporum,archiepiscoporum & presbyterorum. A B.Petro Apostolo,inquit,& reliquis Apostolis,ac à B.Clemente nostro prædecessore & martyre accepimus,quòd episcopi Apostolorum Domini,presbyteri quoq; septuaginta discipulorum locũ teneant.Episcopi autem non in Castellis aut modicis ciuitatibus debent constitui,sed presbyteri p castella & modicas ciuitates atq; villas, debent ab episcopis ordinari & poni,singuli tamen per singulos suos titulos,nè vilescat nomen episcopi &c.

Episcopus an à presbytero differat.

In cõpend. concertat. tit.11.

Pergit ibidèm quoq; recensere, quo pacto episcopus non nisì à tribus episcopis sit ordinandus. Reliqui verò sacerdotes ab episcopo suo proprio.Iam quòd si rursùs vmbram illam, hoc est, veteris synagogę formam cõsideremus,mirabilem quoq; hac in parte vmbræ & veritatis paritatem & consensum animaduertemus. Euidẽs erat sacerdotum in veteri lege distinctio. Siquidem Aaron summus

mus erat ſacerdos,filij autem eius, ſacerdotes minores & inferiores:ipſorumq́; officium, dignitas & habitus, magno interuallo à ſummi pontificis munere,eminentia & ornatu diſtabat. Alijs vtebatur veſtibus ſummus ſacerdos,& ſolus ipſe intrabat ſancta ſanctorum,ipſius erat celebrare expiationis feſtum &c.quæ alijs ſacerdotibus peragere non concedebatur. Elegantèr hanc diuerſitatē Moſaicorum ſacerdotum beatiſſimus Leo in Euangelicis quoquè & Chriſtianis ſacerdotibus obſeruauit ac deſcripſit: In diuinis literis,inquit,præcipiente Domino,ſolus Moſes in tabernaculo erexit altare,ſolꝰ ipſe vnxit,qui vtiq; ſummꝰ Dei ſacerdos erat.Ideoq́; id,quod tantùm facere principibus ſacerdotum iuſſum eſt, quorū typum Moſes & Aaron tenuerunt,omninò decretum eſt,vt coepiſcopi vel presbyteri,qui filiorum Aaron figuram geſtant, accipere non præſumant.Hactenùs Leo.

Quin & maior ſolennitas iam indè ab Apoſtolorum temporibꝰ obſeruata eſt in ordinandis Epiſcopis & pōtificibus,quàm in presbyteris:ſuntq́; propria illorum præ ſacerdotibus munia. Ad hos enim pertinet ordinare & conſtituere cæteros in ſuis gradibus ordinis eccleſiaſtici:Confirmationis quoquè ſacramento baptizatis abundātiorem ſpiritûs gratiam tribuere,prætereà dedicare & conſecrare templa,altaria & vaſa,& quæcunque diuino mancipata cultui:Ad hæc ſacræ vnctionis chariſma,cuius in illis om̄ibus vſus eſt, conficere & conſecrare: Inſupèr & oleum ſanctificare & benedicere in varios vſus eccleſiæ.Hæc magno totius per orbem conſenſu Eccleſiæ,Pontificalis tantùm apicis munia ſunt,nec aut requirūtur,aut adminiſtrantur ab inferioris gradûs ſacerdotibus. Neque hoc epiſcoporum faſtu & vſurpatiōe potiùs quàm iure factum eſt, vt impudētèr criminatur Smidelinus,cùm hæc hierarchica diſtinctio ab Apoſtolorum temporibus ad præſentem vſq; diem, in Eccleſia Catholica ſit obſeruata, eiusq́; vmbrā habuit olìm Synagoga Iudaica.Poſſet hoc infinitis teſtimonijs probari:ſed vt breuitati ſtudeamus,remittimus Lectorem ad epiſtolas D.Anacleti, ad Dionyſium Areopagitam, ad Iuſtinianum Imperatorem in authent. de ſanctiſſimis epiſcopis &c.

Cap. 26.

Rursùs ineptiæ quædam Smidelini refutātur cōtra Primatum Petri.

Smid. PErgit Smidelinus: Quàm verò D. Petrum Apostolus etiàm in ordinem redigat, & omnibus ex æquo omne dominium in ecclesia adimat, ministerium attribuens illis erga Dominam Ecclesiam, 1. Cor. 3. docet: Omnia, inquit, vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura: omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei. Et Petrus 1. capite 5. Non dominantes, sed forma facti gregis.

Bred. Si quis nesciret, quid apud veteres fuerit τὸ σοφιστεύεσθαι, aut etiā verè ineptire, Smidelino docente non difficultèr cognosceret. Sed quid si suis ipsius verbis hominem refutemus? Stanislaus Hosius Brentium, adducentem hunc eundem Pauli locum ad fabulam suam constabiliendam, in qua episcopos seruis comparat, eosq; seruos esse ex hoc Pauli loco docere studet, dum de hoc probationis gradu deijcit, audiamus quæso, quibus verbis ipsum excipiat Smidelinus: Manifesta, inquit, est scripturæ deprauatio, quòd ex loco D. Pauli colligit: Omnia sunt Corinthiorum, ergò illis omnia subiecta. Plus enim est in conclusione, quàm erat in præmissis. pag. 32.

His profectò verbis nō Hosium, sed teipsum vnà cum tuo Brētio sic argumentantem, tuopte iaculo confodis. Patere igitur nunc legem quam ipse tulisti. Rectè enim iudicâsti, plus esse in conclusione, quàm in præmissis. Si hæc te scripsisse negaueris, (quod non arbitror) & ex hoc Apostoli dicto, Petro primatū abrogare contēdas, eadem ratione & Christum in ordinem redégeris. In corpore humano varia sunt membra, nec vnum actum habentia: quod operantur manus, quod vident, quod obseruant oculi, quod audiunt aures, quod disponit ac discernit mens & ratio, vniuersum cedit in vtilitatem vel veram vel præsumptam totius corporis: nec tamē idcircò capiti & membris illis principalibus sua adimitur eminentia, qua inferioribus præpollent. Si Paulus, si Apollo, si Cephas nostri sunt, quòd industria sua nobis & toti Reipublicæ commodant:

vtiq;

vtiquè & Christum maximè & proprijssimè (vtità dicam) nostrum dicemus, qui non operam duntaxàt & auxilium suum, sed semetipsum nobis impendit: nec tamen idcircò dicendum, Christũ nulla maiestate, nulla excellẽtia Paulo, Apollini aut Cephæ præfulgere. Ambitionem dominandi nemo bonus nec in profano quidem principe probare potest: sed quemadmodùm affluẽtes diuitias nõ iubemur omninò respuere, sed cor illis non apponere: ità quantunuìs dignitate cæteris præstes, nihilo seciùs formã gregis te exhibere potes, & ambitiosum dominandi affectum exuere. Porrò nec integra satìs fide illud Petri hîc adducis, cùm ille dicat: Non vt dominantes, μηδὲ ὡσ κατακυριεύοντεσ: tu verò mutilatè profers, Non dominantes. Neq; enim dominationẽ euertit hoc loco Apostolus, cùm alibì tam seuerè increpet illos, q (vt hæreticis solẽne est) dominationem & præpositos suos contemnũt. Nouit Dominus, inquit, pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem iudicij reseruare cruciandos: magìs autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemq; contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere blasphemantes. & paulòpòst: Libertatem ipsis promittẽtes, cùm ipsi sint serui corruptionis. Eccè quàm graphicè idem D. Petrus tuam omniumq; rebellium indolem depinxit, quàm grauitèr in vos omnis alienę dominationis cõtemptores inuehitur: Alienæ, inquam, quia dum aliorum eminentiam inuidiosè criminamini, ipsimet imperium cum dominatione affectatis: & qui nupèr angusto Pastoris Goppingẽsis titulo arctabatur, nunc dilatatis phylacterijs gaudet appellari p̃positus & cancellarius Academiæ Tubingensis. Quam appellationem cùm ipsi non inuideamus, rectè fecerit, si nec ipse alijs honorem suum inuideat.

1 Pet. 5.

2. Pet. 2.

Vide, obsecro, lector, ea, q̃ habet Bredenb. in epist. de negocio religio. ad consulem N.

Quod igitur nunc sequitur apud Smidelinum, Ex his (vt opinor) liquidò constare videtur, nec à Christo diuo Petro aliquod attributum dominium aut consulatum, nec D. Petrum vsurpâsse, nec reliquos Apostolos sese illi tanquàm consuli subiecisse, sed parem potestatẽ datam omnibus, quam pro diuersitate donorũ sunt executi: posset quis optimo iure admirari impudentẽ Smidelini temeritatem, qui tam siculneis, tam friuolis & ineptis argutatiun-

Smid.

Bred.

culis illud conuellere præsumit, quod vniuersa per orbem terrarũ hucusq; credit, confitetur & obseruat Ecclesia, quod tam magnificis, tam præclaris, tam augustis & irrefutabilibus testimonijs fultum & constabilitum demonstrauimus.

Iam quod adhuc tacitè secum demurmurare pergit, Probent priùs necessè est, oues Christi pascere, idem esse, quod potestaté in omnes Ecclesias habere &c. ex supradictis facilè euanescit. Item,

Aut reliqui Apostoli non pauerunt, inquit, aut Petro hisce verbis nulla data est super collegas potestas &c. Vt demus, reliquos Apostolos verè & fidelitèr pauisse, nihil tamen vetat, quo minùs inter multos pastores vnus eminere possit, cui sinè vlla exceptione omnes in vniuersum oues commissæ sint, adeò vt etiàm ipsos Apostolos tanquàm oues sibi subiectos habuerit Petrus cùm audiret,

Luc. 22. Cõfirma fratres tuos. Vndè D. Leo sermone tertio in anniuersario suo: De toto mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuersarum gentium vocationi & omnibus Apostolis, cunctisq; Ecclesiæ patribus præponatur. Pascunt igitur & pascuntur Apostoli. Præsunt omĩbus suis, & subsunt Petro. Petrus præest omĩbus suis, & subest Christo. Hoc est quod ait idem beatissimus Leo, quanuis multi in populo Dei sunt sacerdotes, multiq; pastores, omnes tamen propriè regit

Heb. 13. Petrus, quos principalitèr regit & Christus. Vndè Apostolus Christum vocat magnum pastorem ouiũ, & Chrysostomus Petrũ Apostolorum verticem & coryphæum, vt videlicet, referente Hieronymo, capite constituto, schismatis tollatur occasio.

Smid. Transit nunc Smidelinus à D. Petro ad Romanum Pontificem. Sed vt demus, inquit, D. Petro aliquam vel potestatem vel authoritatem consularem tributam super collegas suos Apostolos: quid hæc ad Roma. Pontificis faciet conprobandam tyrannidem? Si nobis successionem proferant, sciant non immeritò in dubium vocari, an vnquàm Petrus Romam venerit. Etsi nulla consequentię ratio est, Petrus Romæ est martyrio coronat' post professioné Euãgelij, Ergò Rom. Pontifices potestatem habent super omnes totius Christiani orbis ecclesias. Quòd si verò hominum authoritaté opponat, parta nobis est in hac parte victoria.

Bred. Hæc iam nulla confutatione egent, cùm & per se sint manifestè ab-

absurda,& illustribus testimonijs suprà declarata. Quòd de hoīm authoritate commemorat, miror impudentiam Smidelini, qui & hucusq; sua paradoxa Cypriani & aliorum patrum testimonijs stabilire conatus sit,& continuò pòst ad conciliorum decreta confugit,quibus oppugnare molitur Cathedram Romani Pontificis. Si vniuersos Patres orthodoxos, quorū multi martyrio, plurimi miraculis,omnes admirabili doctrina & vitæ sanctimonia conspicui fuerunt,& ipsis etiàm tyrannis,quantunuìs potentibus,formidinē incutiente virtutum & pietatis maiestate & reuerentia, venerabiles & formidabiles:si illa lumina & columina,illos quorum generoso & inuicto sanguine,quorum strenua & intrepida confessione gloriatur,ouat & triumphat vniuersa Ecclesia Catholica,quos ipse etiàm Smidelinus fatetur sponsi amicos:si,inquam,hos Smidelini erroribus contrarios tanquàm homines,tanquàm errones, ad placitum suum modò velit reijcere,modò recipere,præsertìm in illis,in quibus velut generosæ aquilæ ad corporis Ecclesiæ doctrinā, vno volatu,paribus votis & concordibus animis cōuolant, (quod nusquàm non faciunt,tametsi in interpretationibus & ijs quæ directè fidem non concernunt, nonnunquàm dissentiant) probet se non hominem,vel(quoniā ex parte illud hactenùs fecit)probet se Deum.Illos,sanctos Dei homines fuisse,& spiritu sancto inspiratos (vt ait scriptura)locutos,tot argumentis,tot testimonijs, tot irrefutabilibus & verè apodeicticis demōstrationibus & vniuersi orbis cōsensu exploratum & certum habemus. Te verò, Smideline,nullus hominum adhuc in illorum catalogum retulit aut recepit: et si receptus esses,putásne solum te tam fore venerabilem, vt tua solius authoritas cæteris omnibus præponderare deberet? Parta igitur nunc est non tibi,sed nobis,sed vniuersis Catholicis, in hac parte victoria. 2.Pet. 1.

Porrò quod ait Smidelinus,non immeritò in dubium vocari,an vnquàm Petrus Romam venerit,nouum est,apertissimumq; mendacium.Quotquot enim hactenùs scripserunt doctores & historici,(nam seditiosos vestri ordinis rabulas inter hos nō agnoscim') omnes in eo conueniunt,ꝙ D.Petrus Romæ fuerit,& ibidèm martyrio sit coronatus.Eusebius Cæsareēsis lib.2.cap.25. existimat super- Vide Tert. lib.de pſcr. hæretic.

peruacaneum esse illud exemplis externis probare, cùm in hodiernum vsq; diem, in ipsa vrbe non exigua monumenta illud testentur. Scribit tamen Simeon Metaphrastes in vita B. Petri, non sempèr eum Romæ hæsisse, sed constitutis sibi coadiutoribus Lino & Cleto atq; Clemente, per varias Occidentis partes etiàm apud Hispanos esse vagatum, ibiq; fidem Christi prędicâsse: quo fieri potuit, vt cùm D. Paulus ad Romanos epistolam daret, & Romam veniret, Petrus Romæ non esset, sed in alijs partibus prędicaret. Atque proindè (quod aduersarij obijcere solent) nó opùs fuit vel D. Paulum in sua epistola, vel D. Lucam in Actis Apostolicis B. Petri mentionem facere, cùm & ipsam horum apostolorum passionem non commemoret, nec tamen ideò passos eos quisquam negauerit.

Cap. 27.

Declarantur canones quorundam conciliorum, qui videbantur obstare primatui episcopi Romani: eorumq; genuina sententia explicatur.

Smid. PRogreditur nunc Smidelinus ad concilia, atq; illis labefactare nititur Cathedram ecclesię Romanæ. In Constantinopolitano, inquit, Concilio cap. I. sic legimus: Episcopi quibus sua diœcesis attributa est, nè in ecclesias quę extra fines suos sunt, se inferant, néve Ecclesias confundant, sed secundùm canones, Alexandrię quidem episcopus, ea tantùm quę in Aegypto sunt, gubernet: Orientis verò episcopi solùm Orientē administrent &c.

Bred. Cur non eodem modo allegauit Smidelinus decreta Romanorum Pontificum, Calixti, Cælestini, item Concilium Antiochenum, quorum omnium eadem est cum Constantinopolitano concilio sententia? Videlicet si illorum Pontificum decreta recensuisset, potestas eorum in reliquos Episcopos patuisset. Omnes enim illi sanciunt, vt episcopi & Archiepiscopi suas diœceses exactè gubernent, & in alienam messem falces suas non immittant, & nè quis ab episcopo non suo ordines ecclesiasticos suscipiat. Nulla autem hîc mentio fit Romani Pontificis. Verùm si Smidelinus voluisset bona fide agere, nec instàr falsarij sequentes eiusdem Cócilij Cóstan-

ſtantinopo. canones doloſè & fraudulentèr diſſimulare, facilè perſpexiſſet Rom. Pontificis eminétiam. Sequitur enim ſtatìm in canone 5. Conſtantinopolitanæ ciuitatis epiſcopum habere oportet primatûs honorem poſt Romanũ epiſcopum, propterea quòd ſit noua Roma. Eccè quis nó deploret tam apertam, tam effrené huius hominis malitiam, qua & ſemetipſum ſciens prudensq́; perdit, & ſimplicium oculos tam falſis & fraudulentis præſtigijs perſtringit, & contra legitimam poteſtaté excitat? Cui vel manſuetiſſimo tam effrenis & pertinax malitia bilem nó concitaret? Quis vel ſcintillã habens zeli illius Dauidici, non ingemiſcat, non indoleat, per tales tam improbos & doloſos cuniculos, vulpes & lupos irrepere, inſilire & irruere in ouile Dominicum, deuaſtare macerié, & ſimplices ouiculas tam ſeditiosè diſpergere, tam crudelitèr mactare & perdere?

Smidelinus allegãs cócilium Conſtantinopolitanũ, eo ipſo impudentiſſimæ vanitatis & malitiæ arguitur.

Diſt. 21. can. Conſtanti.

Pſal. 79.

Iam quod Smidelinus ait, Cóſtat autem ex Chalcedonenſis cócilij cap. 12. Metropoles, quas ſic appellabant Græci, principum arbitrio ac voluntate in ſingulis prouincijs conſtitutas eſſe: nihil vel addit vel detrahit cauſæ: niſi fortaſsè hanc collectioné faciat Smidelinus, conſtitutis Metropolitanis ciuitatibus, ipſos etiàm Metropolitanos epiſcopos à Cæſaribus conſtitutos: quod vt infinitis teſtimonijs falſum & abſurdum conuincitur, ità vnus Ioan. Sturmius non inſtrenuus Luteranarum partium propugnator, errorem hunc facilè confutat, dum inquit: Capita etiàm ciuitatum Cæſares conſtituerant, quas Græcorum more metropoles vocabant, quod nomen libentèr in Eccleſijs vſurpabant, & facti ſunt metropolitani epiſcopi in his ciuitatibus, quas quaſi principes Romani Imperatores declarâſſent: hi cæteris omnibus eiuſdem prouinciæ & regionis epiſcopis præerant &c. Poſteà ſubiungit, quomodò epiſcopi à Clero & populo creati ſint, quod nos ſuprà fusè declarauimus. Porrò canon 12. Concilij Carthaginenſis 2. manifeſtè ſtatuit nullũ eſſe epiſcopum ordinandum inconſulto Metropolitano.

In epiſt. ad Iacob. Sadolet. Cardinalem.

Cap. 28.

Declaratur Canon Concilij Antiocheni.

Smid. AGgreditur iam aliud schema Smidelinus: Potissima, inquit, adulatorum Rom. Pontificum ratio est, ad stabiliendam eorum potestatem & authoritatem, quam sibi falsò arrogant, nullum fore controuersiarum & disceptationum in ecclesia finem, nisì vnus aliquis ad eas dirimendas in ecclesia præsit, à cuius sententia non liceat prouocare cuiquam. Sed eius vanitatem redarguit concilium Antiochenum cap. 16. Si pares sunt, inquit, episcoporum sententiæ, vt alij damnent, alij absoluant, metropolitanus episcopus ex propinqua prouincia quosdam episcopos de eo iudicaturos aduocet, qui ambiguitatem tollentes, cum prouinciæ episcopis, quod alteri parti visum fuerit, cõfirment. Vbì, quæso, relictus est Romanus episcopus, ad quem ex tua sententia summum iudicium referendum est?

Bred. Quid, quæso, præsidij Smideline tuę causę ex hoc argumẽto putas accedere? Scis & fateris orbem Christianũ in ꝓuincias & diœceses distributum, singulis ditionibusꝗ pręfectos esse episcopos. Quarè hoc? nónne vt singuli suarum prouinciarũ curam & respectum habeant? Vtiq;. Necessum igitur est, vt hic respectus certum modum & rationem habeat, iuxta quam omnes causæ & controuersiæ expediantur. Hanc rationem & formam varij variorũ Cõciliorum canones præscripserũt, quos si tu Smideline fidelitèr obseruare & adducere voluisses, facilè vidisses, vbì relictus esset Romanus episcopus. Ex his canonibus hunc vnum tu adducis, qui decreuit vt quoàd fieri possit, episcoporum inferiorum causæ Metropolitani aut propinquæ prouinciæ episcoporum iudicio terminẽtur. Sed quid si contingat reum, episcoporum illorum aut Metropolitani iudicio non esse contentum? an´ne ad supremum Romani episcopi tribunal prouocare poterit? Demonstrauimus hoc suprà ex D. Anacleto, ex D. Athanasio, alijsque permultis: sed nè hîc quoq; nostro desimus officio, audi canonem 7. concilij Sardiceñ, de quo in historia tripart. lib. 4. ca. 21. Placuit vt si episcopus accusatus fuerit, & iudicauerint congregati episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eum deiecerint, si appellauerit, qui deiectus est, & cõfugerit ad episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri, si iustum putauerit vt renouetur iudicium vel discussionis examẽ, scribe-

bere his episcopis dignetur, qui in finitima & propinqua prouincia sunt, vt ipsi diligentèr omninò requirant, & iuxta fidem veritatis definiant. Quòd si is qui rogat causam suam iterùm audiri, deprecatione sua mouerit episcopum Romanum, vt è latere suo presbyterum mittat: erit in potestate rpiscopi, quid velit & quid æstimet. Et si decreuerit mittendos esse, qui præsentes cum episcopis iudicent, habentes eius authoritatem, à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si verò crediderint episcopos sufficere, vt negocio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio iudicauerit. Concordat cum hoc canone Gaudentius episcopus in can. 4. eiusdem Concilij. Vides, Smideline, vbì relictus sit Romanus episcopus? Iam & in concilio Romano cui præsedit Syluester, cui subscripserunt 284. episcopi, diaconi 45, item Cõstantinus Augustus, & mater eius Helena, ità statutum legitur: Nemo iudicabit primã sedem, quoniam omnes sedes à prima sede iustitiã desiderant temperari. Neq; ab Augusto, neq; ab omni clero, neq; à regibus, neque à populo iudex iudicabitur. Quemadmodùm igitur in veteri synagoga, non perpetuò quibuslibet causis & cõtrouersijs fatigabatur supremi pontificis tribunal, sed tũ demùm, si quid difficile aut ambiguum emersisset, ità ordinis & politiæ Ecclesiasticæ ratio postulat, vt non passìm omnium altercationes ad Romanum episcopum deferantur: sed tũ demùm, si nec episcoporum, nec Metropolitani iudicio sopiri queant, prout ex Concilio Sardicensi declarauimus. Atq; hoc est, quod D. Anacletus ait: Si quæ verò aliæ causæ difficiliores inter vos ortæ fuerint, ad huius sanctæ sedis apicem eas quasi ad caput referre oportet, vt Apostolico terminentur iudicio &c. Interìm tamen non diffitemur, canonem 17. Chalcedonensis concilij cum paucis alijs definire, vt Si quis putauerit se à ꝓprio Metropolitano grauari, apud Primatem diœcesios, aut apud Constantinopolitanæ ciuitatis sedem agat negocium &c. in quo canone licèt non fiat aperta mentio Romani episcopi, non est tamen obscura eius rei ratio, videlicet vt quoàd fieri possit, ad proximum iudicem deueniatur, nec controuertentes ad transmarina quibusuis de causis peregrinari permittantur, vt colligitur ex canone 22. Concilij Mileuitani. Deniq; vt cauillosis litium protelati-

Appellatur ad Rom. Pontificem.

Can. 8.

Deut. 17.

Epist. 3.

onibus occasio succidatur, quemadmodùm docet Imperator in L. properandum, C. de iudicijs. Frustrà igitur & absurdè accinis illud epiphonema: Vbì, quæso, relictus est Romanus episcopus? cùm infiniti penè canones, tum etiàm Patrum orthodoxorum attestationes & imperatorum rescripta, passìm occurrant de primatu sedis Romanæ.

Cap. 29.

De Ioanne Constantinopolitano episcopo, vocante se patriarcham œcumenicum, & Gregorio episcopo Romano, ambitionem Ioannis reprimente. Romanosq; episcopos iam olìm agnitos & nominatos fuisse vniuersalis Ecclesiæ episcopos.

Smid. PErgit Smidelinus: Post translatam sedem Imperij Constantinopolitani, ambitione incensus eius loci episcopus Ioannes, quibus potuit rationibus conatus est sibi eam eminentiam super ecclesias asserere, quam multis annis Tyrannus Romanus exercuit. Sed quib⁹ titulis eum excepit Rom. Episcopus Gregorius, eius epistolæ testantur &c.

Bred. Si non legisti Smideline, quid iam olìm Catholici ad hoc respõderint, nimìs imperitum & stupidum te declaras: sin autem legisti, demiror obduratam animi tui malitiam, qua ad agnitam veritatem oppugnandam tam improbè exagitaris. Agè igitur proferamus ex Catholicæ veritatis assertoribus ea, quæ tu vel per oscitantiam & incuriam aut etiàm contemptum non legisti, aut lecta dolosè & malignè dissimulâsti, scilicet vt vel ad pauxillum temporis, huiusmodi præstigijs inanem & momẽtaneum simplicis & inperitæ plebis applausum eliceres.

Perpetua ferè Romani culminis æmula fuit Constantinopolitana sedes, quòd ea vrbs imperiali residentia decoraretur. Ac tametsi diù resisteret Apostolicæ sedis authoritas, tandèm tamen accedẽte & interueniente Principum fauore, secundum locum post Romanum episcopum obtinuit Constantinopolitanus, cùm priùs inter principes illas sedes, Romanam scilicet, Antiochenam, Alexandrinam & Hierosolymitanam, Constantinopolitana non numeraretur.

retur. Posteà temporibus Pelagij Pōtificis Romani & Mauritij Imperatoris, Ioannes quidam Constantinopolitanus episcopus, eò prorupit vesaniæ, vt conuocato episcoporum aliquot sibi consentientium concilio, in eo œcumenicum, hoc est, vniuersalem se pronunciaret patriarcham & episcopum. Aduersùs cuius insolentiam idem insurgens Pelagius, cōcilium illud sua & Apostolicæ sedis authoritate deduxit in irritum, & episcopis qui in eo conuenerant, stultæ illius elationi consentire atq; assentari sub anathematis interminatione interdixit: Addens, tam prædecessores illius, quàm illum ipsum etiàm Ioannem. suis literis & epistolis proprio roboratis sigillo & chirographo, Apostolicę sedis authoritatem sæpè recognouisse, & publicè confessos fuisse super vniuersam Christi ecclesiam, seipsos etiàm successoresq; suos, si aduersùs eiusdem sedis authoritatem se vnquàm efferrent, constringētes anathematis vinculo, seipsos (proprijs manibus confessiones suas suaq; scripta roborantes) constrinxerunt. Hæc ille Pelagius ad episcopos, qui ad illicitam vocationem Ioannis Constantinopolitani episcopi conuenerant. Quo paulò pòst sublato è viuis, eadem tempestas excepit D. Gregorium, qui, quòd Ioannis illius ambitioni aduersaretur, etiàm Mauritij Imperatoris grauissimas inimicitias ptulit. Cui quadam epistola respondens, non suam eam causam esse, sed DEI & totius ecclesiæ, contestatus est. Quia, inquit, piæ leges, quia venerandæ synodi, quia ipsa Domini nostri Iesu Christi mandata superbi & pompatici cuiusdam sermonis inuentione turbātur. Cunctis enim Euangelium scientibus liquet, quòd voce Dominica sancto & omium Apostolorum Petro principi Apostolo, totius ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippè dicitur: Eccè satanas petijt cribrare vos sicut triticum: & ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquandò conuersus, confirma fratres tuos. Ipsi dicitur: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meā, & portæ inferorum non præualebunt aduersùs eam. Et tibi dabo claues regni cælorum: & quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis &c. Eccè potestas ei ligandi soluendiq; tribuitur, cura ei totius ecclesiæ & principatus committitur: & tamē vniuersalis Apostolus non nominatur. Et vir sanctissimus consacerdos

Luc. 22.

Matt. 16.

meus Ioannes, vocari vniuersalis episcopus conatur? Exclamare compellor & dicere: O tempora, ô mores. Eccè cuncta in Europæ partibus barbarorum iuri sunt tradita, destructæ vrbes, euersa castra, depopulatæ prouinciæ, nullus terram cultor inhabitat, sæuiũt & dominantur qnotidiè in necem fidelium, cultores idolorum: & tamen sacerdotes, qui in pauimento & cinere flẽtes iacere debuerunt, vanitatis sibi nomina expetunt, & nouis ac prophanis vocabulis gloriantur. Hæc ille Gregorius ad Mauritium imperatorem, illius scandali authorem, aut certè patronum. Aduersùs quem cùm diuina vltio suæ vindex Ecclesiæ, Phocam tandèm excitâsset militari tumultu imperatorem creatum, idem post sublatum cum coniuge & liberis Mauritium, etiàm scandalum illud ab ecclesia sustulit, atq; imperiali edicto Constantinopolitani episcopi insolẽtiam coërcuit, vetuitq́; nè quis alius nominaretur vniuersalis Ecclesiæ patriarcha aut episcopus, quàm vnus Romanæ Ecclesiæ Pontifex: quæ vt sempèr caput fuit Ecclesiarum omnium, ità & hic Ecclesiasticæ hierarchiæ princeps sempèr est habitus. Et hîc indocti quidam & stupidi alicubì breuitèr annotatum legentes in chronicis, constitutum à Phoca, vt solus Rom. Pontifex vocaretur œcumenicus, Romanaq́; ecclesia agnosceretur caput ecclesiarum omnium, putant à Phoca primò hoc datum Rom. ecclesiæ & eius pontificibus, quod eisdem competijsse ab initio, suprà ex D. Anacleto, Cypriano, Origene, Basilio, Gregorio Nazianzeno, atq; vniuerso sanctorum patrum choro, satìs superq́; pro instituto nostro demonstratum est. Certè idem Gregorius tam in memorata ad Mauritiũ Imperatorem, quàm in alijs ad Eulogium Alexandrinum & Anastasium Antiochenum episcopos epistolis, affirmat à frequentissima illa Chalcedonensi synodo atq; adeò à Catholica (cuius sensum illi exprimebant) Ecclesia beatum Leonem Apostolicæ sedis pontificem, recognitum & appellatum fuisse patriarcham œcumenicum. Quãquàm ipse etiàm sibi conuenientem & ab vniuersa Ecclesia delatam appellationem eiusmodi, velut inuidiosam aut certè onerosam fugiens, quo ambitiosum illum & insolentem ab vsurpatione sibi non competentis honoris suo reuocaret exemplo, nõ œcumenicum se episcopum, sed seruum vocauit seruorum DEI.
Quem

Quem morem etiàm ſucceſſores eius ferè retinuerunt, tametſi ab alijs ſibi congrua appellatione & ante & poſt Gregorium ſempèr honorati ſint. Omnes enim ab initio geſſerunt curam epiſcopatumq́; totius eccleſiæ. Et ante annos mille quadringentos quotiès id res exigebat, nihil dubitauerunt ſeipſos nominare & ſcribere epiſcopos vniuerſalis apoſtolicæ eccleſiæ, toto orbe approbante: teſtes ſunt, primò Sixti primi ſub Hadriano principe ad epiſcopos totius orbis epiſtola, quæ ſic incipit: Sixtus vniuerſalis Apoſtolicæ Eccleſiæ epiſcopus, omnibus epiſcopis in Domino ſalutem. Quæ aliquantò ante annos M.CCCC. ſcripta eſt. Deindè illa Victoris, non multò pòſt ſcripta ad Alexandrinum Theophilum, in hęc verba incipiens: Victor Romanæ & vniuerſalis eccleſiæ archiepiſcopus, Theophilo epiſcopo & cunctis fratribus in Alexandria Domino famulantibus. Ità quoq; B. Pontianus martyr & pontifex, ante annos M.CCC. vniuerſis Chriſti fidelibus ſcribens, ſic orditur: Pontianus ſanctæ & vniuerſalis eccleſiæ epiſcopus, omnibus rectè Dominum colentibus &c. Beatus etiàm Stephanus (ad quem extant S. Cypriani epiſtolæ) paulò citra annos mille trecentos, in hæc verba ſcribit omnibus toto orbe epiſcopis: Stephanus ſanctæ apoſtolicæ & vniuerſalis eccleſiæ epiſcopus, om̃ibus per diuerſas prouincias conſtitutis epiſcopis in Domino ſalutẽ. Ità Marcellinus ad Solomonem epiſcopum, Marcellus ad Maxentium tyrannum, & alij ad alios, (nè fruſtrà ſim prolixior) Apoſtolicæ vniuerſalis eccleſiæ ſe ſcribunt epiſcopos. Et hi omnes ante Conſtantinum & Nicenum concilium. Iam & tempore eiuſdem concilij B. Syluester in edicto Conſtantini Imperatoris, nunc ſummus, nunc vniuerſalis nominatur Pontifex. Et à B. Athanaſio Alexandrino & vniuerſis Aegyptiorum epiſcopis, Marcus Rom. & Apoſtolicæ atq; vniuerſalis Eccleſię Papa ſcribitur. Ad Damaſum quoq; Stephanus archiepiſcopus & caput cõcilij Mauritaniæ, vnà cum vniuerſis epiſcopis trium conciliorum Aphricanæ prouincię ſcribentes, eundẽ patrem patrum & ſummum omnium præſulum pontificem conſalutant. Et vt ſemèl finiam, à DC.XXX. epiſcopis, qui ex toto orbe in Chalced. ſynodum conuenerant, B. Leo ſimili appellatione decora-

Sixtus I. Victor I. Pontianus. Stephan⁹ I. Marcellinus Marcellus I. Syluester I. Marcus Damaſus I. Leo I.

coratus est, nè fortè crederes ipsos tantùm in suis literis sibi hoc vsurpâsse Roman. Pontifices. Et hæc omnia quanto tempore ante Phocam & Bonifaciū tertium? Ità vt me planè pudeat stupendæ impudentię & ignorantię illorum, qui prędicta annotantes & proferentes contra antiquitatem authoritatis sedis Apostolicæ, sibi tamen vehementèr eruditi videntur. Quòd verò negat Gregorius quenquam etiàm prædecessorum suorum (quibus solis hoc competere videbatur) vsum fuisse illo vniuersitatis vocabulo, Ioannis illius ea in re stupiditatem taxat, qui imitari volens appellationem & titulos Rom. Pontificum, vniuersalem seipsum faciebat episcopum, quod à nullo illorum præsumptum legitur, nec à Romanis quidem episcopis ambitiosè vnquàm affectatum est, vt contra ambitiosam illam affectationem agat Gregorius, à qua si sempèr alieni fuerint Rom. episcopi, multo magìs inferiores episcopi alieni esse debebant. Vndè Gregorius vniuersalis episcopi appellationē refugit humilitatis causa, quam opportunè ambitioso homini suo exemplo imitandam proposuit.

Cap. 30.

Cypriani verba deprauatè, concilij Niceni falsè ab aduersario adducta, demonstratur.

CYpriani verba in Concilio Carthaginensi, vbì ait, Neq; enim quisquam nostrûm se episcopum episcoporū constituit, aut tyraunico terrore ad obsequendi necessitatē collegas suos adegit, &c. non eò spectant, quasi nullum in ecclesia catholica primatū agnoscat Cyprianus: hoc enim quàm euidentèr faciat, clarè superiùs à nobis demonstratum est. Porrò quod hîc ait Cyprianus: Neq; enim quisquam nostrûm episcopum se episcoporum constituit. quis non videt sanctum martyrem in concilio prouinciali constitutum, loqui de se suisq; collégis? Nam inter episcopos Africanos nemo vnquàm fuit, qui episcopum se episcoporum vel dixerit, vel constituerit, id est, maiorem aliquam definiendi hanc de rebaptizandis hæreticis quæstionem, authoritatem vindicauerit sibi præ reliquis collégis & episcopis Africanis: hoc enim est, quod ait Cyprianus: Aut tyrãnico terrore ad obsequendi

ſequendi neceſſitatem collégas ſuos adegit. Porrò quòd ibidèm ſubiungit Cyprianus, Sed vniuerſi expectemus iudicium Domini noſtri Ieſu Chriſti &c. Vbì ſtatìm exclamat Smidelinus: Ex hoc loco Cypriani, ſi libet, poteſt etiàm Grammaticus ſumere reſponſum ad ea quibus D. Brentium irridet, qui iudicium Chriſti expectandũ docet, cùm neutra pars litigãtium de ſua opiniõe quicquã vult cõcedere. O argutũ diſputatorẽ. Quid ais inuidiosè grammatices flagellator? Tu'ne ſolus ex Grammaticis in Theologum euectus es? Videamus igitur, quantum hîc ſe Theologum præſtet homo ſupra miraculum φίλαυτοσ. Ea'ne mẽs Cypriani, vt nullũ niſì Chriſtum in religionis controuerſijs iudicẽ agnoſcat? Quid igitur eſt, quod alibì tam grauitèr pronũciat: Non aliũdè hæreſes obortas, quàm quòd ſacerdoti Dei non obtemperetur, nec vnus in Eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitetur, cui ſi ſecundùm magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduersùm ſacerdotum collegiũ quicquam moueret &c? Quòd itaq; ſynodus cum Cypriano tradit, epiſcopum de epiſcopo cognitionem non habere, ſed cauſam ad iudicem Chriſtũ reijciendam: in his cauſis obtinet, quæ adhuc totius Eccleſiæ iudicio non ſunt conſtitutæ ac definitæ. In quem etiàm ſenſum D. Auguſtinus pluribus in locis hæc Cypriani verba cõmemorat & exponit. Recitatis enim Cypriani verbis, quibus ait Epiſcopum ab alio epiſcopo iudicari non debere, ſed expectandum Chriſti iudicium opinor vtiq;, inquit, in his quæſtionibus quæ nõdùm eliquatiſſima perſpectione diſcuſſæ ſunt. Et idem alibi: Quibus eius ſermonibus ſatìs appáret, illo tẽpore ab eis iſta eſſe tractata, quæ nondùm declarata, ſinè ambagine hauriebantur, ſed adhuc clauſa, magno molimine quærebantur. Hæc ille. An igitur mens Cypriani fuit, vt etiàm eccleſiæ & concilijs œcumenicis adempta authoritate, vellet in omnibus fidei controuerſijs ſolius Chriſti iudicio (tametſi eccleſiæ iudicium, ſpiritusſancti, & per hoc etiàm Chriſti, iudicium ſit) ſtãdum eſſe? Cur igitur poſtmodùm Eccleſia plenario cõcilio hanc quæſtionem diremit? Cur ibidèm ſubnectit Auguſtin⁹. Nos ergò iam de baptiſmi ſimplicitate vbiquè agnoſcenda conſuetudinem vniuerſæ eccleſiæ etiàm concilijs vniuerſalibus roboratã

[Margin notes: li. 1. epiſt. 3. — li. 2. de bapt. cap. 2. lib. 3. cap. 3. lib. 6. cap. 7. — Lib. 3. ca. 3. de baptiſ. Li. 6. cap. 7. — lib. 6. cap. 7. de Baptiſ.]

tenemus &c? Sanè si hisce Cypriani verbis omnem iudicandi facultatem episcopis ademptam putat Goppingensis, & in ecclesiasticis controuersijs solius Christi iudicium expectandum: quid restat, quàm vt heretici & apostatę episcopi liberè in ecclesiam grassentur? Cuiusmodi tamen Cyprianum exauthorâsse, aliosq; in eorum locum substituisse constat. Patres quoq; in tertia synodo generali Nestorium hæreticum episcopatu submouerunt. Accedit quòd tam episcoporum causæ iudiciales, quàm religionis controuersiæ difficiliores, perpetuò ad Romanum Pôtificem delatę legantur, quod absurdum foret, si vt ex contortis Cypriani verbis asserere conatur aduersarius, Christi iudicium foret expectandum. D. Athanasius & vniuersi Aegyptiorum, Thebaidos & Libyæ episcopi, euidentèr satìs illud probant, dum aiunt: Similitèr à supradictis Patribus Nicenis consonantèr definitum est, vt si quispiam episcoporũ aut metropolitanum aut comprouinciales vel iudices suspectos habuerit, vestram sanctam Romanam interpellet sedem, cui ab ipso Dño potestas ligandi ac soluendi speciali est priuilegio super alios concessa. Et his omnibus lõgè vetustior Anacletus: Si quæ, inquit, aliæ causæ difficiliores inter vos ortę fuerint, ad huius sanctæ sedis apicem eas, quasi ad caput referte, vt apostolico terminentur iudicio.

Vide Cypr. epist. 4. li. 1.

Euagr. li. 1. cap. 4.

Epist. 3. de patriarchis & primati.

Pergit adhuc secum demurmurare Smidelious: Testãtur, inquit, Prophetarum & Apostolorum præter Christum exẽpla, quàm non sit nisì vana hominum cogitatio, qui hominum iudicio de religione controuersias committendas putant. Cùm ἄσπονδοσ πόλεμοσ esset & apostolis & prophetis cũ summis sacerdotibus de vero Dei cultu, quis præter Deum ipsum definiuit contentionem?

Quæ mihi exempla narrat hic antagonista? Veteris testamenti? Atquì istic expressè legimus, oblato difficili iudicio, eũdum ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit eo tempore, qui iudicaturus sit iudicij veritatem. Et alibì: Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius. Extant quidẽ prophetarum, Isaię, Ieremię &c. querelæ. cæterùm hę ad reges idololatras maximè pertinent, tùm deindè ad pseudoprophetas & secerdotes illos, qui nulla legitima vocatione aut successione ad sacerdotium peruenerãt, sed ab idololatris regibus cõstituti erãt, & sacris

Deut. 17.

Mal. 2.

cris præfecti, vtì legimus in libris Regum: Fecit Ieroboam fana in excelsis, & sacerdotes de extremis populi, qui non erãt de filijs Leui. Quòd autem cum ipsis summis sacerdotibus ἄσπονδον πόλεμον & implacabile bellum habuerint Prophetæ de vero Dei cultu, illudq; dissidiũ sempèr ab ipso Deo definitum sit, affirmat quidem Smiidelinus, verùm nullo exemplo demonstrat. Nam quòd Eliam legimus concertâsse cum prophetis Baal, positisq; duobus bobus, illum fuisse agnitum verum Deum, qui exaudiuit per ignem, missaq; cælitùs flamma holocaustum consummauit, nihil ad summos sacerdotes pertinet, sed ad pseudoprophetas. In luxum, ambitionẽ & auaritiam sacerdotum si quandoq; destomachati sunt, nõ inficiamur: sed notandum est quòd alicubi refert Augustinus: Si, inquit, licuit regi Dauid, Samueli, Esaiæ, Ieremiæ, Zachariæ, cæterisq; sanctis ac prophetis inter contemptores legis Dei mandata seruare, atque in illos ipsos mandati transgressores multa digna & vera verba iaculari &c. nec tamen sibi alterum populum quasi purgatũ & liquatum separatione sacrilega constituere, quomodò nobis nõ liceat nec facta nescio quorum, quæ magìs obijcitis, quàm probatis, imitari, nec tamen ab ea, quæ in vniuerso mũdo (sicut Apostolus dicit) fructificat & crescit, sancta ecclesia separari?

2. Re. 12.

3. Reg. 18.

Lib. 3. ca. 38. cont. Cresc.

Atq; hæc tibi responsa sint de prophetis: de Christo autẽ & Apostolis nunc videamus. Quid ais? Christus & Apostoli, spreta cathedra, ad solius Dei iudicium prouocàrũt? Quid igitur Christus tam grauitèr præcepit Apostolis, vt scribas & pharisæos sedentes in cathedra Mosis, in omnibus quæ dicerent, audirent? Qua Cathedra iam per Christum abolita, soluendi ligandiq; potestatem tradidit Petro, & fratrem coram duobus vel tribus correptum nõdùm obaudientem, ecclesię sisti voluit. Deniquè cùm ἄσπονδος πόλεμος, vt tuis verbis vtar, inter Iudæos & gentes, & (vt Lucas ait) non minima seditio facta esset Antiochiæ, Iudæis nimirùm volentibus gentes, ad Christum conuersas, circuncidi, quid? an ad Christum prouocârunt? an ipsius miraculosam definitionem expectârunt? Neutiquàm. Sed Paulus & Barnabas rem ad Apostolos referunt: qui post Petri & Iacobi suffragia communi decreto statuunt, gentes conuersas nõ ligari lege Moisis: Visum est spiritui sancto & nobis,

Act. 15.

inquiunt Petrus &c. Eadem ratione iam indè ab Apostolorũ temporibus hęc praxis perpetuò in Ecclesia Catholica obseruata est, vt exorta difficili quæstione, & in fide ac religione controuersia, exemplo apostolorum, eorundem discipuli & successores conuenirent, & collatis suffragijs præmissa spiritussancti inuocatione, rem vniuersam definirét. Sic Eutyches, Nestorius, Arrius, Donatus, Pelagius, & reliqua hęreticorum colluuies, Conciliorum authoritate perpetuò repressa est, non autem miraculosa aliqua Christi cælitùs definientis sententia. Alioquì frustrà tam grauitèr videbitur ꝑcepisse Christus, vt qui Ecclesiam nõ audiêrit, habeatur pro ethnico & publicano. & alibì, Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit. Quòd si seditiosis, rebellibus, & schismaticis faciam copiam prouocandi ad iudicem Christũ, mox videbimus vniuersa seditionibus, rapinis & sceleribus inundare. Quæ vt auertantur, non sinè summa ratione duplicem gladium ecclesiæ suę tribuit supremus ille Paterfamiliâs peregrè profecturus, constituens Apostolos, Pastores & doctores, regere ecclesiam Dei: & magistratus, ad coërcendos facinorosos. Atq; vt raro quidem, attamé vehemétèr horrendo exemplo semèl demonstraret illos, qui contra legitimos præpositos suos insurgunt, eorum sententias & iudicia contemnunt, & Deum ipsum velut iudicem seditiosè appellant, (vt tu hîc facis Smideline) aperta est terra, & deglutiuit Core, Dathan & Abiron. Hoc quidem exemplum adducere potuisses Smideline, quô probares Deum sua sententia contumaces compescuisse, sed videbas è diametro tuo seditiosissimo ꝓposito aduersari. Sic Ananiam & Sapphiram volẽtes fraudare Petrum, subitanea morte percussit, vt discamus in præpositis nostris, non ipsos, sed illum qui illos rectores & iudices nobis & ecclesiæ suæ constituit, formidare. Eas nunc, & cum tuis gregalibus, Core, Dathan & Abiron à Mose & Aarone, id est, legitimis ecclesiæ præpositis, Deum iudicem appelles, quem quia non audis sacerdotem facientem, senties sacerdotem suum vindicantem. Quòd concilium Nicenũ non agnoscat Romani Pontificis primatum, quàm falsò asserat Smidelinus, clarissimè docuit D. Vuilhelmus Lindanus in sua Panoplia. Cùm prætereà Iustinianus Imperator quatuor illa concilia, Nicenũ, Cõstan-

Matt. 18.
Luc. 10.
Num. 16.
Act. 5.

ſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe, velut quatuor Euágelia recipiat & veneretur, qua fronte idem laudatiſſimus Imperator tot in locis auſus eſſet agnoſcere primatum epiſcopi Romani, (vtì alibì, eum facere declarauimus) ſi ſciuiſſet eum à concilio Niceno explosum? Vt autem omnis tollatur ambiguitas, & impudentia Smidelini detegatur, audiamus verba cõcilij Niceni: Ipſa Apoſtolica ſedes Romana, inquit, cui ſingulari priuilegio Euangelicis & Apoſtolicis atq; Canonicis conceſſum eſt inſtitutis generales conuocare Synodos, eiusq́; epiſcopum à minore non poſſe iudicari, omnibus maior & prælata eſt Eccleſijs, quæ non ſolummodò Canonum & Sãctorum Patrum decretis, ſed Domini Saluatoris voce ſingularem obtinuit principatum: Tu es, inquit, Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, &c. Hæc tametſi in viginti illis vulgatis Nicenæ ſynodi canonibus, qui hodiè extant, non inueniantur, plures tamen atq; adeò in vniuerſum ſeptuaginta illius concilij canones fuiſſe, extra controuerſiam eſt. Porrò quę ſuprà recenſui, verba eſſe concilij Niceni, indè colliqueſcit, quòd ea recitans D. Iulius Rom. Põtifex, ad eos ſcripſerit epiſcopos orientales, Antiochiæ in ſynodo congregatos, qui vnà cum ipſo, ſanctiſſimo illi Niceno concilio interfuerant. Vbì ſi hæc conſtituta non fuiſſent, quid quæſo ſanctiſſimo viro inueniatur vanius, ſtultius, inſanius? maximè cùm hæc ſcribat, ſeuerè eos repræhendens, quòd Athanaſium epiſcopum contra Nicenos Canones ſua fuerint auſi eijcere Eccleſia? Confirmat idem D. ille Athanaſius vnà cum epiſcopis per Aegyptum, Thebaides & Libyam in epiſtola ad Felicem Romanum de infeſtationibus Arrianorũ: A patribus Nicenis conſonantèr definitum eſt, vt ſi quiſpiam epiſcoporum aut Metropolitanum aut comprouinciales aut iudices ſuſpectos habuerit, veſtram ſanctam Romanam interpellet ſedem, cui ab ipſo Domino poteſtas ligandi ac ſoluendi ſpeciali eſt priuilegio ſuper alios conceſſa. Accedit prætereà, quòd Niceni concilij Patres canonum ſuorum confirmatióem à Syluestro Pontifice Roman. petiuerunt. Hoſius enim ille Corduben, vel ipſi Smidelino verè ὅσιος & ſanctus, vnà cum Macario Cõſtantinopolitano & Victore Vincentioq; presbyteris, ſynodi huius præſides, Syluestro Romano

In Via regia.

Matt. 16.

ſcripſerunt, rogantes: Quicquid, inquiunt inter alia, conſtituimus in cõcilio Niceno, precamur, veſtri oris conſortio cõfirmetur: Data 8. calend. Iulias, Paulino & Iuliano Coss. Quòd ſi quis de huius epiſtolæ fide ambigat, eam tametſi facilè confirmet phraſis & character priſcum redolens ſeculum, atteſtatur tamen idem D. Iſidorus priſcarum & Eccleſiaſticorum rerum inprimìs peritus, Synodum Nicenam regulas edidiſſe: quas, inquit, præfati Concilij Niceni Romana ſuſcipiens confirmauit Eccleſia. Pari modo concilium Conſtantinopolitanum à Damaſo, Epheſinum à Cæleſtino, Chalcedonenſe à Leone confirmata ſunt. Atq; hæc inpræſentiarùm de œconomia Catholicæ Eccleſiæ, & primatu Epiſcopi Romani, dicta ſufficiant.

ANTHYPERASPISTIS LIBER TERTIVS,

De legitimis Eccleſiaſticarum controuerſiarum iudicibus.

Cap. I.

DEO punienti peccata noſtra, an ſit reſiſtendum.



Edit nunc denuò ad ingenium Smidelinus, & multas paginas implet criminationibus & conuicijs, partìm in præpoſitos & paſtores eccleſiæ, partìm in Bredébachium: quibus ego inpræſentiarùm, neq; conuicia regeram, neq; operoſum reſponſum reddam. Videat pius Lector ea, quæ ſuprà ex Chryſoſt. in epiſtola ad Timotheum produximus, quæ abundè ſatisfecerint. Doceat ac verè demõſtret Smidelinus, Romanam & Catholicam eccleſiam impia docere, ac tunc demùm ſeriò triumphet. Quid ſi Deo placeat, per horum iniuſtitiam atq; tyrannidem punire in nobiſmetipſis ea, quæ ipſi admitti-

mittimus &c.inquit Bredenbachius? Quid verò ad hæc Smidelinus? Conuolat ad argutias suæ sophistices, in cuius fallacijs mirificè versatum se passim declarat. Consequentiæ ratio vt sit plana, inquit, in formam redigamus argumentum. Deo punienti peccata nostra, non est resistendum: Deus per sacrificulorum impuritatem & impietatem punit peccata nostra, ergò Deo in illis non est resistendum.

Dic pantalabe, vbì Bredenbachius illam Maiorē vsurpauit, quā tu hîc falsissimè affingis? An verò peccatum est à Bredenbachio, cùm dixit: quid si placeat Deo, per horum iniustitiam ac tyrannidem punire in nobismetipsis ea, quæ ipsi admittimus? Si nunquàm eiusmodi quid factitatum est, cur scriptum legimus, Qui regnare facit hypocritam hominem propter peruersitatem populi? Cur de populo Israel dicit Deus, Dedi eis regem in ira mea? Et Apostolus: Omnis, inquit, potestas à Deo est. Iniustum non est, inquit alicubì Augustinus, vt improbis accipientibus nocendi potestatem, & bonorum patiētia probetur, & malorum iniquitas puniatur. Sanè per potestatem diabolo datam, & Iob probatus est, vt iustus appareret, & Petrus tentatus est, vt non de se præsumeret, & Paulus colaphizatus, nè se extolleret, & Iudas damnatus, vt se suspenderet. Cùm igitur tam malorum quàm bonorum potestas à Deo sit, & propter peruersitatem populi nonnunquàm regnent hypocritę, & tamen tam dyscolis quàm bonis dominis parére iubeat Apostolus, cur hoc Bredenbachij dictum, ex scripturarum testimonijs probatum, tam proteruo ore exagitas, atq; vt hoc tibi quodammodò licere putemus, absurdam propositionem comminisceris? Sic sanè decet veteratorem nusquàm ab ingenio suo recedere. Et vt tuum commentum Bredenbachio impingas, dissolutum cachinnū eructans, exclamas: Ità me Deus amet, sic argumentatur furiosus Grāmaticus. Si ità te Deus amat, vt tu hîc peruersè mentiris, tuopte iureiurando scimus, quantoperè à Deo diligaris. Cur nō eodem iure ipsis diuinis scripturis hanc Maiorem affinxisti, vt & illas tua audacia furoris insimulares? Cur non furiosus tibi censetur Chrysostomus, vbì de malis præpositis propter peccata populi à Deo datis, nec tamen temerè à populo iudicandis, inquit: Et si didicisti, inquit,

Iob 34.
Ose.13.
Rom.13.
De natura boni ca.32.

quit,& examinâsti,& vidisti,(flagitia & improbitatem sacerdotis aut episcopi)iudicem sustine. Noli præripere Christi iudicis ordinem:illius est munus,ista discutere,non tuum &c. Et laudatissim⁹ imperator Constantinus: Deus,inquit, vos constituit sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoq; iudicandi, & ideò nos à vobis rectè iudicamur. Vos autem non potestis ab hominibus iudicari. Propter quòd solius Dei inter vos expectate iudicium &c. Quin & ipse Smidelinus semetipsum furoris notauerit, quum suprà dicat, Vtcunq; iniqua onera subditis imponat magistratus, populus propter conscientiam tenetur obedire, Rom.13. Neque verò (vt diximus) Bredenbachius illam maiorem propositionem habet, Deo punienti peccata nostra non est resistendum. Etsi enim hæc eo casu, quem Bredenbachius adduxit, verissima sit, non tamẽ est genericè vera. Quocircà te quidem hîc falsitatis, tuum verò Luterum furoris arguas, qui olìm publicè docuit & asseruit, Turcæ non esse resistendum, eô quòd Deo punienti peccata nostra non sit resistendum. Quæ sanè doctrina manifestam continet absurditatem, cùm & per morbos & alia incommoda Deus puniat peccata hominum:& tamen nemo sanæ mentis negauerit, quin his mederi & succurrere liceat. Quòd autem in iniustis magistratibus & hypocritis, quos Deus regnare facit propter peccata populi, locum habeat hęc propositio, iam ex parte probauimus etiàm ex ipso Smidelino, & magnificè demonstrat D. Conradus Brunus lib.1. de seditiosis cap.8. vbì docet, Omnibus potestatibus tam iustis, quàm iniustis, obedientiam exhibendam, nimirùm in his quæ Deo non aduersantur. Nam quòd tu ex Bredenbachij verbis colligis, pseudoprophetis non esse resistendum, mendacia mendacijs accumulans, miror hominem tantoperè Euangelicum, tam apertam calumniam ebuccinare. Quid enim in eo ipso libello aliud conatus est Bredenbachius, quàm vt pseudoprophetarum vestrorum fraudes detegeret, eorumq; malitiosis artibus & voce & stylo resisteret? Tertia huius loci calumnia est, quòd ea quæ Bredenbachius de morum improbitate ac tyrannide præpositorum dixit: tu ad doctrinã rapis, quasi impia docentibus non sit resistendum: quod tametsi tu nostræ parti gnauitèr impingas, ea ipsa tamen totiès iam à calumnijs ve-

Ruffi. lib.10. hist. eccles. cap.20.

Deo punienti peccata, an sit resistẽdum.

js vestris tam solidè asserta ac defensa est, vt vel cuilibet euidentissimum sit, iniquè vos gloriari quasi diuinas scripturas à flāma conseruaueritis, quod de Donatistis refert Augustinus. Sempèr enim hæreticis solenne fuit, Ecclesiæ doctrinam erroris & impietatis insimulare.

Cap. 2.

Quatenùs hæretici sacramenta, & quæ possint administrare. Item Smidelinum non esse sacerdotem ordinatum, vti ipse confitetur aduersùs Staphylum, eoq; ipsum potiùs quàm Ecclesiam fraudare populum non altera, sed vtraque specie sacramenti, atq; adeò toto sacramento. Deniq; quis sit funiculus hæreditatis Smidelini.

PErgit Pātalabus: Quòd verò blaterat, nostros nullo modo Sacramenta administrare, quòd non sint ab episcopis rasi & vncti, miror quomodò sui hunc sycophantam ferre possint. Non enim ignorat hunc esse Cypriani errorē, quem grauitèr confutauit Augustinus, Sacraméta scilicet non pēdere ex persona administrātis, sed verbo Domini: quod si ritè obseruetur, etiàm ab hæreticis baptismum conferri.

Suprà docuimus, sacerdotum proprium esse orare, sacrificia offerre, obire ministerium reconciliationis, esse dispensatores mysteriorum Dei. Hæc nemò obire potest, nisì legitimè missus sit. Quid autem tu hîc allegas quæstionem de baptismo hęreticorum, olim inter Cyprianum & reliquos Ecclesiæ proceres agitatam? Nō loquitur Bredenbachius de baptismo, quem etiàm quilibet Iudæus aut Sarracenus, obseruata verborum forma, ritè conferre potest, propter ineuitabilem sacramenti illius necessitatem: sed de sacramento corporis & sanguinis Dominici. Sic enim inquit: Ij qui non perceperunt Sacramentum huius missionis, (Ordinem vsitata loquendi consuetudine cum Ecclesia dicimus) hi neque idonei sunt ad annunciandum Euangelium populo, neq; ad consecrandum panem & calicem Domini, neq; ad reliqua, quæ propriè sacerdotum sunt peragenda. Propterea suprà dixi, id quod tales popu- Vide latiùs infrà, lib. 4. cap. 21.

lo ministrant nomine cœnæ Dominicæ, nihil minùs esse quàm eucharistiam, nihil minùs quàm corpus & sanguinem Domini. Ideoq; hos esse, qui miserum populum toto hoc Sacramento fraudăt, Ecclesię interim falsissimè impingentes, quòd eum dimidia eius parte fraudet. Hæc Bredenbachius.

Quam eius sententiam, præter alia infinita testimonia, luculentèr cõfirmat conciliũ Lateranense celebratum anno Domini 1215. cui interfuerunt patriarchæ Hierosolymitanus & Constantinopolitanus, septuaginta Archiepiscopi, quadringenti Episcopi, duodecim abbates, octingenti Priores conuentuales, Græci & Romani imperij legati Regum verò Hierusalem, Franciæ, Hispaniæ, Anglię & Cypri oratores. Docet hoc concilium, neminem sacramentum Eucharistiæ cõficere posse, nisi fuerit sacerdos ritè ordinatus. Vndè Chrysost. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute cõsecrantur & gratia. Et alibi: Sacra illa oblatio, siue illam Petrus, siue Paulus, siue cuiussuis meriti sacerdos offerat, eadem est, quã dedit Christus discipulis suis, quamque sacerdotes etiàm nunc conficiunt. Ineptissimũ igitur est, quod tu hîc adducis illud de hæreticorum baptismo apud Cyprianum & Augustinum: cõcedimus enim cũ vniuersa ecclesia Catholica eos verè baptizare, sed neutiquàm cõsecrare, nisi anteà à magistratu ecclesiastico legitimè missi & ordinati fuerint, qualem tu te non esse palàm professus es contra Staphylum. Ego, inquis, illi (Staphylo) vt laicus respõdebo. Ego enim à nullo sacerdote, neq; sale conspersus, neq; liquamine delibutus sum &c. Vndè nõ est mirum, te tam ineptum, tamq; insulsum esse, cùm teipsum vngesaltzẽ/vñ vngeschmaltzẽ pronuncies: his enim epithetis te decorâsti. Tu igitur cùm non legitimè missus, Sacramentum eucharistiæ administres, rectè dixit Bredenbachius, te tuique similes populum toto Sacramento fraudare. Sed tametsi demus Cyprianum in eo quoq; ante Ecclesiæ definitionem pio zelo hallucinatum, vt negaret hæreticos reliqua etiàm Sacramenta administrare posse: inquit enim alicubì: Nec vnctio spiritalis apud hæreticos potest esse, quandò constet, oleum sanctificari & eucharistiam fieri apud illos omninò non posse: non tamen hinc corruit assertio Bredenbachij, qua docet, eos qui non perceperunt Sacramen-

[Margin notes: Hom. de pditiõe Iudę. — In 2. Timo. homil. 2. — Der Smidlin ist vngesaltzen vnd vngeschmaltzen/ insulsus suopte testimonio. — lib. 1. epi. 12.]

mentum huius miſſiōis,(Ordinem vſitata loquendi conſuetudine cum eccleſia dicimus)neq; idoneos eſſe ad annunciandum populo Euangelium,neq; ad conſecrandum panem & calicem Domini &c.eoq́; quod tales miniſtrant nomine cœnæ Domini, nihil minùs eſſe quàm Euchariſtiam.Hæc enim cùm per ſolos ſacerdotes, vt antè demonſtrauimus, conficiatur, rectè dixit Bredenbachius, te cum tuis,qui ordinis ſacramentum cum ſacerdotio legitimaq́; eccleſiæ miſſione contemnitis,populum toto Sacramento fraudare.Neq; enim regula,neq; conſuetudo tradidit,inquit canon concilij Niceni, vt hi qui μήτε ἐξουσίαν ἔχουσι προσφεύειν, neque ſacrificij offerendi habent poteſtatem,id eſt, diaconi, his qui offerunt,corpus Chriſti porrigant.Et Oecumenius: Non de illa, inquit, ſemèl immolata à Deo hoſtia dixiſſet in æternum,ſed ad ſacerdotes noſtri temporis reſpiciens, per quos medios Chriſtus ipſe ſacrificat & ſacrificatur, qui Chriſtus ipſe modum eis in myſtica cœna tradidit iſtiuſmodi ſacrificij.Videatur Cyprianus epiſt.3. lib.2.& cap. 21.infrà lib.4.De hoc themate cū aliquandò ſermo incidiſſet apud ciuem quendam Agrippinenſem,ingenio, rerum vſu, & varia eruditione præſtantē,quiq́; tecum Smideline, in diuerſorio Goppingenſi aliquandò communem menſam habuit,intelligeretq́; idem, te tuopte teſtimonio crudum eſſe & inſulſum, **vngeſaltzen vnd vngeſchmaltzen**,nec legitimo eccleſiæ modo ſacramentum ordinis in Catholica eccleſia percepiſſe,dixit:Tanto ad laqueum eſſet aptior & expeditior.Mihi porrò cauſam ſciſcitanti, incunctanter reſpondit:Quoniam ad degradandum verè & legitimè ordinatū presbyterum,multi ac diuerſi actus cum ſumptuum grauitate requiruntur.Porrò an talis eſſe debeat funiculus hæreditatis tuæ, ego non diſputo.Paulus Apoſtolus ſatìs euidentèr pronunciat:Irritam quis faciens legem Moiſis,ſinè vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur:quantò magìs putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit,& ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit,in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit?Huic ſpiritui & gratiæ, de qua etiàm dixit Apoſtolus: Noli negligere gratiam quæ in te eſt,quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum presbyterij,contumeliam facit Smidelinus,

Can.14.
In cap.5.ad Hebr.
Heb.10.
1.Tim.4.

dum ordinis sacramentum, manuum impositioné, sacratum chrisma, quibus gratiam spiritussancti consecutus est Timotheus, contemnendo negligit, & negligendo contemnit, polluto ore cóspurcat, & sacrilega lingua blasphemat. Ad hæc igitur supplicia, de quibus dixit Apostolus, cùm tam expeditus sit, optauerim illi melioré mentem, nè huiusmodi hæreditatis funiculum facilè consequatur, de quo ciuis Agrippinensis.

Cap. 3.

De chrismate probatur, eius vsum fuisse antiquissimũ in Ecclesia Catholica, quem dum idoneis argumentis nõ potest confutare Smidelinus, mauult vniuersam primitiuã Ecclesiam erroris accusare, quàm suum errorem confiteri.

Porrò quòd tam reuerentèr de vnctione & consecratióe sacerdotali loquitur Smidelinus, dum sacerdotes contéptìm vocat rasos & vnctos, in hoc se gnisium Luteri discipulum declarat, qui sacrum chrisma rancidum oleum, & sacerdotes, vnctos rasosq;, per contemptum appellat. Cæterùm q̃ longè alitèr vniuersi ecclesiæ proceres & SS. patres de eo loquantur, præclarè demonstrat Albertus Pigius lib. 2. hierarchiæ ecclesiasticæ cap. 9. D. Stanislaus Hosius lib. 2. propugnatióis fidei catholicæ de legitimis iudicibus ecclesiæ, & D. Vuilhelmus Lindanus. Audiamus quid iã olìm docuerit in ecclesia primitiua D. Anaclet⁹:

Epist. 2. Ordinationes, inquit, episcoporũ authoritate Apostolica ab omibus, qui in prouincia sunt, episcopis sunt celebrandę: qui simul cóuenientes, scrutinium diligentèr agant, ieiuniumq; cum omnibus celebrent precibus, & manus cum sanctis euangelijs, quæ prædicaturi sunt, imponentes, Dominica die hora tertia orantes, sacraque vnctione exemplo Prophetarum & regum, more Apostolorum & Mosis vngentes, quia omnis sanctificatio constat in spiritu sancto, cuius virtus inuisibilis sancto chrismati est permixta, & hoc ritu solennem celebrent ordinationem. Et qui præcessit eum Clemés:

Chrismatis vsus in ecclesia semp obseruatus.

Epist. 2 ad Iacobũ fratrem Dñi, Omnis, inquit, Pontifex sacro chrismate perunctus, & in ciuitate constitutus, scripturis sacris eruditus, charus & preciosus hominibus

bus oppidò esse debet, quem quasi Christi locum tenentem honorare debent omnes, eiq; inseruire & obedientes ad salutem suã fidelitèr existere, scientes quòd siue honor, siue iniuria, quæ ei infertur, in Christum redundet, & à Christo ad Deum. D. Cyprianus integrum sermonem conscripsit de vnctione chrismatis. Fatemur quidem nihil in lege noua de chrismate scriptum inueniri. Verùm absit vt nihil nisì quod scriptum est, sicut hæretici docent, recipiẽdum esse putemus. Non ità nos docuit Apostolus: State, inquit, & tenete traditiões, quas accepistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Et scriptas, & non scriptas traditiones vult teneri. Esse autem hanc apostolicã traditionem, inter alios Basilius quoq; testatur. Fabianus verò inuictissimus martyr & sanctissimus põtifex, qui annis circitèr ducentis post Petrum Romanæ & vniuersali ecclesiæ præfuit, iuxta morem Ecclesiasticæ disciplinę super ecclesiasticis quibusdam negocijs ab Oriẽtis episcopis cõsultus, hac de re scribit in hæc verba: Literis vestris inter cætera insertum inuenimus, quosdam regiõis vestræ episcopos non per singulos annos in cœna Domini chrisma conficere, sed duos aut tres annos confectionem sancti chrismatis semèl actam conseruare. Errãt qui talia excogitant. Siquidem in illo die Dominus Iesus postquàm cœnauit cum discipulis suis, & lauit pedes eorũ, sicut à sanctis apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisq; reliquerunt, chrisma conficere docuit. Cuius diei solennitas sicut per singulos annos est celebranda, ità ipsius sancti chrismatis confectio per singulos annos est peragenda, quia nouum Sacramentum est per singulos annos & iam dicto die innouandum, & vetus in sanctis ecclesijs cremandum. Vndè hæc habes, Fabiane, cùm nihil de eo præceptum sit in scripturis? Subiungit D. Fabianus: Ista à sanctis Apostolis & eorum successoribus accepimus, vobisq; tenenda mandamus. Hæc S. Rom. & Antiochena Ecclesia à tẽporibus Apostolorũ custodit. Hęc Hierosolymorũ & Ephesiorũ tenet, in quib' apostoli pręsidentes, hæc docuerunt. Vides hîc Smideline, q̃ reuerẽtèr, q̃ grauitèr & piè tantus põtifex & martyr de chrismatis vnctiõe scribat, quam tu tam improbè tam contumacitèr & petulantèr ludificaris. Vides quoq; mandandi authoritatem in Rom. Pontifice, qua

2. Thess. 2.

Basil. de spiritu sancto cap. 28.

Fabiã. epist. 2. ad episco. Orient. De cõsecra. dist. 3. cap. literis.

ab vniuersi Orientis episcopus consultus, omnibus mandatũ vniuersale rescribit. Vides etiàm traditionis non scriptæ authoritaté. Quòd si vt Hosio, ità nobis obgannire pergas, repudiandum esse charisma, quia non probamus à Christo institutum, equidem D. Fabiano, Cypriano, totiq; S. Patrum Senatui hoc disertè asserenti credere mâlim, quàm Smidelino, cuius mendacia & imposturæ nõ vno in loco depræhensæ sunt.

Longè maiorem improbitatem sapit, quòd aduersùs Hosiũ fol. 202. nimìs manifestis Patrum testimonijs conuictus, ipsam ecclesiã primitiuam prodigiosissimorum errorum insimulat.

Smid. Quid mirum, inquit, quòd à multis patribus chrisma celebratũ sit, cùm nõ is solùm, sed alij quoq; errores tum in ecclesia inualuerint? Ea verò nunc tueri ac defendere, de quibus Patres admoniti, fortasśis emẽdâssent, mirandum est. Non enim potest negari, nimiùm tribuisse Maiores nostros huic oleo, à quo proculdubiò alienissimi fuerunt S. Patres.

Bred. Mirum est profectò, quòd Christus hunc fabrilem doctorem non miserit Patribus ante annos mille trecentos, vt errorum suorum admonerentur. O fanaticum obturbatorem, qui & Orientalé & occidentalem ecclesiam errorum & inscitiæ arguere instituit, se verò solum in scrinio pectoris sui habere patefactam veritaté. Certè & apud Græcos simul & Latinos frequentissimus fuit perpetuò Chrismatis vsus. Meminerũt enim eius Dionysius Areopagita Pauli discipulus, Tertullianus, Chrysostomus, Gregorius Nazianzenus, Augustinus, Ambrosius, Theophylactus, & vix quisquam est veterum scriptorum, qui Chrismatis mentionem non faciat, ac pleriq; non sinè honoris præfatione. Si hæc velut hominum dicta repudians, idem mihi occinas, quod pientiss. Hosio, Quid opùs est, ais, in coaceruatiõe tot testimoniorum frustrà laborari? te rursùm contra te produco, dùm in eadem conuiciorum tuorum farragine proclamitas, Sed venenata ac diabolica calumnia est, inquis, cum crasso mendacio coniuncta, quod Brentio imputat: Hos, inquit, tu omnes (Athanasium, Hosium Cordubensem, Hilarium, Ambrosium) scelerata mancipia vocabis? O verè sceleratũ, ais, Satanæ mancipium Hosi. De his enim nunquàm in mentem venit Brẽtio, quorum &

[Margin notes: Eccle. Hier. cap. 7. — De carnis resurrect. — fol. 135. — fol. 33.]

rum & pietatem & doctrinam veneratur, quæ Apostolicum spiritũ sapit. Hæc tamen istic Smideline. Quorum te memorem esse oportebat, dum eorũdem pientissimorum virorum spiritumq; apostolicum habentium scripta, velut hominum commenta passim, vbi tibi commodum est, reijcis, & suprà reiecisti. Vide num ex tua sophistica hanc, qua tecum ipse dissides, dissonantiam cõciliare queas. Dices forsan esse fallaciam accidentis, accidere enim tibi quandoquè, vt ex eodem ore calidum & frigidum spires. Porrò vt ad institutum reuertamur, plerunq; fit vt plurimi non sapiant quę sunt spiritûs, vndè omnia ferè mysteria, cum vniuersa disciplina ecclesiastica in summum venerunt contemptum, quæ sanè mysteria, si in vllo alio visibili signo, tum in ista chrismatis vnctione plurima cõcurrunt, quemadmodùm elegantèr id declarat laudatissimus præsul D. Michael episcopus Merspurgensis in suis concionibus Catechisticis, nupèr à nobis Latinitate donatis. Certè quìd aliud, baptisma suscepturus, quàm Christo nomen dat, non vt ocio marcescat, sed vt sub signis illius militet? Quamobrem sicut ante certamẽ vnguntur athletæ, quô sint ad luctandum expeditiores, ità oleo Chrismatis vngitur baptizandus, vt sibi tanquàm athletæ spiritualiter luctandum esse sciat contra diabolum. Maius autem certamẽ incumbit ijs, qui sacris initiantur, qui reges quidam sunt spirituales, quamobrem iterùm atq; iterùm vnguntur. Est autem in oleo fructus, est & pinguedo: ramus cum fructibus, quasi pacis interpres: pinguedo, luminis est ministra. Cùm itaq; sacerdos sit pacis & reconciliationis minister, vt suprà declarauimus, cùm idem cæcorum quoq; lumen esse debeat, per vnctionem hanc, quæ fit chrismatis oleo, sui muneris admonetur, vt ministerium pacis & reconciliationis frequentet, siue populo voluntatem Dei annuncians, vt scire possit, quæ sit reconciliationis ratio: siue pro populo preces & sacrificia offerens Deo, quibus propitius reddi queat: simul etiàm quasi lucernam gestãs manibus, & doctrina & exemplo populo p̃eat, viamq; salutis commonstret. Miscetur autem oleo balsamum, cuius arbor cumprimìs est odorifera, quo meminerint sacerdotes ità se gerere, sic vitam suam inter homines instituere, vt cum Paulo dicere possint: Christi bonus odor sumus DEO in omni loco. 2. Cor. 4.

Mysteria chrismatis.

In cõcionibus de Sacram. cõfirmationis & ordinis.

Quod

Quod nemo nisì præditus virtute, cuius odor fragrantissimus est & suauissimus, rectè sibi potest vsurpare. Vnũ adhuc ex D. Optato episcopo Mileuitano subnectam: Narrat hic libro 2. de schismate Donatistarum, (referente D. Vuilhelmo Lindano) Vrbanum Formensem & Felicem Idicrensem Donatistarum episcopos, sacrum chrisma impiè violâsse in Mauritania: Et quod vobis, inquit, leue videtur, facinus immane commissum est, & omnia sacrosancta suprà memorati vestri episcopi violârunt. Iusserunt eucharistiam canibus fundi, non sinè signo diuini iudicij. Nam ijdem canes accẽsi rabie, ipsos dominos suos tanquàm ignotos & inimicos laniauerunt. Ampullam quoq; chrismatis per fenestram vt frangerent, iactauerunt: & cũ casum adiuuaret abiectio, non defuit manus angelica, quæ ampullam spiritali subuectione deduceret: Proiecta, casum sentire non potuit, Deo muniente, illæsa inter saxa consedit. Quid aduersùs hanc tãtorum testium nubem opponet hic obturbator? An quia Paulus ad Titum & Timotheum scribẽs, quales esse debeant episcopi, non meminit rasuræ & vnctionis, ideò Apostolos chrismate non vsos dicemus? Vbì hãc didicisti dialecticam? An tu nunc primùm à pronunciatis negatiuè nos docebis argumẽtari? Paulus eo loci non quæ ad ordinis sacramẽtum, sed quæ ad mores episcopi pertinent, describit. sed hanc impudẽtem sophisticam ex magistro suo Brentio exuxit, qui non minùs impudentèr in hũc modum argumentatur: Paulus ad Timotheum & Titum scribens, commemorat dotes, quibus is qui episcopatu dignus est, ornatus esse debet: Non præfractus, inquiens, non iracundus &c. Quòd si is episcopus, qui tantùm semèl eum qui baptizatur, mergit, meretur ab episcopatu deijci, an non debuisset Paulus in hoc virtutum catalogo addere, mergens eum, qui baptizatur, non semèl tantùm, sed tèr? Sic sanè decet aspidem à vipera venenũ mutuari. Iam quid causæ est, quòd eisdem in sordibus, eodem inquam in loco Reuerendissimum D. Hosium calumniaris, dicentem, virtutem spiritus sancti inuisibilem permixtam esse oleo? Non istud Hosij, sed Anacleti Pontificis verbum est, quod improbè hîc dissimulâsti, vt pientissimo viro calumniam strueres. Dicis, nulla est mixtio rerum cælestium & terrestrium in sacramentis. Cur igitur asseueratis, in, sub,

Lib. 4. Panop. Euan. cap. 36.

Sic garrit Smidel. aduersùs Hosiũ pag. 135.

Epist. 2.

ſub,& cum pane eſſe Chriſti corpus in Sacramento? cur hîc ipſum Chriſtum Dominum terreſtri materiæ commiſcetis? Cur non ſimili audacia declamitas, in baptiſmo ſpiritum ſanctum non conferri,quia terreſtri aquæ non poſſit commiſceri res cæleſtis? Negas à Chriſto inſtitutum chriſmatis ſacramentum, fruſtraq; laborari in coaceruatione tot teſtimoniorum. Scilicet propter tuam perfidiam periclitabitur ſacramentum,& ob tuam pertinaciam corruet fides totius eccleſiæ? ἐισ κόρακασ cum hoc obturbatore. In hoc vnguento (inquit D.Auguſtinus, exponens locum Pſalmi, Sicut vnguentum quod deſcendit in barbam &c.) Sacramentum chriſmatis vult interpretari, quod quidem in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt,ſicut ipſe baptiſmus. Vtri fidem habebimus?tibíne,an D.Auguſtino? Ait idem alibì:Si ad hoc valet quod dictum eſt in Euangelio,Deus peccatorem non audit, vt per peccatorem ſacramenta non celebrentur,quomodò exaudit homicidam deprecantem,vel ſuper aquam baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper euchariſtiam,vel ſuper capita eorum quibus manus imponitur? Audis hîc ſacramenti ſanctitatem & appellationem tribui his quatuor,Baptiſmo,Oleo,Euchariſtiæ,manuum impoſitioni: audis in proximo adducto loco ſacramentum chriſmatis,& tu rem tam ſacratam,& iam indè ab Apoſtolorum temporibus pro ſacramento euchariſtię habitam,ſpurco & blaſphemo ore exibilabis? Manuum præteréà impoſitionem dices nunc eſſe rem adiaphoram? Credo vobis ità videri: ſed inter ſacramenta cenſetur ab Auguſtino, atq; adeò ipſe Paulus Apoſtolus ſolennitèr meminit manûs impoſitionis: Noli,inquit,negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum mearum. Sanè, teſte Paulo,gratia datur per impoſitionem manuum. Et D.Auguſtinus dicit:(lib 3.de baptiſmo,cap.16.)Neq; enim temporalib⁹ & ſenſibilibus miraculis atteſtantibus per manûs impoſitiōem modò datur ſpirituſſanctus, ſicut anteà dabatur ad commendationem rudis fidei & Eccleſiæ primordia dilatãda. Quis enim nunc hoc expectat,vt ij quibus manus ad accipiendum ſpiritum ſanctum imponitur, repentè incipiant linguis loqui? Sed inuiſibilitèr & latentèr intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus diuina charitas inſpirari. Hæc ille.

Pſal. 132. lib.3. cõtra lit. Petilia. cap.104.

lib.5.ca. 20. de baptiſ.

Ioan.9.

1.Ti.4.

Act.9. Ac licèt manûs impoſitio ad varia fieri cõſueuerit, interdùm enim non baptizatis adhibebatur, vtì Paulo ab Anania: interdùm infirmis vt conualeſcerent, interdùm pœnitentibus & hæreticis ad eccleſiam redeuntibus: plerunq; tamen pro ſacramento vſurpatur à Patribus, vtì nunc ex Auguſtino declarauimus, & pluribus demõ-

In Panopl. ſtrat D. Vuilhelmus Lindanus. Cùm igitur ſpiritusſancti gratia per manûs impoſitionem detur, referente Auguſtino, tamen huic Malleatori eſt adiaphora. Credo huic homini tam blaſphema proclamitanti etiàm ἀδιάφορον & indifferens fore, ſiue in cælum deueniat, ſeu ad inferos deturbetur, vbì non ſacro chriſmate, ſed pice & ſulphure delibutus ſuauitèr vngatur. At non inuenitur chriſmatis vocabulum in literis Euangelicis: Multa ſunt quæ vniuerſa tenet Eccleſia, & per hoc ab Apoſtolis præcepta benè creduntur, inquit D. Auguſtinus, lib.5. cap.23. de baptiſ. contra Donatiſtas, quãquàm ſcripta non inueniantur. Porrò quòd aduersùs eundem Reuerendiſſ. Hoſium blaterat, nos, quos inuiſo vocabulo papiſtas paſsìm appellitat, plus tribuere huic oleo, hoc eſt, chriſmatis ſacramento, q̃ baptiſmo, impudens eſt calumnia, cùm nuſquàm non doceamus, & vniuerſa eccleſia Catholica hucuſq; docuerit, baptiſmi ſacramentum eſſe neceſſitatis, & ianuam qua ſola ad primam vitæ renouationem peruenitur. Nec quicquam derogat baptiſmo, quod ait ob-

fol.135. aduer. Hoſiũ. turbator: Docent enim quòd illa (vnctio) ſummorum pontificum manibus peculiaritèr adminiſtretur, baptiſmus ab omnibus vulgaribus ſacerdotibus diſtribuatur: vndè enim eccleſia eã habeat cõ-

Aduersùs Luciferian. ſuetudinem, & quamobrem, expreſsè docuit D. Hieron. Quòd ſi hoc loco quæris, inquit, quarè in Eccleſia baptizatus, niſì per manus epiſcopi non accipiat ſpiritumſanctum, quem nos aſſerimus in vero baptiſmate tribui, diſce hanc obſeruationem ex ea authoritate deſcendere, quòd poſt aſſcẽſum Domini ſpiritusſanctus ad Apoſtolos deſcendit. Et multis in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potiùs ſacerdotij, quàm ad legis neceſſitatem. Eccleſiæ ſalus in ſummi ſacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exors quædam & ab omnibus eminens detur poteſtas, tot in eccleſijs efficientur ſchiſmata, quot ſacerdotes. Hæc ille. Ad honorem igitur ſacerdotij pertinet hæc epiſcoporũ prærogatiua, quod ab ipſis Apo-

ſtolis

stolis ad nos deriuatum, constat ex Luca, qui referēs baptizatos esse à Philippo diacono Samaritas, subiungit, missos istuc Petrum & Ioannem: qui cùm venissent ad eos, orauerunt pro eis. vt acciperēt spiritum sanctum. An & Apostolos dices plùs tribuisse sacramento Cōfirmationis, quàm Baptismo? quia diaconus potuit baptizare, non autem manus imponere? Nec est quod cauilleris Melchiadis pontificis dictum, dicentis, Scitote vtrunque magnum esse sacramentum, (baptismum scilicet & confirmationem) sed vnum maiori veneratione tenendum. Maius enim dicit sacramentum confirmationis, inquit Petrus Lombardus, sed non ob maiorem virtutem, & vtilitatem quam conferat, sed quia à dignioribus datur. Et hoc est quod suprà diximus ex Augustino, sacramentum chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus. Si dignitas ministri huius sacramenti cōfirmationis nō potiùs auget honorem sacerdotij, vt loquitur Hieronymus, quàm vt baptismo quicquam deroget, eadem ratione Epiphanio insultaueris, qui dum episcopatûs dignitatem contra Aërium vindicat, sacramenti ordinis administratiōem solis episcopis tribuit, baptismi verò cuilibet presbytero. Dicere ipsum episcopum & presbyterum æqualem esse, inquit, quomodò erit possibile? Episcoporū enim ordo, patrum generator est: Patres enim generat Ecclesiæ: presbyterorum verò, non potens generare patres, per lauacri regenerationem generat filios ecclesiæ: non tamen patres aut doctores, &c. Vide Smideline, in quos perplexitatum mæandros te cæcus error & conuiciandi libido impellat.

De cōs. di. 5. C. de his.

lib. 4. dis. 7. §. 6

Li. 3. cōt. lit. Peti. ca. 104.

Hæresi 75. li. 3, tom. 1.

Cap. 4.

Ob hanc pertinaciam non posse Smidelinum haberi pro Christiano & Catholico.

QVandò igitur tu Smideline non modò non obseruas, verùm etiàm fastu quodam intolerabili reijcis & aspernaris, quicquid est rituum, quibus homines Christiani fidem suam erga Christum orbi testatam faciunt vniuerso, ipsamq; Ecclesiam primitiuam, eiusque doctores cum ipsis Apostolis conuersatos, abominandorum errorum & in-

ſcitiæ accuſas: tibi verò ſoli cum tuis gregalibus veritatis lumen poſt mille quadringentos annos reuelatum arrogantiſſimè vendicas: non habes iam cui potiùs imputes, quàm tibijpſi, quòd inter eccleſiæ membra non cenſearis, quòd inter Chriſtianos non numereris, ſed pro ſchiſmatico, pro rebelli & ſeditioſo, pro Ethnico & publicano habearis. Nolo iam meis verbis quicquam in te acerbiùs dicere, quem (quantunuis petulantiſſimè inſultaueris parenti meo Bredenbachio, & vniuerſæ Eccleſiæ Catholicæ) reſipiſcentem, facta omnium præteritorum amneſtia, libentèr vt amicum, immò vt fratrem complectar. Sed D. Cyprianum loquentem audiemus: Auerſandus talis atque fugiẽdus, inquit, quiſquis fuerit ab eccleſia ſeparatus. Peruerſus eſt huiuſmodi, & peccat, & à ſeipſo damnatus. An eſſe ſibi cum Chriſto videtur, qui aduersùs ſacerdotes Chriſti facit? qui ſe à cleri eius vel plebis ſocietate ſecernit? arma ille contra eccleſiam portat, contra DEI diſpoſitionem repugnat: hoſtis altaris, aduersùs ſacrificium Chriſti rebellis, pro fide perfidus, pro religione ſacrilegus, inobſequens ſeruus, filius impius, frater inimicus: contemptis epiſcopis, & Dei ſacerdotibus derelictis, conſtituere audet aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, Dominicæ hoſtiæ veritatem per falſa ſacrificia prophanare: nec ſcire, quoniam qui contra Dei ordinationem nititur, ob temeritatis audaciam diuina animaduerſione punitur. Et alibì: Cõcilio frequentèr acto, non conſenſione tantùm noſtra, ſed & comminatione decreuimus, vt pœnitentiam fratres agerent, vt pœnitẽtiam non agentibus nemo temerè pacem daret: illi contra Deũ ſacrilegi, contra ſacerdotes Dei impio furore temerarij, de eccleſia recedentes, & contra Eccleſiam parricidialia arma tollentes, &c. Habere iam non poteſt Deum patrem, qui eccleſiam nõ habet matrem. Si potuit euadere, qui extra arcam fuit & qui extra eccleſiam forìs fuerit, euadet. poſſidere non poteſt indumentum Chriſti. qui ſcindit & diuidit eccleſiam Chriſti, &c. Quandò iam, Smideline, vſum huiuſce vnctionis ſacerdotalis ex veteri teſtamento, ex vetuſtiſſimis ſanctiſſimisq; Eccleſiæ Patribus demonſtrauimus, & longè fuſiùs demonſtrârunt DD. Staniſlaus Hoſius, Lindanus, & Albertus Pigius locis citatis: tu autem hæc omnia cum vniuerſis Eccle-

Tract. 3. de de ſim. plat.

Lib. 1. epi. 3.

Tract. 3. de ſimp. præla.

clesiæ Catholicæ & Apostolicæ traditionibus & cæremonijs intoleranda audacia & fastu cótemnis, tu ipse te talem pronúcias, qualem te D. Cyprianus descripsit. Ipsa veritas, ipse spiritussanctus, qui vt olìm per prophetas, ità hucusq; per eiusmodi sacratissima organa sua loquitur, te erroris, impietatis, rebellionis, schismatis & blasphemiæ reum peragit. Blasphemum te pronunciat venerandus ille Pontifex Damasus, etiàm Brentij tui iudicio sanctus. Blasphemare spiritumsanctum, inquit, non incongruè videtur, qui contra sanctos canones Patrum, qui spiritûs sancti instinctu dictati sunt, libentèr aliquid aut proteruè agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus spontè consentiunt: talis enim præsumptio manifestè vnum genus èst blasphemiarum in spiritum sanctum.

Cap. 5.

Theodosius Imperator præcepit Canones pristinos obseruari, & an iudex fuerit in Concilio Theodosius, vt vult Smidelinus.

ET quoniam ad principes prouocat Smidelinus, audiat laudatissimos Imperatores Honorium & Theodosium: Omni innouatione cessante, inquiunt, vetustatem & canones pristinos ecclesiasticos, qui vsq; nunc tenuerunt, etiàm per omnes Illyrici prouincias seruari præcipimus, vt si quid dubietatis emerserit, id oporteat conuentui sacerdotali, sanctoq; iudicio reseruari. Hæc Impp. Honorius & Theodosius Iunior. Vndè mirum iam est, Smidelinũ tam pertinacitèr tanto cum fastu tam effusè & iactabundè gloriari de historia Socratis, quasi in causa fidei iudex inter episcopos fuerit Theodosius. Mirum est sanè, quòd Theodosius iunior, hîc tam apertè, tam categoricè, tam planè & sinè vlla conditione, tanta cum authoritate ꝑcipiat canóes Ecclesiasticos obseruari: & si q̇d dubietatis emerserit, id oportere conuentui sacerdotali sanctoq; iudicio reseruari. Mirum quoq; est, si potuit hoc Ambrosium latere, q̃ vixit eodem illo tempore, qui funebrem etiàm orationem illi cóscripsit. Qua confidentia ausus ille fuisset scribere Valentiniano, qui Theodosio successit, (Quandò, inquit, audiuisti Imperator, in

In l. omí innouatione. C. de sacrosanct. ecclc.

causa fidei laicos de episcopo iudicâsse) si quid eiusmodi factum à Theodosio fuerat? Nónne respondere potuisset Imperator, Audiui quòd fecerit hoc antecessor meus Theodosius? Deindè verò, hoc ipso Theodosio imperante, fuit habitum concilium Aquileiense, priusquàm œcumenicum illud Cõstantinopoli, vbì hęc Imperatoris verba recitantur: Ambigua dogmatum reuerentia, nè dissideant sacerdotes, quamprimùm experiri cupientes, conuenire in Aquileiensem ciuitatem episcopos iusseramus, neq; controuersiæ dubiæ sententiæ rectiùs poterant experiri, quàm si obortæ altercationis iudicium in interpretes ipsos constituissemus Antistites, vt videlicet à quibus proficiscuntur instituta doctrinæ, ab eisdem discordia eruditionis solueretur. Quæ cùm essent lecta, dixit Ambrosius, qui præsens illi interfuit Concilio: Eccè quid Christianus constituit Imperator, noluit iniuriã facere sacerdotibus, ipsos interpretes constituit episcopos. Hîc laudat eo nomine Theodosium Ambrosius, quòd is non alios quàm episcopos, iudices esse voluerit, quod idẽ, paucis interiectis, facit Eusebius quoq;. Indè coniecturam facere licet, ꝙ sibi in causa fidei, nũquàm iudicium arrogauerit Theodosius, qui q̃d sui, q̃d Episcoporũ esset muneris, vel ex his quæ gesserat anteà Imperator Cõstantinus antecessor eius, (cuius verba suprà recitauimus) cognoscere potuit. Quid igitur de historia Socratis dicemus? inquit D. Stanislaus Hosius. Quòd si Brentius & post eum Smidelinus, ea fide qua oportuit, Socratis verba recitâssent, nec præteritis quibusdã ea sola produxissent, quę ad suum institutum probandum facere videntur, facilè cuiuis perspicere licuisset, nihil præter officium suum Imperatorem fecisse. Nam in exordio capitis illius, ex quo nonnulla proferunt Brentius & Smidelinus, omnia Theodosium de Nectarij Constantinopolitani episcopi consilio fecisse scribitur: ex quo perspicuum illud fit, quòd non sibi de causa fidei iudicandi potestatem vllam Imperator vsurpauerit, sed quod à Catholicis episcopis præscriptum fuit & iudicatum, id pro Catholici Imperatoris officio & ipse ratũ habuerit, & ab omnibus sibi subiectis haberi ratum, inuiolateq; seruari iusserit. Quicquid igitur à Theodosio factum esse scribit Socrates, iuxta Nectarij consilium, ex authoritate Damasi Papæ factũ est:

est:quæ etiàm fuit causa,vt vnà cum collégis suis Gratiano & Valentiniano ediceret, vt in tali religione cuncti populi sibi subiecti versarentur,quam Pontifex Damasus sequeretur.Subscripsisse etiàm leguntur illi Constantinopolitano concilio centum quinquaginta episcopi:quòd verò Imperator subscripserit, in actis non inuenitur.

Cap. 6.

Praxis & mos veteris ecclesiæ in iudicandis religionis controuersijs.

QVòd si hæc vt insignis est omnium hæreticorum pertinacia, nondùm satisfaciunt,obseruemus non iure canonico duntaxat,sed & iure ciuili & Imperatorum rescriptis,iam olim ante annos mille sancitum esse,vt ecclesiæ & clericorum causæ non nisì in foro Ecclesiastico à iudice ecclesiastico decidãtur, idq; in hodiernum vsq; diem perpetuò vsurpatum. Obseruemus prætereà morẽ & praxim veteris ecclesiæ in iudicandis fidei controuersijs. Eam nos suprà,vbì de authoritate Romani episcopi diximus, nonnihil attigimus,& illustri demonstratione declarat idem D. Hosius,cuius tam insignes & passìm ab omnibus prædicatas lucubrationes, optarem omuibus orthodoxæ veritatis studiosis quàm familiarissimas:Nos vt studiosum lectorem non planè fraudemus, ex plurimis paucissima decerpemus.In concilio Niceno ante mille trecentos annos congregato,in quod ex vniuerso terrarum orbe trecenti decem & octo patres conuenerunt, qualem se præbuerit, quàm humilem,quàm demissum,quàm verè pium Constantinus Imperator,refert Eusebius lib.3.de vita Constantini, Socrates lib.1.cap.8. Theodoretus lib.1.cap.7. Augustinus epist.166.& epist.48. Rufin' lib.1.cap.2.

li.2.ꝓpugn. fidei Catholicę fol.174.

Retulit idem in suo de componendis dissidijs libro Bredenbachius,& nos suprà obitèr attigimus.In secunda synodo, quæ enumeratur inter œcumenicas,Constantinopolitana, nihil aliud actũ est à Patribus,quàm quòd sententiam Damasi,quam ille paulò antè congregato Romæ concilio,contra Macedonium,Sabellium & Eunomiũ tulerat,probàrunt & eam sunt secuti. Quo nomine scri-

ptis

ptis ad Damasum literis, vt sibi cōgauderet, ab eo poposcerūt. Iam autem qualem se in hac synodo præbuerit Theodosius, ex integro historiæ Socratis capite perlustrato audiuimus, & pulchrè declarauit in suo libro Bredenbachius. In tertia synodo, quæ fuit habita Ephesi, Cælestini Romani Pontificis nomine pręfuit Cyrillus Alexādrinus, ac lecta fuit epistola Cælestini, quam sequuti patres, Nestorium condemnauerūt, & ab episcopali dignitate, vniuersoq́; sacerdotij collegio alienum esse decreuerunt, sicut in historia sua scribit Euagrius. Ad hanc synodum imperator Theodosius misit
Euagr. lib. 1. cap. 4. loco suo Candidianum. Sed nunquid vt iudicaret de causa fidei? Audi Smideline scribentem ipsum, qua de causa miserit. Deputatus est, inquit, Candidianus magnificus comes strenuorum domesticorum, transire vsq; ad sanctissimam synodum vestrā, ac in nullo quidem, quæ faciendę sunt de pijs dogmatibus quæstiones, cōmunicare. Illicitum nanq; est, eum qui non sit ex ordine sanctissimorum episcoporum, ecclesiasticis immisceri tractatibus.

Vide Smideline, quemadmodùm ipse Theodosius formulam à se deputato præscripserit, vt nè se tractatibus ecclesiasticis immisceret, néve de causa fidei sibi iudicium arrogaret, sed tuendæ tantùm tranquillitatis causa synodo interesset. Vides etiàm quemadmodùm illicitum esse iudicauerit, Imperatorem se Ecclesiasticis negocijs immiscere. Vides deniq;, qua ex causa Imperatores Concilijs adhiberi soleāt, & clariùs videbis ex eiusdem Theodosij epistola ad Elpidium Comitem & Eulogium tribunum, quos mittere se scribit, non vt de causa fidei iudicent, sed volentes, inquit, nostris iussionibus ministrare de ijs, quæ in Epheso à sancta synodo fuerint constituta, & nullum fieri tumultū permittere: sed & si quē videritis conturbationibus & tumultui studentem ad læsionē sanctæ fidei, hunc custodiæ mancipare.

Extat eiusdem Imperatoris epistola ad Cyrillum, quæ habetur in operū Cyrilli tomo quarto, cuius hæc verba sunt: Nos sanè non
cyril. epi. 4. patiemur, vt simul & vrbes & ecclesiæ turbentur, neq; vt inexcussa nobis sit ea doctrina, cui dijudicandæ præfici oportet eos, qui circunquaq; sacerdotio præsident, & per quos in sententia veritatis firmiores sum⁹ & posthàc erimus. In hac quoq; tertia synodo subscri-

ſcripſerunt ducēti epiſcopi: quòd ſubſcripſerit Imperator, ex actis non appáret. Ad hæc reſpondet Smidelinus, mirè Hoſium ſe torquere in tertia ſynodo: ego verò dixero, mirè hoc exēplo torqueri aduerſarios Hoſij & catholicæ veritatis. Quid enim hîc eſt quod Hoſij & Eccleſiæ Catholicæ cauſam non euidentèr propugnet? In quarta ſynodo generali Chalcedonenſi, in quinta quæ eſt Conſtantinopolitana ſecunda, in ſexta quæ fuit Conſtantinopolitana tertia: in ſeptima quæ habita eſt iterùm Niceæ, in octaua quæ fuit Conſtantinopolitana quarta, in his, inquam, ſynodis œcumenicis, quomodò ſe geſſerint Imperatores, quàm nihil ſibi arrogauerint iudiciariæ poteſtatis in rebus Eccleſiaſticis: magnificè, copiosè & luculentèr recenſet idem Antiſtes loco memorato, quem ſi veritatis ſtudioſi legere nō grauabuntur, velut face adhibita, omnes hęreticorū præſtigias inſtàr fumi euaneſcere conſpicient. Porrò nè cauſeris nos diſſimulantibus oculis pręterijſſe, quod aduersùs Reuerendiſſ. Hoſium ſcribis, quanta ſcilicet in Chalcedonenſi ſynodo fuerit magiſtratûs authoritas, & q̃ eius partes, Actiōe 2. ſynodi docetur &c. Similiter in actiōe prima ſcribitur, quòd iudices & ſenatus poſt cauſæ cognitiōem & iudicium, vindicauerint Flauianū & Euſebium epiſcopum, qui iniuſtè damnati erant. Sed libet verba eorum, inquis, actioni primæ inſerta recitare: Glorioſiſſimi iudices & ampliſſimus ſenatus dixerūt: De recta quidem & Catholica fide perfectiùs ſequenti die conueniente concilio, diligentiorem examinationem fieri oportere perſpicimus. Quoniam verò Flauianus religioſæ memoriæ, & Euſebius Reuerendiſſ. epiſcopus ex geſtorum & cognitionum ſcrutatione & ipſa voce quorundam qui tunc ſynodo præfuerunt, confitentium ſe errâſſe, & fruſtrà eos damnâſſe, quia nihil circa fidem monſtrantur errâſſe, oſtenduntur iniuſtè depoſiti: Videtur nobis, (ſi placuerit Domino noſtro) eidē pœnæ Dioſcorum Reuerēd. epiſcopum Alexandrię, & Iuuenalem Reuerend. epiſcopum Hieroſolymorum, & Thalaſſium Reuerēd. epiſcopum Cæſareæ Cappadociæ &c. qui poteſtatem & principatum tunc ſynodi tenuerunt, ſubiacere, & à ſancto concilio ſecundùm regulas ab epiſcopali dignitate fieri alienos, omnibus quæ acta ſunt, ad ſacrum apicem referendis. Orientales & qui cum ipſis

Reuerendi episcopi dixerunt: Hoc iustum iudicium &c. Et post pauca: Quid ad hæc Hosius dicere potest? Iudices & senatus Politici erant, non Ecclesiastici, hi non solùm audiunt, sed etiàm quosdam iudicant, quosdam absoluentes & vindicantes, quosdam damnantes.

Bred. Respondemus tibi Smideline, ex his nihil aliud colligi posse, quàm hosce iudices, cognita concilij definitione, nihil aliud præstitisse, quàm executionem definitionis, & pœnæ irrogasionem. Sic enim aiunt: Quoniam Flauianus & Eusebius &c. ostenduntur (scilicet à concilij patribus) iniustè depositi, videtur nobis eidem pœnæ Dioscorum &c. subiacere. Id ità esse, atq; vniuersam rem ex Patrum iudicio, & inprimìs illorum qui vices episcopi Romani tenuerunt, gestam esse, clarè liquet ex Actione 3. eiusdem cõcilij. Et in Actione sexta legimus, Martianum Imperatorẽ hæc verba in consessu Patrum protulisse: Pia & Catholica fide à sancta & vniuersali synodo secundùm Patrum expositionem declarata, iustum simul & expediens esse nostra tranquillitas approbauit, oẽm decæterò contentionis occasionem de sanctæ fidei religione penitùs amputari. Sequitur iam executio concilij, & pœnarum interminatio. Si quis igitur idiota, inquit Imperator, vel militaris, seu clericus publicè de fide turbam congregans sub obtentu disputationis tumultum fecerit, sciat quia si quidem idiota sit, ab vrbe regia expelletur: militaris verò & clericus, gradûs sui periculum sustinebunt, & pœnis alijs subiacebunt. Vides hîc luculentèr, concilij patres catholicam fidem sua expositione declarâsse, ac quid sequẽdum fuerit, definiuisse: Martianũ verò Imp. sanciuisse, vt in posterũ ea fides obseruaretur, & pœnis idoneis in rebelles animaduerteretur. Itaq; iudicium fuit episcoporum, executio facta est per imperatorem. Idem videre licet in Actione octaua eiusdem concilij, vbì iudices seculares dixerunt: Omnis iam dubitatio de Theodoreto reuerendo est soluta &c. Deest igitur vt sentẽtia proferatur à Deoamabilitate vestra, vt cuncta sua priùs & ecclesiam recipiat, sicut & sanctiss. Leo archiepiscopus iudicauit. Ac mox omnes reuerendiss. episcopi clamauerunt: Theodoretus dignus est sede ecclesiæ &c. Post Deum Leo iudicauit. Eadem deniq; sententia ab reliquis episcopis prolata, tandèm & gloriosissimi iudices dixerunt: Secũdùm decre-

decretum sancti concilij Theodoretus sanctiss. episcopus Ecclesiam ciuitatis Cyrri recipiet. Atque hîc videmus, quid discriminis fuerit inter seculares & ecclesiasticos iudices, vt videlicet hi decernerent, quid credẽdum, quídve faciendum esset: illi vt quod ab eis decretum foret, executioni demandarent. Et hoc est, quod Philippus Melanchthon alicubì dicit, Principes custodes tantùm esse primæ & secundæ legis tabulæ, qui gladio animaduertant in legum violatores. Dioscorus igitur & Eutyches hac synodo Chalcedonensi condemnati sunt, factaq; sunt omnia iuxta sententiam quæ fuit ante synodum lata per Leonem primum Pontificem Romanum. Ac tametsi legati Paschasius, Lucentius & Bonifacius Romani Pontificis locum tenuerint, nihilo seciùs missum fuit ad pótificem, & à synodo petitum, vt quę fuerant à Patribus constituta, confirmaret, quod & fecit. Cæterùm decretum illud quo Constãtinopolitanum archiepiscopum proximum à Romano Pontifice locum habere pronunciatum est, præter legatorum suorũ consensum, ratum non habuit. Iam & illud hîc mihi monendus es Smideline, in hac eadem actione, huius concilij prima, quam tu tam oposè adduxisti, pontificem Romanum vocari caput omnium ecclesiarum, grauiterq; accusatum Dioscorum, quòd synodum ausus sit facere sine authoritate sedis Apostolicæ, quod nunquàm ritè factũ sit, nec vnquàm licuerit, vt habent verba actionis primæ. Præterea vocari hîc episcopum Romanum vniuersalis ecclesiæ episcopum, quæ cùm tu nusquàm non impugnes, hîc conniuentibus oculis p̄terijsti: scilicet moris est tibi, ea quæ tuis vsibus seruire videntur, decerpere, reliquis intactis aut dolosè dissimulatis. Sed vt ad institutum reuertamur, si principes non tam executores quàm iudices in concilijs fuerunt antiquitùs, qua fronte laudatissimus Athanasius tam acritèr expostulans inquit: Quomodò conuentum synodum appellare audent, cui comes præsedit? & alibì, Quandò à cõdito æuo auditum est, quòd iudicium ecclesiæ authoritatem suam ab Imperatore accepit? aut quandò hoc pro iudicio agnitum est? Plurimæ quidem synodi fuère, multa iudicia ecclesiæ habita sunt, sed neq; patres istiusmodi res Principi persuadere conati sunt, nec princeps in rebus ecclesiasticis se curiosum præbuit. Verùm statu-

Epist. ad solit. vitã agẽ.

amus, principes aliquas iudicandi partes in concilijs habuisse, quid hinc probauerit aduersarius? scopus huius disputationis de legitimis Ecclesiasticarum controuersiarum iudicibus eò tēdit, an principes priuata authoritate, citra præsidum ecclesiasticorum consensum, Religionis dogmata vel nouare, vel mutare, vel abolere queant, vtì nonnullos hac tempestate fecisse constat. Illud est quod p̄cipuè in controuersiam venit, quodq́; ex veterum annalibus aut concilijs probandum restabat aduersario. Legimus quidem illud machinatum fuisse Constantium: sed quibus elogijs eum Athanasius Catholicæ fidei vindex exceperit, non ignoramus, dum scribit illum Antichristi imaginem induisse: scimus prætereà, quibus verbis Basilius, Ambrosius, & pleriq; alij plerosque principes ab eiusmodi institutis submouerint. Quòd igitur vel vnus aliquis Princeps eam iudicandi authoritatem vsurpauerit, quam hodiè nonnulli vsurpant, vt scilicet spretis ecclesiæ præpositis, ipsi pro suo arbitratu religionis nouatiōem legitimè instituerint, quæ Religio ꝓ sana, recta & catholica sit agnita & recepta: illud, inquam, est quod probandum incumbit Smidelino, vt hanc facultatem principibus asserat, quam nullo vnquàm tempore catholicum principem sibi vendicâsse patet ex veteri definiendarum controuersiarum cōsuetudine: quam vt nunc prosequamur, quintum exemplum proferemus, si priùs telū, quod iam videre videor moliri Smidelinū, auertero. Confugiet fortassìs ad veteris testamenti synagogam, dicetq́; Iosaphat abstulisse excelsa & lucos de Iuda &c. Ac licèt ego noui testamenti exempla requiram ab aduersario, facilis tamen est responsio etiàm ad synagogæ exempla. Abstulisse igitur Iosaphat excelsa & lucos concedimus: verùm id nec inuitis, nec exclusis sacerdotibus fecit, nec vllum de religiōe iudicium vsurpauit, sed ijsdem, de quibus dixi, sacerdotibus inuiolatum permisit. Sic enim legimus 2. Para. 19. Cōstituit Iosaphat Leuítas & sacerdotes & principes familiarum ex Israel, vt iudicium & causam Domini iudicarent, præcepitq́; eis: Omnem causam quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, vbicunq; quæstio est de lege, de mandato, de cæremonijs, de iustificationibus, ostēdite illis &c. Amarias autem sacerdos & pontifex vester, in ijs quæ ad Dominum pertinent, præsidebit.
Porrò

Porrò Zabadias filius Ismael, qui est dux in domo Iuda, sup ea opa erit, quæ ad regis officium pertinét. Similia ferè leguntur de Ezechia & Iosia. Verùm quid aliud hi fecerunt, quàm quod Martianú Imperatorem & plerosq; alios fecisse legimus, qui Dioscorú, Eutycheten, atq; alios id genus velut excelsa quædam, (dum videlicet vniuersali ecclesiæ sese opponebant.) audita concilij sententia, suis episcopatibus submouerüt, legibus & pœnis in rebelles & hæreticos promulgatis? Hoc scilicet est officiú magistratûs, vt in excelsa illa, in illos superbiæ & rebellionis spiritus, gladio animaduertant. Nunc ad quintum exemplú progrediamur. De Valentiniano igitur Imperatore scribit Zosomenus, cùm per episcopú Hypacianum verbis episcoporum per Hellespontum & Bithyniá agétium fuisset rogatus, vt episcopis ad corrigendum dogma conuenire permitteret, sic eum respondisse: Mihi qui sum in sorte plebis, fas non est talia curiosiùs perscrutari: sacerdotes, quibus ista curæ sunt, inter seipsos quocunq; loco voluërint, conueniant. Hic est ille Valentinianus, qui nec interesse voluit, cú Sixto Pontifici quædam crimina fuissent obiecta: sed surgens à Concilio, dedit in arbitrio Sixti episcopi, vt iudicaret iudicium suum. Simile quiddam à Carolo Magno factum fuisse dicitur in causa Leonis tertij Pontificis. Li.6. cap.7. Eccl. hist.

Cap. 7.

Ne hæreticos quidem Imperatores Ecclesiasticas causas iudicare voluisse.

VSque adeò autem Imperatores Catholici, iudicium in Ecclesiasticis causis sibi non arrogârunt, vt ne hæretici quidem id facere voluërint. Vnus fuit Valétinianus iunior Imperator, qui Iustinæ matris impulsu, cùm adhuc puer esset propemodùm, sibi de fide iudicium vsurpare conatus est. Sed ab Ambrosio correptus, pœnituit eum facti: tanto in Ambrosium affectu pòst incubuit, vt quem anteà persequebatur, eum diligeret: quem anteà vt aduersarium repellebat, eum vt parentem putaret, sicut ipse in quadam epistola scribit Ambrosius. Non dissimile quiddam ausus fuit etiàm Imperator ille & re & nomine Basi- Amb. epi.34 lib.5.

Basiliscus, qui circulares dedit literas, quibus Chalcedonense cō-cilium & Leonis libellum per anathema damnauit. Quod tamen ipsum fecit, Episcoporum suorum, qui non pauci numero fuerunt congregati, sententiam secutus, qui circularibus etiàm literis eiusmodi subscripserunt, vt magìs exequutoris, quàm iudicis officio functus videri possit. Sed has tamen ipsas literas circulares non ità multò pòst aboleri & eis contrarias scribi iussit, sicut apud Euagrium, Liberatum, Nicephorum legimus. Ad eūdem modum & Cōstantius, quo nihil in religione fuit incōstātius, qui primus ex Imperatore Christiano factus erat Arrianus, quicquid egit contra Catholicos, non propria sua, sed episcoporum authoritate, quos frequentèr conuocabat, faciebat, & quotannìs ferè nouam fidem cudi procurabat.

Lib.3.ca.4. Hist. eccle.

Quanuìs autem authoritate synodi iam fuerat Athanasius cōdemnatus, tamen vide Smideline, quantum ille positum putabat in vno Pōtifice Romano Liberio, quem partìm vi & minis, partìm etiàm pollicitatione munerum, sicut ipse scribit Athanasius, pertrahere conabatur, sed frustrà tamen, vt Athanasij damnatiōi subscriberet. Tam ardenti desiderio tenebatur authoritate episcopi Romanæ vrbis firmari, quod iam impletum esse sciebat, sicut ab Ammiano quoq; Marcellino memoriæ proditum est. Intelligebat enim irrita fore omnia, quæcunq; acta ab alijs fuissent, nisì Romani pontificis consensus accessisset. Athanasius autem ferendum nō esse putauit, vt quicquam sibi iuris arrogaret Imperator in Synodis episcoporum. Qui sic alicubì scribit: Qua fronte talem conuentum synodum appellare audent, cui Comes præsedit? Et in epistola ad solitariam vitam agentes: Obtendit, inquit, in speciem Episcoporum iudicium, sed interìm facit quod illi volupè est. Si istud est iudicium episcoporum, quid commune habet cum eo Imperator? Quandò à condito æuo auditum est, quòd iudicium Ecclesiæ authoritatem suam ab Imperatore accepit? aut quandò vnquàm hoc pro iudicio agnitum est? &c. Vides Smideline, quæ fuerit Athanasij sententia: vides etiàm Constantium Imperatorem quantunuìs hæreticum, agnouisse iudicium Episcopi Romani. Quin & crudelissimus ille Catholicæ fidei persecutor Hunericus legitur cau-

Atha. in epi. ad solitariā vitam agen.

sæ Ecclesiasticæ iudicium ad episcopos relegâsse. Idem refertur de quodam Imperat. Theodorico Arriano.

Cap. 8.

Smidelinus conuictus, quòd principes non sint legitimi iudices causarum Ecclesiasticarum, respondet, tametsi Principes doctorum iudicio ducantur, non tamē eos sinè iudicio suæ conscientiæ illis assentiri. obiterq; demonstratur, quàm vanè hisce technis effugere queat in summas angustias redactus.

HAec ex D. Stanislao Hosio, fusiùs hæc omnia pertractante, visum est breuitèr decerpere, & summa sequi fastigia rerum, quòd aduersariorum importunitatem euidentissimè conuincant. Quibus cùm Smidelinus se arctari & constringi videret, tandèm in refutatione sua contra Hosium cristas nonnihil remittens, sic ait: Sed cum quo contendit Hosius? Smid. quem sibi antagonistam fingit Hosius? Brentius certè non est qui contradicat. Si enim controuersia aliqua exoritur in doctrina religiōis, ad quē rectiùs reijcietur eius examē, quàm ad ecclesiæ ministros? qui, sicubì in phrasi obscuritas est, præsidio cognitiōis linguarum respondere possunt: si sententia obscura est, alijs apertioribus verbis declarare possunt. In tali episcoporum consessu, si maximè sedeant vel principes vel reges vel Imperatores, audire mâlunt, quàm pronunciare: dijudicatione verò audita & cognita, quā ex collatiōe scripturarum profectam vident, suum quoq; consensum adiungunt: vt quanuìs iudicio doctorum ducantur, non tamē sinè iudicio suæ conscientiæ illis assentiuntur. Hæc Smidelinus.

Mirum quòd iam tādèm aliquid de sua pertinacia remiserit homo pertinacissimus, & episcopis aliquas in iudicando partes dederit. Sed Brentius in epistola contra Petrum à Soto, episcoporum non meminit. Verùm quid tibi vis, Smideline, dum ais, Principes tametsi iudicio doctorum ducantur, non tamen sinè iudicio conscientiæ suæ assentiri? An sinè ratione & iudicio conscientiæ suæ episcopos & præpositos Ecclesiæ videntur audire principes, quādò ex omnibus terrarum plagis conuocati, & de religionis negocijs in Bred.

js in œcumenico concilio consultantes, & quid sequendum credendúmve sit definientes, audiunt & sequuntur? An'ne magno cum iudicio conscientiæ suæ tibi agere censebitur princeps ille, qui vniuersæ Ecclesiæ decreto acquiescit, qui hanc, & in hac ipsa ipsum spiritum sanctum loquẽtem audit? An'ne ἀλογώτατυν & omni rationi è diametro contrariũ fuerit, Principem ciuilibus causis perpetuò occupatissimum, ad sui iudicij examẽ velle reuocare, quod amplissimus & sacerrimus ecclesię pręsidum Senatus, immò quod ipsa Ecclesia, ipse Spiritussanctus sua inuiolabili sententia extra omnem controuersiam constituit, decreuit ac definiuit? Hoc si concedendum sit, quid superest aliud, quàm vt quilibet Arrij, Nestorij, Eutychetis, Pelagij, Iouiniani, Manis, ac Donati, reliquorũq; hęresiarchων damnatas hęreses ab inferis resuscitet, ad incudẽ reuocet, suo iudicio discutiat, & si videbitur, denuò in concionẽ ꝓducat, quemadmodùm multis in locis factitatum conspicimus? Nónne ante triennium in quodam Morauiæ oppido Sternberg (vt refert D. Fredericus Staphylus in Apologia sua) quidã Euangelic⁹ concionator docere cœpit Christũ non esse Dei, sed Ioseph & Mariæ filium, quę non hunc solũ, sed complures etiàm alios filios peperit: Ioannis Euangelium, esse figmentum Platonis: Baptismũ, inuentum satanæ: in Deo nullam esse Trinitatem, incertumq́; vtrùm hæc mas sit, an fœmina? Sunt etiàm in Vngaria, qui baptizantes, filij nomen penitùs omittunt. Sunt Seruetiani, qui S. Trinitatem (horresco referens) vocant tricipitem Cerberum. Refert ibidèm Staphylus ex quodam Stanislao Barone Polonico, in Poloniæ oppido Pintzou, quendam Georgium Brandatã & Petrum Statorium publicè docere, non vnum, sed tres esse deos, qui ęquè à se sint diuersis essentijs diuisi, àc tres separati homines. Itaq; non vnam esse diuinitatis essentiam, sed tres essentias, tres discretas actiões, tres voluntates, filiumq́; esse patre minorem: Symbolum verò Athanasij, meritò debere symbolũ Sathanasij appellari. De his tantis in Deũ blasphemijs, cùm Brandata & Statorius essent admoniti & rogati, quorum freti authoritate, talia auderent spargere: eos respondisse, primùm authoritate Caluini, Vuolffgangi Musculi, Petri Martyris, Bullingeri & similium, qui planè idem sentiant ac profiteantur: De-

Deindè euidentia veritatis diuinæ, quæ hactenùs occultata latuerit, iam verò diuinitùs sit reuelata. Adiungit & illud, ante bienniū exortam esse hæresim in Boëmia, quæ palàm dicat, omnes reliquas opiniones de Deo, de cultu diuino, de fide, de bonis malísve operibus, ac de ipsa deniq; salute hominum, aniles & friuolas esse fabulas: hanc vnicam legem ratam esse firmamq́; præ om̄ibus, hominis, cùm mortuus sit, & corpus & animam penitùs interire, nec post mortem vllum animæ sensum relinqui.

Idem nunc in Anglia plurimos sentire, & à multis audiui, & cùm istic agerem, non obscurè perspexi. Quæ autem est horum mōstrosissimorum errorum causa? Quæ alia, quàm quòd illis quæ semèl rectè definita sunt, nō acquiescimus, q̄ nullis decretis sinè nostro iudicio volumus assentiri? Sed vt ad principes reuertamur, si princeps episcoporum & conciliorum decreta tutò sequi non poterit, sed suo ea iudicio examinabit, non potest non vanum esse & commentitium, quod D. Paulus ad Ephesios scribens, ex Psal. 67. profert: Asscendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. Quæ autem sint illa dona, subiungit Apostolus: Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Euangelistas: ab hac enim triplici functione & ministerio, nempè Apostolorum, Prophetarum, & Euangelistarum, scriptura sacra ex Sanctispiritûs instinctu confecta est. Porrò cùm eadem multis scateat mysterijs, eam ob rem Christus Dominus non modò Apostolos, Prophetas & Euangelistas, sed prætereà etiàm pastores & doctores dedit, qui Apostolicæ & ꝓpheticæ doctrinæ verum germanumq́; sensum populo tradant & explicent, nè sint paruuli fluctuantes, & circūferantur omni vento doctrinę. Alterutrum igitur dicendum fuerit, vt vel pastores & Doctores instituant Principes, eisq́; diuinorum mysteriorum explicationem tradant, vtì vult Apostolus, aut vt hi iudicis & doctoris personam suscipiant in illos. Eligat ex his Smidelinus vtrum volet: mihi sanè sententia est, Apostolo subscribere, cùm scriptura sacra propria interpretatione non fiat, vt loquitur D. Petrus: & Prophetæ abominantur illos, qui sequūtur spiritum suum. Hinc enim fit, vt si princeps vel præfectus aliquis sit Suencfeldianus, eandem etiàm reli-

Ephe. 4.

2. Pet. 2.
Eze. 13.

giorem docere cogatur Ecclesiastes. Si verò Zuinglianus vel Osiandrinus, vel Anabaptisticus vel Illyricanus &c. iam plebs repudiata priori religione, nouam fidei formam amplecti compellitur. Nos igitur, exploso hoc Smidelini seditioso schediasmate, apostolicam doctrinam amplectimur, ex qua discimus, ex institutiõe diuina quosdam doctores & pastores in ecclesia constitutos. Deindè nihil dubitamus de certissima promissione Christi, qua promi-
Matth, 28. sit se ecclesię suæ, id est, iuxta D. Chrysostomum, pastoribus & prępositis eius, adfuturum vsq; ad consummationem seculi. Scimus prætereà, quàm seuerè præceperit vt Ecclesiã audiamus, cuius vmbram synagogam sinè om̃i tergiuersatione voluit audiri, nec sustinuit prolatam à sacerdote sententiam vlteriori examine discuti. Si vmbram ecclesiæ tantam authoritatem obtinere voluit, vtiq; maiorem aut certè non inferiorem ipsi ecclesiæ tribuisse dicendus est.
Epist. 78. ad Leonẽ Augustum. Quæ igitur semèl patefacta sunt quærere, inquit beatissimus Leo, quę perfecta sunt retractare, quę definita sunt conuellere, quid aliud est, quàm de adeptis gratiam non referre, & ad interdictæ arboris cibum, improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere? Et inuictissimus ille Christi diuinitatis vindex Athanasius, apologia 2. Quæ nunc, inquit, à tot ac talibus episcopis probata sunt ac decreta, superuacaneum esse denuò reuocare in dubium, nemo nõ confitetur. Facilè hoc agnouerunt pientissimi Imperatores Valentinianus & Martianus, loquentes de concilio Chalcedonensi: Verè impius atq; sacrilegus est, inquiunt, qui post tot sacerdotũ sententiam opinioni suæ aliquid tractandum relinquit. Extremæ qppe dementiæ est, in medio & perspicuo die commentitium lumen quęrere &c. Accedit huc, quòd concilia Oecumenica legitimè cõ-
1. Tim. 3. uocata, vniuersam repræsentant ecclesiam, quæ cùm sit columna & fundamentum veritatis, cùm promissiõem habeat à Christo, portas inferi aduersùs eam non præualituras, vtiq; errare non potest. Huius igitur decretis qui obtemperare nolit, qui priuato iudicio sanctiones illius discutere & examinare contendit, nec assensum suum præbet, nisì suo ingenio per omnia satisfactum sit, an nõ verè impius atq; sacrilegus erit, vti pientissimi Imperatores pronunciant, qui post tot sacerdotum sententiam suæ opinioni aliquid tra-

tractandum relinquit? Per illos enim vniuersam ecclesiam loquétem audit. Plenarij concilij sententia, inquit D. Augustinus contra Donatistas, totius ecclesiæ consensio est. Sic in libris Regum legimus, omnis ecclesia Israel stabat, id est, maiores & primores Ecclesiæ. Porrò si concedis, Smideline, Episcopos & Ecclesiæ ministros 3. Reg. 8.
controuersiarum religionis esse iudices, ità tamen, vt principes sinè iudicio suæ conscientiæ non teneantur assentire: quid, quæso, nobis concedis? Quid si Arrius aliquis exurgens, cótrouersiam de diuinitate Christi resuscitet, Ecclesię ministri tueantur τὸ ὁμοούσιον & consubstantialitatem, Arrius reclamet, Cóstantius adstipuletur Arrio? Quis tandèm erit contendendi finis, si ecclesiæ proceres pédebunt ab assensu & voluntate Constantij? Vides Smideline, tuorum paradoxorum absurditatem. Rectè igitur Augustana Confessio sinè vllius conditionis additamento, ecclesiæ ministros doctrinę ecclesiasticæ censores & iudices pronunciauit. Disertis verbis iu ea confessione scriptum continetur: Secundùm euágelium seu (vt loquuntur) de iure diuino nulla iurisdictio competit episcopis vt episcopis, hoc est, ijs quibus est commissum ministerium verbi & sacramentorum, nisi remittere peccata, item cognoscere doctrinam, & doctrinam ab euangelio dissentiétem reijcere, & impios quorum nota est impietas, excludere à communióe ecclesię. Vanissimum autem est, quòd tu Hosium, hoc placitum vestrū adducentem, calumniæ redarguis.

Augustana, inquis, Confessio docet, ad episcopos non pertinere ius gladij, sed ministerium docendi Euangelij. Ex hoc sese probare confidit Hosius, ad principes non pertinere iudicium & cognitionem, quod authoribus confessionis nunquàm in mentem venit. Sed quem mendaciorum non pudet, quomodò pudere posset deprauationum & calumniarum? Hactenùs tua verba Smideline.

Vbì rursùs insignem illam tuam impudentiam satìs admirari nequeo. Qua fronte enim dicere audes, authoribus Confessionis Augustanæ nunquàm venisse in mentem, ad Principes non pertinere iudicium & cognitióem, cùm disertis verbis, etiàm te ibidèm recitante, dicant episcoporum esse cognoscere doctrinam, & reij-

cere doctrinam ab Euangelio dissentientem, nisi tu fortè principis & episcopi munus confundas? Vbi frons? vbi mens tua? Neque verò dissentit ab hac sententia Philippus in breui quodã scripto, quod de hac ipsa materia edidit, vbi non permittit principibus de doctrina iudicãdi potestatem, verùm custodes eos tãtùm esse vult primæ & secundæ legis tabulæ, hoc est, sicut Catholici interpretã-
Rom. 13. tur, vt meminerint se non sinè causa gladium portare, præbeãt sese ecclesiæ vindices & aduocatos, nè sustineant hæreticos pro DEI verbo sua commenta simplici populo venditare, vt eos quos ob notam impietatem & manifestam pertinacemq; hæresim Ecclesię præpositi à communione ecclesiæ excluserunt, (vtor verbis Confessionis Augustanæ) pergentes tumultuari & seditiones excitare, ense recidant, nè pars syncera trahatur.

Cap. 9.

Brentius quomodò iudicium causarum Ecclesiasticarum inuoluat. Item ne Ethnicos quidem Imperatores vsurpâsse sibi iudicium causarum ecclesiasticarum.

IAm & ipse Brẽtius quomodò inuoluat iudicium causarum ecclesiasticarum, quomodò nunc principes, nunc quemuis ex plebe, nunc scripturam ipsam, nunc quemcunq; verbum Dei adferẽtem, nunc spiritum sanctum intrinsecùs in cordibus nostris certificantem, nunc Christum iudicem constituat, nôrunt illi qui legerunt epistolam eius ad illustriss. Ducem Vuirtemb. contra Petrum à Soto. Quorsùm opùs est, tot tamque incertis & friuolis ambagibus, vbi & sacræ literæ, & veteris synagogæ obseruatio, & perpetua praxis & vsurpatio vniuersæ Ecclesiæ Catholicæ ab Apostolorum temporibus ad hodiernum vsq; diem, vbi constans ille & concors vetustissimorum ecclesiæ doctorum cõsensus, vbi tot doctissimorum virorum luculenta testimonia, vbi tam multorum laudatissimorum Principum exempla & edicta, immò & Senatûs populiq; Luterani placita breuissimo certissimoq; compendio demonstrãt, qua via, qua methodo insistendum, quo ordine & modo in eiusmodi controuersijs agendum? Brentius hæc ridere, Smidelinus criminari,

minari, hæreticus execrari poteſt, veris & iuſtis rationibus refellere non poteſt. Vis iam Smideline, vt etiàm Ethnicorum exemplo demonſtremus, fas non eſſe, quod tu fas eſſe ducas, vt ſecularis magiſtratus (ad quod tam gladiatorio animo claſſicum canis) Eccleſiaſticis ſe cauſis immiſceat? Difficile quidem id eſſe videtur, ſed piculum tamen faciemus. Fuerat à Catholicis epiſcopis propter hęreſim ex communione piorum eiectus & epiſcopatu priuatus Paulus Samoſatenus, quo tempore Imperij gubernacula tenebat Aurelianus Imperator Chriſtianæ fidei perſecutor. Paulus, quoniam videbat Imperatorem Ethnicum, epiſcoporum decretum contempſit, nec ab Eccleſiæ domo voluit abſtinere. Quid facerent catholici? Confugerunt ad Imperatorem ethnicum. Ille verò quanuìs Ethnicus, intelligebat tamen ſui muneris non eſſe, vt inter epiſcopos iudicaret. Sed conuenientiſſimè decreuit, ſicut ſcribit Euſebius, vt illis ea domus adiudicaretur, quibus epiſcopi Italiæ & Romæ in dogmate concordes ſcriberent. Ità Paulus per ſummā ignominiam Eccleſia pulſus eſt. Vides quemadmodùm nec Ethnicus Imperator licere ſibi putauit, vt epiſcoporum ſe ducem conſtitueret, verùm ad ſuos iudices eos remiſerit. Vides non modò Catholicos, verùm ne hęreticos quidem, quantunlibèt nonnullos eorum ſæuiſſimos tyrannos, quin etiàm ne graues quidem Chriſtianæ fidei perſecutores Imperatores Ethnicos, fas eſſe ſibi putâſſe, vt inter Epiſcopos de cauſa fidei cognoſcerent: & tu Smideline illud modò regibus & principibus, modò etiàm cuilibet ex infima vulgi fæce licitum & integrum eſſe cōtendis? Quæ eſt hæc animi tui tam effrenis impotentia? quod eſt iſtud tam ardens Apoſtolicæ ſedis & Catholicorum epiſcoporū odium, vt & ſuperioris & huius ętatis noſtræ hæreticos pertinacia, Principes tyrannos crudelitate, imperatores Ethnicos peruerſitate ſuperare coneris, dummodò odio tuo pluſquàm Vatiniano ſatisfacias? Hoc quod iam retulimus exemplum, inter cætera quoq; refert Hoſius, quod tu tanquàm elūbe & ineptū exibilas, videlicet nō eſſe mirum ſi Impatores Ethnici cauſas religionis, quam illi repudiabāt, ad epiſcopos relegauerint: quod tametſi ità ſit, dignum tamen obſeruatu eſt, nec ad veſaniam veſtram, qua in Romanam eccleſiam inſurgitis, confutandam parū

Nicep. li. 6. cap. 29. Euſebi⁹ lib. 7. ca. 26. Eccle. hiſt.

efficax, quòd Aurelianus coutrouersiæ definitionem eorum iudicio episcoporum præcipuè commiserit, qui Italię & Romę præsiderent, quibus dum tu petulantissimè insultas, nunc antichristos, nunc idola eos appellitans, audi quid D. Cyprianus Pontifex & Martyr Nouatiano episcopos iudicare voléti, respondeat: Ad hoc deponenda est Ecclesiæ Catholicæ dignitas, & plebis intùs positæ fidelis atq; incorrupta maiestas, & sacerdotalis quoq; authoritas ac potestas, vt iudicare velle se dicant de Ecclesiæ proposito extra ecclesiam constituti? de Christiano hæretici? de sano saucij? de integro vulnerati? de stante lapsi? de iudice rei? de sacerdote sacrilegi? Tibi dictum hoc esse putes, Smideline, tibi qui tanto & tam Satanico odio Romanam & Catholicam Ecclesiam, eiusq; episcopos & Pontifices persequeris, qui teipsum accusatorem, testem ac iudicem totius Ecclesiæ Catholicæ constituis. Tibi quoq;, etiamnùm hodiè in scriptis viuens ac loquens, dicit D. Augustinus: Cathedra quid tibi fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua hodiè Anastasius sedet? (in qua hodiè Pius V. totius orbis testimonio laudatissimus Pontifex sedet?) Videlicet hoc est quod ardentissimo odio Cathedram Romanam persequimini, vt quemadmodùm Epicurei eam quam vehementer reformidabant diuinam prouidentiam, nullam esse dicebant, vt liberiùs ipsi in illo turpissimo voluptatum cœno volutarétur, ità vos, gubernatore sublato, atrociùs circa Ecclesię naufragia grassemini.

lib. 1. epist. 3.

Augu. lib. 2. cõt. lit. Petilia. ca. 51.

Cap. 10.

Ab exemplo Caroli Quinti & Ferdinandi Imperatorum demonstratur, quorsùm pertineat iudicium causarũ Ecclesiasticarum: & obitèr nonnihil de historia Socratis, & iudicio Theodosij.

SEd vt à tuo tam deliro & arroganti iudicio, ad Principes reuertamur, quod vis illustrius ac præclarius exemplũ Christiani Principis, quàm nostra hac tempestate in Illustrissima Austriacæ domûs familia? Obserua qualem se præbuerit D. Ferdinandus Augustus, qualem inuictissimus pientissimusq; eius frater

frater Imperator Carolus Quintus,quod iam non meis,ſed Hoſij Antiſtitis verbis tibi recitare pergam: Non,inquit,te clam eſt proculdubiò,quemadmodùm Leo decimus Pōtifex Romanus,Martinum Luterum ante annos plùs minùs triginta ſex,errantem in viam reuocare conatus fuerit. Apud quē cùm nihil paternis adhortationibus profeciſſet,de conſilio Patrum ampliſſimorum, & eorū qui ſacrarum literarum doctrina præſtabant, Martinum veſtrum hæreticum pronunciauit.Ac miſſo nuncio ad vnum omniū Chriſtianiſſimum Imperatorem,vereq; Catholicum Regem Carolum, poſtulauit ab eo tanquàm primario filio & aduocato,vt ſedis Apoſtolicę ſententiam ſecutus,pœnas contra eum decerneret,quibus hęretici condemnari conſueuerunt,iuxta morem à priſcis Imperatoribus Chriſtianis & orthodoxis obſeruari ſolitum. Quid ad hæc pientiſſimus Imperator,auitæ religionis & puri verbi DEI ꝓpugnator acerrimus?Minimè grauatìm ſe facturum oſtēdit,quod à Primario eccleſiæ filio & aduocato factum oportebat.Quoniam verò nonnulli vehementèr inſtabant, vt priùs hominem ad ſe vocaret,quàm ad executionem decreti à ſancta ſede Apoſtolica lati proceſſiſſet,nec illis negare,nec aliquid quod perſonę ſuę nō eſſet, admittere voluit.Quamobrem nè ſecùs aliquis factum hoc illius interpretari poſſet,in ſuo proſcriptionis edicto,quod promulgari fecit,cauſam,cur eum accerſiri voluerit,ijs verbis aſſcripſit: Non vt nos,inquit,de negocio hoc iudicaremus aut cognoſceremus,cùm id proculdubiò ad Rom.Pontificem & ſedem Apoſtolicam pertineat:neq; res ſacroſanctæ fidei noſtræ tandèm poſt tot ſecula per nouas altercationes,cum magno fidelium ſcandalo & perturbatione ac infidelium deriſione in controuerſiam vocari pateremur, ſed vt cum vulgi & plurimorum ità petentium ſatisfactione hominis animum percontantes, eum bonis monitionibus & ſuaſionibus ad rectam ſemitā, ſi fieri poſſet,reduceremus. Vides quēadmodùm & hic non obſcurè ꝑ ſe tulerit,ſui non eſſe muneris de doctrina religionis cognoſcere?Clariùs autem etiàm id oſtendit,cùm ei ante annos vigintiſeptem libellus Auguſtanæ confeſſionis oblatus,iudiciumq; fuiſſet illius requiſitum: tum enim nulla circuitione vſus, reſpondit his, qui hoc à ſe poſtulauerunt, non velle ſe quic-

quicquam determinare, neq; posse concludere de negocio religionis, verùm apud Pontificem Romanum pro officio suo diligentèr se daturum operam de cógregando Concilio generali. Agnoscis, opinor, verba vestrę Confessionis Augustanæ. Sic sibi religiosissimus Imperator nihil eorum vsurpare volebat, quę sui non esse muneris intelligebat. Hactenùs ille.

Eas iam Smideline, & iactes historiam Socratis, quam si non vidit Bredenbachius, vidit tamen illa, quę de hoc laudatissimo Imperatore Theodosio probatissimi quiq; historici commemorant, ad quę rursùs tu more tuo prorsùs obmutescis, vt interìm quòd
li.12.ca.15. Sacrates à plurimis improbetur, hîc prætereā. Vidit quę Nicephorus in eādem cum Socrate sententiam scribit, quibus bona fide recitatis, respondet: Ostendimus, inquit, ex Nicephoro, quomodò Theodosius in eo concilio non sit nixus suo ipsius consilio & iudicio, sed sempèr habuerit sibi coniunctum episcopum suū Nectarium, tanquàm generosus aries in grege suum pastorem: huius cōsilijs atq; illius Sisinij, illa quę diximus, gessit. Huius, inquam, Nectarij præiudicio fretus, ecclesiæ catholicæ sentētiam amplexus retinuit, & cum summa admiratione veneratus est. Hactenùs ille.

Ad hęc, tum etiàm ad gesta verè Magni illius Imper. Cōstantini in Cōcilio Niceno, respōdere te oportebat Smideline, quod quia nulla veritate, quantunuìs fucata, facere potuisti, neq; vnq̄ poteris, illis planè dissimulatis, præ nimia animi tui impotētia excanduisti, & velut enthusiasmi cuiusdam paroxysmum sustinens, plenis conuiciorum plaustris Bredenbachio insultâsti: quibus si ego te vicissìm petere vellem, neq; occasio, neq; materia me destitueret. Verùm satìs habeo tuas calumnias cum veritate refutâsse. Conuicijs & contumelijs in Catholicos profusis, fortasè tuorū aures demulces: veritatem tamen orthodoxam, quam sola habuit, habet & perpetuò habitura est Ecclesia Catholica, non expugnas, immò ne lędis quidem, sed instàr rubiginis ferrum consumētis, vestrā ipsorum causam afflictiorem reddis, spirituumq; vestrorum (quos ꝓbari vult Apostolus, an ex Deo sint) natiuam indolem testatam &
1. Iohan. 4. apertam facis.

Cap. xj.

Cap. xj.

Quàm malè sibi consulat Brētius, quòd talem elegerit aduocatum, qualis est Smidelinus.

PRosequitur Smidelinus: Sed vt donemus, inquit, tibi ignorantiam, qua abundè teipsum hoc libello commendas, quæ causa tibi fuit debacchandi aduersùs innocentē Brērium, de Republica Christiana optimè meritum? &c. Smid.

Videri posses ex hoc quidem gustu vir non per om̄ia pessimus, videlicet amicitiæ cultor. Sed Marcus Tullius & Aristoteles tuentur, non esse inter malos amicitiam: Vos autem an mali dicendi sitis, quos vniuersa ecclesia, & quidem illa quæ ab Apostolorū temporibus vocata fuit Catholica, cognouit, pronunciauit, ac damnauit hæreticos, cuiusuis æqui rerum arbitratoris esto iudicium. Cæterùm multi suspicantur, Brentium sub Vulcania larua latitantem, suam hîc innocentiam, eruditionem, probitatem & merita sibi reuindicare & orbi commendare. Quæ si putat se verè vnquàm possedisse aut possidere, non est quod metuat per vllius hominis sinistram opinionem vllum dispendium acceptura, nedùm per Bredēbachium, quem de Lutero potiùs eo loci commemorâsse non improbabilitèr dixerimus, qui primus omnium se censorem totius orbis constituit, quiq; plusquàm lupina rabie concitatus, seipsum vrsam & leænam Catholicis fore pollicetur. Luterum, inquit, habebitis vrsam in via, & leænam in semita. Quod cùm reipsa prǫstiterit, non est quòd indigneris illum cum suo dissertatore Diabolo lupum nominari. Sin autem Brentius hanc purgationē per cōductitium aliquem rabulam expedire, & tua dicacitate ad delicias suas abuti maluit, Smideline, iam non Bredenbachius, sed ipse Brentius suam ipsius existimationem etiàm apud illos, qui hactenùs fortasſis præclarè de ipso senserunt, vehementèr ambiguam & suspectam reddit, qui causæ societatem cum te tali (nolo enim hîc personæ tuæ adiacentia, connexa, aliorumq; pronunciata oposiùs commemorare) non erubescat contrahere, cùm nôrit vulgò dictitari, aues eiusdem coloris, plerunquè simultaneo volatu delectari. Si Dion Prusensis Homerum sempèr ferè mendacio dele- Bred.

Vide Roffē. in ꝓlogo defensiōis assertionū regis Angliç.

FF cta-

ctatum, ex eo collegit, quòd Vlyssem illum erronem delicias suas omnia ferè mentientem inducit, possent homines arguti, Brentij ingenium ex tuo iudicio, quem pro se loquentem inducit, qui in dolis, technis & mendacijs fabricandis Vlyssis ingeniũ bellè æmulatus videris, vt Brentio fideliter seruias. Proindè rectè in te exclamare videtur Lyricus: O imitatores seruum pecus.

Cap. 12.

Ecclesiam militantem non carere maculis suis, & Euangelicos falsò suum negocium comparare causæ Apostolorum.

QVòd ad vitia & abusus, quos tu iam hîc denuò obmurmuras, attinet, fatemur cum Bredenbachio, immò & tecum, ecclesiam ab his non esse immunem: sed neq; fuit etiàm in ipsis primordijs, vt suprà docuimus, nec erit vnquàm ab huiusmodi prorsùs immunis, quàm diù militat & peregrinatur in huius mundi deserto. Hîc enim locum habet illud ipsius sponsæ, Nigra sum, sed formosa. Nunc in loco peregrinationis suæ, si diceret, inquit D. Bernardus, quia nigredinẽ nõ haberet, seipsam seduceret, & veritas in ea non esset. Sed erit tempus, vt dicat iuxta Prophetã, Repètè vastata sunt tabernacula mea, subitò pelles meæ. Priùs igit̃ nigra sicut vilissima tabernacula Cedar, posteà formosa sicut pelles gloriosi Salomonis. Nunquàm ꝑfectò tam felicitèr actum est, cum rebus humanis, quin vel exigua aliqua hominum societas, malorum admixtu vitiaretur. Notum est inter Apostolos fuisse Iudã, & tu inter tam multos, in tam magna Dei domo nulla sustinebis vasa lignea aut fictilia incontumeliam? nullam admittes in spõsa maculam aut rugã, nihil nigricans, nihil fuscum, quæ iam tanto tempore consistit in palæstra, versatur in agone, donèc bonum certamen certauerit, donèc cursum felicitèr consummauerit, donèc accepta corona exultet, glorietur & triumphet cum sponso in æternum? Iam quid de vestris moribus attinet dicere? Quàm latum, quàm spatiosum dicendi campum mihi hîc præberent vestri adulteri, incestuosi, polygami, scortatores, temulenti, perfidi, proditores, perduelliões, aleatores, decoctores, & alijs mille flagitijs infames? Notiora sunt hæc, quàm vt exemplo ege-

Can. 1. Ser. 25. in Cant. Iere. 4. Can. 1.

egeant. Nimìs prô dolor notum, nimìs immane & luctuosum est, quod nupèr acerba bonorum omnium detestatione sensit Herbipolis. Nolo plura id genus scelera, proditiones & perfidias commemorare, quæ velut densissima quędam seges, promicante hoc Euangelio, ità repentè suppullulârunt, vt omnem omnium seculorum memoriam atrocitate & immanitate longè excedant. Dices, Christi & Apostolorum doctrinā secutos esse tumultus & rumores bellorum. Longè quidem aliud hoc est, Smideline: sed quæso te, quorsùm ista vobis tam solennis & frequens comparatio? Quid Christi & Apostolorum causa cum vestro illo tragico motu habet commune? Quis vnquàm prophetes prędixit futurū, vt mox penè ab Apostolorum temporibus totus orbis ignoraret Christum, ac pro Deo coleret idola? tum quotquot in Apostolorum vicem successissent, excæcati nihil viderent in sacris literis? tādèm verò post mille trecentos annos, à vobis nouis Euangelistis ad veritatis cognitionem reuocaretur? Videbatur sapientibus & prudentibus absurda Christi & Apostolorum doctrina, & verè arduum negocium moliebantur. Vos autem, si verum dicitis, certè causam longè difficiliorem sustinetis, quàm olìm habuerūt Apostoli. Nec enim paulò facilius erat, Iudaicos abrogare ritus, ac gentium superstitiōem destruere, quàm ea conuellere, quæ Ecclesiæ proceres magno cōsensu tot seculis vt oracula Dei coluerunt, docuerūt, ac tenuerūt, hodieq; tenent. Nam gentium religio tantum habebat absurditatis, vt etiàm qui inter illos literas scirent, aut paulò essent cordatiores, intelligerent esse mera figmenta, quæ de dijs ferebantur, à callidis hominibus in hoc excogitata, vt incōdita multitudo quę philosophiæ rationibus gubernari nō poterat, deorum metu vtcunq; contineretur. Sic Numa Pompilius Ageriæ Nymphæ familiaritatē simulabat, vt vel inanem religionis persuasionem incultis & ferocientibus Romanorum Sabinorumq; animis ingereret. Homerus quoq;, tametsi passìm infinitam illam gētilium idolorum πολυθείαν suo assensu comprobare videretur, tectè tamen in Iliade, qua erga eiusmodi indigetes religione duceretur, insinuauit per catenam auream è cælo per Iouem demissam.

Herbipolis

Cap. 13.

Nihil vnquàm à prophetis prædictum, quòd mundus tantis tenebris obrueretur, vtì obrutum esse iactant Euangelici, easq; ab ipsis illustrandas. Præterea Christi apud Matt. 24. de venturis pseudoprophetis, & Pauli ad Thessal. de Antichristo vaticinia, non de Catholicis & Romano Pontifice prædicta, vt contra Hosium adstruit Smidelinus, sed de ipsis potiùs hæreticis, verissimis antichristi præcursoribus, ac demùm de ipso Antichristo.

IAm & prædictum erat Prophetarum vaticinijs, futurũ vt gentes, relicto dæmonum & simulacrorum cultu, verum Deum agnoscerent, quemadmodùm & de Iudaicis cæremonijs prędictum erat, futurum vt ad coruscantem Euangelij lucẽ velut vmbræ euanescerent. At in his quæ vos conuellitis, si simplici & incorrupto oculo rem consideretis: quid, obsecro, absurdum aut ridiculum? Vbì deindè Prophetarum vaticinia de obruituris vniuersum orbem tenebris, & suborituro splendore Euangelij vestri, ꝙque abolita Cathedra Petri & episcopi Romani, nouam ecclesiæ reformationem auspicaturus esset Christus per Luterum? mox deindè Luteri doctrinam mutilandam & penè extinguendam per doctrinã Caluini? Nam ꝙ Christus prædixit pseudoprophetas vẽturos, de vobis, totaq; hæreticorum colluuie pronũciatum est, qui iam indè ab Apostolorum temporibus Ecclesiam oppugnauerũt: non de nobis, quotquot Ecclesiam Catholicam & huius doctrinã sequimur, tametsi tu aduersùs Reuerendissimum Hosiũ, illũ Christi locum apud Matthæum, Multi pseudoprophetæ surgent & seducent multos &c. in Catholicos torqueas. Pro pseudoprophetis hisce, sempèr habiti sunt hæretici, cuiusmodi fuerũt inprimìs Ebion, Cerinthus, Marcion, Nouatus, Manes, Arrius, Pelagius, Iouinian9, Nestorius, Heluidius, Vigilantius, Aërius, Donatus, & id genus pestes, à quibus omnibus oppugnata fuit ecclesia Catholica, & syncera Christi doctrina. Quæro iam ex te, Smideline, contra quos hi pseudo-

pag. 341.
Matt. 24.

pſeudoprophetæ ſurrexerunt? Contra veſtram Eccleſiam, an noſtram hanc Catholicam? Si contra veſtram, dic vbì terrarum ea tūc fuerit, quos epiſcopos & præſides, quem clerum, quos populos, quas vrbes habuerit, in quibus agnita fuit. Iam ſi extra controuerſiam eſt, hos fuiſſe pſeudoprophetas, & certum eſt, vos eadem cum ipſis docere, eandem cum ipſis eccleſiam oppugnare, vides quos pſeudoprophetas Chriſtus notauerit. Porrò quòd eandem cū ipſis doctrinam profiteamini, itidèm extra controuerſiam eſt. Manes & Fauſtus Manichæus, Cathari atq; item Vigilantius calumniabantur Eccleſiam Romanā & catholicos, quòd reliquias & ſepulcra Martyrum venerarentur, quòd Sanctos inuocarent. Eodem nomine & vos Catholicam eccleſiam idololatriæ accuſatis. Nouatus ac Donatus ſacrum Chriſma & Confirmationis ſacramentum cōtumacitèr reſpuebāt, teſte Theodoreto. Eandem impietatem tu Smideline, cum tuis foues. Aërius, teſte D. Auguſtino & Epiphanio, docebat non eſſe ſacrificandum pro defunctis. Idem tu cum tuis gregalibus paſsìm declamitas. Porphyrius, Eunomius, & Euſtathius miracula ad martyrum ſepulcra deſignata, dicebant præſtigias dæmonum: eandem blaſphemiam tu iſto ore tuo eructare non erubeſcis. Iouinianus virginitatem docebat nō præſtare matrimonio, nec maioris meriti exiſtimandam. Idem tu cum tota ferè ſubantiū ſymmyſtarū cohorte. Simon Magus, teſte Theodoreto & Irenęo, dictitabat, non per opera nos ſaluari, ſed per fidem. Itidèm & tu cū tuis dogmatizas. Poſſem id genus plures damnatæ memorię hæreticos, etiàm à teipſo ac tuis, pro hæreticis habitos, hîc recēſere, quibuſcum cauſæ ac doctrinæ communionem habes, quiq; propter hanc ipſam doctrinam quam tu cum illis foues, ab vniuerſa eccleſia Catholica damnati, à vobis etiàm inter hæreticos & pſeudoprophetas cenſentur. ſed de his fortaſsè dabitur aliâs vberior dicendi locus. Vides igitur Smideline, & vel inuitus videre cogeris, te cū hiſce pſeudoprophetis ab ipſo Chriſto notatū, nosq; admonitos, vt à te tuisq; magiſtris pſeudoprophetis caueamus. Si vaticinijs delectaris, in vos & Luterum veſtrum illud Ioannis competit: Et data eſt ei clauis putei abyſſi, & apuit puteū abyſſi, & aſſcēdit fum⁹ putei, ſicut fumus fornacis magnæ, & obſcurat⁹ eſt ſol & aër de fumo

Hieron. cōtra Vigilan.

Hieron. aduer. Iouini.

Lut. in epithalamio

Cōfeſſiōis Vuirtemb.

Apo. 9.

putei. Hác clauẽ habuit Luterus vester, vt errores penitùs demersos atq; iá defossos, vtì nunc auditũ est, eruendo, tãta caligine orbẽ obduceret, vt vel lucẽ ipsam tenebris circũfudisse videretur. Sed quẽadmodùm post nubes ac nebulas sol plerunq; maiori cum splendore prorupit: ità fugatis ac discussis hæreticarum conflictatiõum nebulis, illustrior redditur fides Catholica. Ad Pauli locũ ad Thessalonicenses, à te hîc adductum, illud respondeo, mirari me impudentem illam tui oris improbitatem, quòd Pauli locum manifestè de antichristo illo sub consummationem seculi venturo, in Romanum pontificem torqueas. Cùm enim D. Paulus de vno tãtùm homine loquatur, ac tot post D. Petrum extiterint Pontifices, necessum est eos vel oĩes vel plurimos pro Antichristis habere. Adducas vel vnum aliquem ex veteribus & receptis Ecclesiæ interpretibus, qui hunc locum sic interpretatus sit, & credemus tibi. Sed libuit tibi in hac scena constituto iam impiam fabulam agẽti, rursùm aliquem insignem ac theatricum saltum tuis spectatoribus exhibere, ac transiliendo terminos quos Patres posuerũt, vniuersos huius loci interpretes conculcare. Docent autem hi omnes, hæreticos esse pręcursores antichristi illius, de quo Paulus Apostolus & Daniel vaticinati sunt, qui ex Iudæa in tribu Dan oriundus erit & regnabit annis tribus, mensibus sex, quo tempore tolletur iuge illud sacrificium. Triplex autem sacrificium in Ecclesia Catholica definiuit Chrysostomus, sacrificium laudis in voce, sacrificiũ iustitiæ in operibus, & sacrificium pacis per eucharistiam. In dimidio hebdomadis, inquit Chrysost. hoc est, tribus annis & sex mẽsibus hoc sacrificium Christianorum tollendum est ab Antichristo. confugientibus Christianis ante eum per loca deserta, non erit qui aut Ecclesiam intret, aut oblationem offerat Deo. Quomodò autem hæc conueniunt Romano Pontifici? Quomodò nõ vobis potiùs, ad hoc iuge sacrificium per Antichristum abrogandum, viam pręparantibus? Verè igitur vos estis Antichristi huius prodromi & p̃cursores, qui hanc abominationem desolationis, iam in aliquot ecclesias inuexistis. Quàm desolatas, quàm vastatas, prophanatas, & quiduis potiùs quàm Dei templa quibusdam in locis videamus ecclesias, adeò vt ne sacræ crucis quidem vllum videas vestigium, loquuntu

2. Thes. 2.

Hier. in ca. 11. Danielis. Augu. li. de bñdic. Iacob & trac. de Antichristo.

quuntur pleræq; ditiones ac regna, præcipuè Anglicanum, & insignis illius Londini Ecclesiæ, quarum horrendam ac miserabilem prophanationem, abominabilemq; desolationem, nemo pius sinè gemitu ac lachrymis conspicere queat. Quid est antichristi præcursorem agere, si hoc non est? Et tamen huic tam horrendæ Anglicanarum Ecclesiarum desolationi vehementèr applaudit Smidelin' aduersùs Hosium, quasi nunc respirare & amissum donum recuperare cœperit, cùm tamen Luterus apertè dixerit, phanaticos esse spiritus, qui tátis tumultibus in templis diruût altaria & statuas euertunt, ac pictas imagines ex mutis & miseris parietibus eradunt &c. De iugi ac tremendo Eucharistiæ sacrificio, quod à vobis nũc plerisq; in locis abolitũ, & ab antichristo delebitur, postmodùm vberiùs dicemus. Non igitur est, ô tu Antichristi prodrome Smideline, quòd Romanum Pôtificem blateres Antichristum esse, cuius certissimos vos esse præcursores, vero verius est, nec est quòd Pauli ad Thessaloniceñ locum pro tua impietate huc torqueas, (qui de solo illo atq; vnico Antichristo, imminente iam consummatione venturo, ac annis tribus & mensibus sex duntaxàt grassaturo, iugeq́ue altaris sacrificium abrogaturo, loquitur. Nec veniet hic Antichristus priùs, quàm Romanum Imperium sit sublatum, teste Chrysostomo. Donèc enim imperij illius timor fuerit, inquit, nemo antichristo statim subdetur: quandò verò istud fuerit destructum imperium, vacâtem imperij principatum inuadet, & tentabit ad se rapere & hominum & Dei imperium. Hæc ille. Porrò, in quem veriùs competat illud Pauli, qui aduersatur & extollitur supra omé quod dicitur Deus, in Luterúmne, an in Romanum pontificem, satis luculentèr demonstrauit colendus mihi parens Bredenbachius in epist. ad Consulem N. de negocio religionis.

Lut. in cap. 1. Ionæ.

In 2. Theff. cap. 2.

Verùm si pro tua impudentia contendas Christi prophetiam Matt. 24. de venturis pseudoprophetis, in Catholicos competere, quantulo quæso tempore lux Euangelij luxit post Christum, cùm apertissimis S. Patrum testimonijs, qui ab Apostolorum temporibus ad hoc vsque seculum vixerunt, probemus nos eandem cum ipsis Patribus & Apostolis doctrinã tradere? Si nos sumus illi pseudoprophetæ, cur tot seculis tãq; varijs hostibus oppugnata hucusq; de

Vide Matt. Bredenbac. epist. 1. de negoc. reli. G. 3, 4. & 5.

deomnibus hæresibus Catholica & Romana Ecclesia triumphat. vestri verò patres & antesignani, Nouatus, Manes, Donatus, Iouinianus, Vigilantius &c. iam olìm cum sonitu perierunt, ac vestro quoq; ipsorum iudicio damnantur. Omnia, quæ hucusq; euenerunt, atq; adeò ipsa schismata & hæreses prædictæ sunt, vt pulchrè declarat Augustin. vbì autem errores & tenebræ, quibus obrutam hucusq; Ecclesiam fuisse iactatis, prædictæ sunt? Adde quòd Apostolorum prędicationi fidem adstruebat perpetuus dogmatum in ipsa fide consensus, (nam Petri & Pauli dissensio, si nō simulata fuit, vt pleriq; existimant, Petrus tamen nec voce, nec calamo factum suum pertinacitèr defendit, vt solenne est Euangelicis, mutuò sese tantùm non discerpentibus) ac deindè stupenda miracula, vos autem non solùm dissentitis inter vos, sed ijdem subindè nouatis ritus ac dogmata, altera verò parte omīnò estis destituti. Arbitror autem nec miracula tantum attulisse momenti ad nouādum mundum, quantum Euangelistarum mores vndiquaq; puros & inculpatos. Et auocabant illi quidem à solitis, sed adducebant ad longè meliora. Vos strenuè clamatis in luxum sacerdotum, in ambitionē Episcoporum, in tyrannidem Romani Pōtificis, & zizaniam euellitis cum tritico, immò triticum potiùs euellitis pro zizania. At q̄d interìm nobis profertis melius & Euangelio dignius? Fieri potest, inquit ille, vt mea hæc sit infelicitas, quòd hucusq; neminē ex vobis conspicere datum sit, qui ex Euāgelij vestri doctrina seipso melior effectus sit: sed vereor, immò non dubito, quin hæc infelicitas mihi sit cum toto orbe communis. Iam si particulatìm & velut gradatìm enumerare pergam, quid abrogatis imaginibus, excussis solennibus precibus, antiquatæ Missæ, explosis ritibus & cæremonijs Ecclesiasticis, cōfessioni sacramētali, ieiunijs & ciborum delectui, monasticæ disciplinæ, melius & Christiana pietate dignius successerit, quis non videt quàm amplam, idoneam & iustam dicendi occasionem vestrum illud nouandi studium mihi subministret?

Aug. de catechizand. rudib.

Cap. 14.

Declaratur, quomodò Euāgelici corruperint verba Lyrani, vt eum contra Catholicos poßint producere.

Pergit

PErgit Smidelinus: In fine huius materiæ, Lyræ interpretatiõem carpit, qua sensum verborum Christi reddit, Tu es Petrus &c. vt principes summo s. Rom. Pont. subijciat, nè quid in religione sinè eius cõsensu statuant. De quo in pſentia nihil dicemus, ꝙ nihil ꝓrsùs adferat noui, quod nõ pridèm grauitèr sit confutatum, sicut suprà demonstratum est. Smid.

O bellum hyperaspisten. Sic sanè decet rebelles caballos, immò pigritantes asinos, omne frenum potiùs excutere, quàm mordere. Illustri declaratione docuerat Bredenbachius absurditatem sententiæ Lyrani, aliquòt paginis in ea consumptis, eamq; absurditatem augeri corruptis & truucatè citatis Lyrani verbis. Et illa quidem, quæ à vobis producantur Lyrani verba, in speciem videntur Petri eminentiæ nonnihil derogare, eamq; ob causam tam operosè, tantaq; contentione à vobis allegantur: sed vt ipsi scissi estis ab Ecclesia, ità quasuis quorunuis sententias insolentissima audacia, nè quid acerbius dicam, improbissimè scinditis, & quæ calumniæ materiam subministrant, fastuosè profertis: cætera fraudulento silentio dissimulatis. An quisquã putat talium artium administros & magistros habere fidem Euangelicam? Sanè hoc facinus cũ Apostolorum moribus collatum, si velim consuetis rationibus amplificare, vides quàm fœcundam habeã materiam. Neq; verò hìc tantùm desidero simplicitatem columbinã, sed humanam etiàm prudentiam. Facilè diuinare poterat Brentius, rem ipsam confutaturã esse mendacium. Non derogat Primatui Petri Lyranus, quod illa coronis adiecta satìs indicat, qua dicit: Licèt Petro principaliùs, inquantùm erat aliorum capitaneus. Iniuriã facit lupus, inquit Bredenbachius, non solùm nobis, quos authoritate Lyrani premere aggreditur, vetùm etiàm ipsi Lyrano, quòd huic affingit id, quod nunquàm sensit. Vides Smideline, vter carpat, vter iniuriam faciat Lyrano, túne cum Brentio, an Bredẽbachius. Vides etiàm nos technas & imposturas tuas animaduertere, quibus hunc tam durũ tibi & ineuitabilem scopulum voluisti eludere. Quid igitur iam percepisti? temporariam eius fuci vsuram? At cum fœnore recedit depræhensa vanitas, efficietq; aut iamdudùm effecit apud omes cordatos, vt ne vera quidem dicentibus habeatur fides. Is enim est ge- Bred.

genuinus mendacij fructus, vt refert Aristoteles. Immanè, quàm hæc non sapiunt Euangelicum spiritum quem iactitatis.

Cap. 15.

Luculenta & copiosa declaratio, quatenùs debeat fides adhiberi testimonijs SS. Patrum, in definiendis Religiõis cõtrouersijs.

Smid. ADmouet nunc Smidelinus machinas & arietes suos ad labefactandam S. Patrum authoritatẽ. Iam quod subiungit de patribus, inquit, hoc saltèm obseruãdum censeo, cùm S. Patrum interpretationem: tanquàm indubitatam veritatis regulam proponat, quæ in omnibus sequenda sit, quàm sibi non constet, quod ait, non eodem modo scripturam à S. Patribus explicari &c.

Bred. Hoc tametsi tam simplicitèr non dicat Bredenbachius, si tamen diceret, nihil peccaret. Hãc enim amussim velut indubiã veritatis regulam iam olìm ante annos mille perpetuò obseruârunt orthodoxi in genuinis & legitimis Ecclesiæ Catholicæ dogmatibus agnoscendis. Si qua noua exurgeret quæstio, inquit Lirinensis ille Vincentius, vbì vniuersalis Concilij decretum minimè reperiatur, recurrendum ad S. Patrum sententiãs, eorum duntaxàt, qui suis quiq; temporibus & locis in vnitate communiõis & fidei permanentes, Magistri probabiles extitissent. Et quicquid vno sensu atq; consensu tenuisse inuenirẽtur, id Ecclesiæ verum & Catholicum absq; vllo scrupulo iudicaretur. Quod nè præsumptione magìs nostra, quàm authoritate Ecclesiastica promere videremur, exemplum adhibuimus sancti Concilij, quod ante triennium fermè in Asia apud Ephesum celebratum est, viris clarissimis Basso Antiochoq; Coss. Vbì cùm de sanciendis fidei regulis disceptaretur, nè qua illic forsitan prophana nouitas in modum perfidiæ Ariminensis obreperet, vniuersis sacerdotibus, qui illò ducenti ferè numero conuenerant, hoc Catholicissimum, felicissimum atq; optimum factu visum est, vt in medium Sanctorum Patrum sententiæ proferrentur, vt scilicet ritè atq; solennitèr ex eorum cõsensu atq; decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur, & prophanæ nouita-

uitatis blasphemia condemnaretur. Et paulò superiùs: Quorum beatorum Patrum sanctum Catholicumq; consensum, nè quis sibi temerè fortè contemnendum arbitretur, ait in prima ad Corinthios Apostolus: Et quosdã quidem posuit Deus in ecclesia, primùm Apostolos, quorum ipse vnus erat: secundò Prophetas, qualem in Actibus Apostolorum legimus Agabum: tertiò doctores, qui tractatores nunc appellantur, quos hic idem Apostolus etiàm Prophetas interdùm nuncupat, eò quòd per eos Prophetarum mysteria populis aperiantur. Hos ergò in Ecclesia Dei diuinitùs per tempora & loca dispẽsatos, quisquis in sensu Catholici dogmatis vnũ aliquid in Christo sentientes contempserit, non hominem contemnit, sed Deum. Hæc ille.

1. Cor. 12. Ephe. 4.

Act. 11. & 21.

Meritò igitur magna cum veneratione quotquot Catholici sumus, eorum sententias recipimus, quandò verò legitimoq; volatu, velut Iouis alites & generosæ aquilę ad corpus Ecclesiæ cõuolant, certoq; deprehendimus ibì esse ecclesiæ corpus, vbì eiusmodi aquilæ congregantur, indicante idipsum ac demõstrante Christo, qua de re latiùs diximus alibì. Congregantur autem nõ quidẽ hoc pacto, vt omnes diuinæ legis quæstiones eodem modo explicent, sed vt fidei regulam consono ore profiteantur. Antiqua S. Patrum consensio, inquit idem Lirinensis, non in omnibus diuinæ legis quæstiunculis, sed solùm certè præcipuè in fidei regula magno nobis studio & inuestiganda & sequenda est. Quòd autẽ Smidelinus Patrum authoritatem libentèr cõpellit, in eo & magistrũ suum Luterum, & reliquos hæreticorũ primipilares imitatur. Sempèr enim atq; adeò ab ipso Catholicæ Ecclesiæ exordio, eo fuerũt ingenio hæretici, vt spretis & conculcatis Maiorum præceptionibus & institutis, nouas (vt inquit Epiphanius) fabulas comminiscãtur. De Arrio eiusque discipulis sic refert Alexander Alexandriæ episcopus apud Theodoretum: Hi qui contra Deitatem filij Dei castra constituunt, neque contra nos ingratas calumnias exercere formidant, quoniam nec priscorum quempiam dignãtur sibimet comparare, neq; præceptoribus se, à quibus nos ab infantia eruditi sumus, æquari patiuntur, neq; comministrorum quenquam nũc vbiq; consistentium in mensura sapientiæ reputant, quasi soli sa-

Epiph. li. 2. tom. 1. Hist. tripart. li. cap. 14.

pientes,& nihil habentes,atq; nouorum dogmatum inuentores,& quibus solis reuelata sint,quæ à nullo altero sub sole intellecta noscuntur. O scelesta superbia,immensa vesania, vanæ gloriæ furor, sapiētia satanæ, in animas eorum nequissimas vehementèr insiliés. Non deterruit eos antiquarum scripturarum Deo amabilium explanatio,non comministrorum consors reuerentia de Christo ferocitatem eorum mansuefecit &c. Eccè depictam Arriani ingenij imaginem,in qua velut in speculo contemplari licet, quantam affinitatem cum Arrianis habeat factio Euangelica, (sic enim appellari volunt)quantunuìs hanc Arrianorum cum Luteranis factam à Bredenbachio collatiōem,ægerrimè cōcoquat Smidelinus cum suo Naogeorgo.Eadem affinitate deuincti sunt omnibus quotquot fuerunt hæreticis,ità vt hac in parte secretam quandam communionem & inuiolabilem syncretismum inter vniuersos conspiciamus.

Hęret.oīm qualis inter se affinitas.

De Nestorio refert Historia Ecclesiastica, quòd libris antiquorum interpretum dedignabatur incumbere,omnibusq; se meliorem putabat esse.Eadem indole fuìt Paulus Samosatenus, authore Eusebio,& Seueriani,vt refert idem alibì.Cum huiusmodi quemadmodùm Luterani sese ab ecclesia Catholica segregant, ità artes eorum libentèr vsurpant.

Hist.tri.lib. 12.cap.4.

Hist. Eccl. lib.7.ca. 26. lib.4.ca.29.

Sed audiamus, quos tādèm argumentorū arietes ad euertendā Patrum authoritatem producant. Citatur ab illis Augustinus diuersis in locis,ex epist.19.ad Hieronymum, ex proœmio lib.3. de Trinitate,ex lib.2.contra Donatist.capite 3. His enim locis Augustinus ait,se interpretes & scriptores,qui Canonici non sunt,ità legere,vt quantalibet sanctitate ac doctrina præpolleant, non ideò verum putet,quia ipsi ità senserunt,sed quia per authores Canonicos vel probabili ratione,quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.Hæc Augustini verba,qui in hunc finem adducunt, vt Patrum authoritatem ità labefactent,nè eorum testimonijs vrgeātur,nè ad solidam probationem admittantur, (non vt inquit Vincentius,in omnibus diuinæ legis quæstiunculis,sed ad fidei regulam comprobandam)parùm videntur mihi animaduertere & verba & scopum verborum Augustini. Loquitur enim ibì Augustinus

mus non de fidei regula, sed acutioribus scripturarum quæstionibus, cuiusmodi est illa, quam ibidèm mox subiungit, an verè Paulus, an verò simulatè Patrum repræhẽderit. De huiusmodi (inquã) nodis & argutijs ibì disserit Augustinus, quod & præcedentia declarant, quibus ait ad Hierony. Hoc ipsum edoce, obsecro te, quonam modo assequi valeamus, vt cũ fortè aliquid nos mouet, quod nobis etsi non cautiùs attendentibus, certè tardiùs intelligẽtibus, non probatum est, & quid nobis videatur, contrà conamur asserere, si hoc aliquantò securiore libertate dicamus, non incidamus in suspicionem puerilis iactantiæ &c. Hæc ille. Gal. 2.

Cæterùm in fidei regula, quicquid non vnus aut duo tantùm, sed omnes paritèr vno eodemq; consensu apertè, frequentèr, perseverantèr tenuisse, scripsisse, docuisse cognouerimus, id absque vlla dubitatione credendum est, inquit Vincentius. Hunc nõ vnius aut alterius, sed omnium consonum & constantem consensum quisquis in fidei negocio sequitur, an tibi sinè probabili ratiõe (vt inquit Augustinus) quæ à vero non abhorreat, in persuasionẽ adducitur? An eorum qui tunc de ista causa iudicauerunt, quãdò (vt inquit idem Augustinus) nemo potest dicere eos perperàm cuiquã vel aduersari vel fauere potuisse, quippè vobis nondùm existentibus, an (inquam) eorum putatis testimonia exibilanda, quia nec à nobis, nec ab Augustino in omni quæstionum genere comparantur authoribus Canonicis? Quòd si vnum vel alterum Augustini dictum, in eam, quam antè retuli, sententiam ab ipso prolatum, id efficiet, vt concordem & consonam Patrum doctrinam ad vestras cunctorumq; hæreticorum profanas nouationes confutandas nõ liceat adducere: quàm immemorem suî fuisse dicemus Augustinũ, qui dum hæc ad D. Hieronymum & Donatistas scriberet, Iuliaũ Pelagianum ipsius Hieronymi, Irenæi, Nazianzeni, Basilij, Hilarij, Chrysostomi, Ambrosij & Innocentij Romani sentẽtijs confutauit, atq; ità confutauit, vt in cõsono & vnanimi eorum iudicio certissimam victoriam collocaret? Obmurmurabis rursùm illud Augustini: Sanè cùm in omnibus literis meis, non solùm pium lectorem, sed etiàm liberum correctorem desiderem, multò maximè in his, vbì ipsa magnitudo quæstionis vtinàm tam multos inuentores

Epist. 19.

Li. 2. cõt. Iulianũ Pelag. cap. vlt.

In prœmio li. 3. de Trinit.

res habere posset, quàm multos contradictores habet: sed ego vicissim admoneo te eius, quod ibidem subiungit Aurelius: Veruntamen, inquit, sicut lectorem meum nolo mihi esse deditũ, ità correctorem nolo sibi. Ille me non amet ampliùs, quàm Catholicam fidem: iste se non amet ampliùs, quàm Catholicam veritatem. Sicut illi dico, Noli meis literis quasi scripturis Canõicis inseruire: sic in illis & quod credebas, cùm inueneris, incunctantèr crede: in istis autem quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmitèr retinere. Ità illi dico: Noli meas literas ex tua opinione vel contentione, sed ex diuina lectione vel inconcussa ratione corrigere &c. Quandò igitur tu Smideline, vel alius quispiam, profers Augustinum, vt Patrum authoritatem eleues, primùm id mihi monendus es: esto in Ecclesia, quam cõstat tenuisse ac prædicâsse Augustinum, & tunc aude velut fauentem tibi Augustinum nominare. Imitare pietatem humilitatemq; Augustini, & tunc profer consilium Augustini. Esto lector, esto corrector Augustini, aliorumq; Patrum, sed non ex tua opinione vel contentione: illum non plùs diligas, quàm Catholicam fidem: te non plùs ames, quàm Catholicam veritatem. Si placet humilitas humilitèr de se sentientis Augustini, displiceat fastus & arrogantia inaudita superbissimi magistri tui Luteri, qui non solùm ab hominibus, quantunlibèt sanctis & eruditis, sed & ab angelis, immò etiàm ab ipso Deo doctrinam suã vult habere iniudicatam. An hæc sunt hominis diligentis Catholicam veritatem, & non iudicantis ex opinione vel contentiõe priuata, qualem vult Augustinus? an non potiùs delirãtis & planè insani? Profectò non est sani, nedùm Christiani pectoris, multo minùs doctoris Euangelici, spretis & conculcatis omnibus omnium Orthodoxorum scriptorum lucubrationibus, quas in summa veneratione tot seculis habuit vniuersa ecclesia, commoto stomacho & rabiosa lingua proclamitare: Diuina maiestas mecum facit, vt nihil curem, si mille Augustini, mille Cypriani cõtra me starent. Augustinus & Cyprianus, sicut omnes electi, errare potuerunt, & errauerunt. Huius insaniam vt in alijs, ità hîc quoq; te Smideline cũ tuis gregalibus imitatum video: tu enim Catholicum vetustissimumq; S. Chrismatis vsum impugnans, vniuersorum ecclesiæ primitiuæ

In lib. cõt. Regẽ Angliæ & alibi

Lute. in lib. cõt. Regem Angliæ.

mitiuæ Patrum, Clementis, Anacleti, Fabiani, Cypriani, Tertulliani, Augustini atq; aliorum testimonijs erroris conuictus, eos potiùs vniuersos inscitiæ & erroris maluisti insimulare, scilicet non eũ duntaxàt, sed & alios errores id tẽporis irrepsisse in Ecclesiã, (agnoscis tua verba) quàm tuam impietatem agnoscere. Brẽtius verò tuus exclamat, Relégant nos ad Patres, sed quales? Cyprianus anabaptizat, Tertullianus Montanizat, Hieronymus Origenizar, Augustinus retractat &c.

Agnoscimus primogenitos Cham, vndecunquè occasionem captantes, vt sanctissimorum Patrum nuditatem patefaciant. Ad hũc Cananæum ructum disertè satis respondit Reuerendiss. Hosius: Quanto autem cum salusis tuæ emolumento Smideline tibi ego exoptarem, si quemadmodùm Cyprianus ità anabaptizat, vt referente Augustino charitatis vnitatem pacemq́; Catholicam ineffabili cum laude retineat: ità tu quoq; sic Luterizes, vt Ecclesiã Dei non scindas. Cyprianus, quem vt pacis vnitatisq́; seruantissimum, magnis præconijs extollit Augustinus (lib. 1. 2. & 3. de baptis. contra Donatistas,) seruato vnitatis vinculo, dicebat: Neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, si diuersum senserit, amouentes. Tu tibi tuisq́; solis veritatem vendicans, vniuersos primitiuæ ecclesię Patres, atq; adeò ipsam ecclesiam in re grauissima turpitèr errâsse contendis: & magister tuus Luterus publicitùs proclamauit, quisquis doctrinam suam non acceptaret, eum saluari non posse. Cyprianus quidem anabaptizat, sed sinè dubio sua opiniõe cessisset, si (vt inquit Augustinus) iam illo tẽpore quæstiõis huius veritas eliquata & declarata, per plenarium conciliũm solidata fuisset: nec tamen ab Ecclesiæ vnitate separatus est, donèc illud quod alitèr saperet, Deus illi reuelaret. Vos autem separatione sacrilega pacis vinculum dirupistis. Alitèr sapere, quàm se res habet, humana tentatio est: Nimìs amando sententiam suam vel inuidendo vsq; ad præcidendæ communionis & condendi schismatis vel hæresis sacrilegiũ peruenire, diabolica præsumptio est. In nullo autem alitèr sapere, quàm res se habet, angelica perfectio est. Qui itaq; homines sumus, sed spe angeli sumus, quibus ęquales in resurrectiõe erimus, quandiù perfectionem angeli non habemus, præsumptio-

nem

Hos. li. 3. p. pug. catho. fidei.

Lib. 2. cõt. Cresc. Grã. cap. 31.

Li. 2. cap. 2. cõt. Donat.

Matt. 22.

nem diaboli non habeamus, ait idem Augustinus. Proindè non est, quòd tanti martyris qualemcunq; errorem vestro schismati p̄texere conemini: cuius error si quid vestris paradoxis patrocinatur, longè profectò grauiùs constans & humilis obseruātia fraternæ charitatis vestram separationem condemnat. Non sinè summa & arcana quadam ratione plerunq; doctioribus minùs aliquid reuelat Deus, inquit Augustinus, vt eorum patiens & humilis charitas, in qua fructus maior est, comprobetur: vel quomodò teneant vnitatem, cùm in rebus obscurioribus diuersa sentiūt? vel quomodò accipiant veritatem, cùm contra id quod sentiebant, declaratū esse cognoscunt? Huius humilitatis & fraternæ charitatis, quandò inimicos vos declaratis, siue apertè foris sitis, siue intùs esse videamini, pseudochristiani estis & antichristi. Inuentis enim occasionibus foràs exitis, sicut scriptum est: Occasiones quærit, qui vult discedere ab amicis. Vt igitur sanctissimorum Patrum suspiciēda authoritas semèl & simul à purulenta sycophantiarum vestrarum adspergine vindicetur, hac distinctione commodissimè vtemur. Alij eorum magno & indefatigabili studio ecclesiam iuuârunt, & in ea tuenda & asserenda perstiterunt, cuiusmodi sunt veteres penè oēs: alij in nonnullis ab ecclesiæ decretis desciuerunt, vt Origenes & Tertullianus. De prioribus illis bifariàm loqui possumus: primò, vt singulatìm ex sua opinione & priuato sensu loquuntur: deindè, vt ex communi ecclesiæ consensu & doctrina. Rursùm, quòd ad Patrum scripta attinet, eorum quædam ad fidem fideiq; necessitatē pertinent, vt necessè sit illa ad salutem credere: alia ad pietatē duntaxàt referuntur, vt βιόγραφα & historiæ sanctorum: alia ad philosophiam humanam spectant. Primum membrum secundaria quadā sectione rursùm diuidi potest: eorum enim quę ad fidem respiciunt, alia sufficientèr ab ecclesia definita sunt & declarata ad fidem pertinere: alia adhuc in dubio versantur, vt illud tempore Cypriani de baptizandis hæreticis. Hæc distinctio ex ijs quæ suprà commemorauimus, magnam lucem capit, & pluribus illustrari potest. Eorum enim, qui magno & indefatigabili studio Ecclesiam constantèr tutati sunt, tunc potissimùm inuiolabilis erit & sacrosancta authoritas, quandò non ex priuata sententia, sed communi Eccle-

Pro. 18.

cōmoda distinctio ad inuestigādā & asserendā S. Patrū authoritatē.

siæ

siæ consensu, doctrina ac definitione, ea quæ ad fidei necessitatem pertinent, proferunt. Hi ex illo numero sunt, inquit D. Augustin⁹, de quibus prædictum est: Pro patribus tuis nati sunt tui filij, constitues eos Principes super omnem terram. Ex qua (Ecclesia) filij regenerati sunt, vt hæc discerent: eius patres facti sunt, vt docerent. Talibus post Apostolos sancta ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ędificatoribus, pastoribus, nutritoribus creuit. Hi sunt illi pastores & doctores, quos ecclesiæ suæ Christum dedisse scribit Apostolus, non vt vocali duntaxàt prædicatione illustrarent Ecclesiam, sed etiàm vt publicis eorum scriptis edocta posteritas, nosset exortis fidei controuersijs, notham & adulterinam doctrinam à germanis & genuinis veteris Ecclesiæ dogmatib⁹ secernere. Hos ergò in Ecclesia Dei diuinitùs per tempora & loca dispensatos, quisquis in sensu Catholici dogmatis vnum aliquid in Christo sentientes cõtempserit, eum non hominem contemnere, sed DEVM, verissimè dixit ille Vincentius, cuius authoritas si minùs apud te ponderis habet Smideline, eorum etiàm pondus appendemus, quorum tanta sit grauitas, vt sub pondere eorum sis laboraturus. D. Clemens ad discipulos Hierosolymitanos sic ait: Relatum est nobis, quòd quidam in vestris partibus commorantes, aduersantur sacris doctrinis, & prout eis videtur, non secundùm traditionem Patrũ, sed iuxta suum sensum docere videntur. Multas enim quidam (vt audiuimus) vestrarum partium ingeniosi homines, ex his quæ legũt, verisimilitudines capiunt: & ideò diligentèr obseruandum est, vt lex Dei cùm legitur, non secũdùm propriam ingenij virtutem vel intelligentiam legatur vel doceatur. Sunt enim multa verba in scripturis diuinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi vnusquisq; spontè præsumpserit, sed non oportet: non enim sensum extrinsecùs alienum & extraneũ debetis quærere, vt quoquomodò ipsum ex scripturarum authoritate confirmetis, sed ex ipsis scripturis sensum capere veritatis oportet. Quod postremum nè tu Smideline sanctissimo martyri peruertas, quasi tecũ sentiat, ex mutua scripturarum collatione sempèr veram interpretationem percipi posse, & cum magistro tuo Lutero, omnes θεοδιδάκτους esse, nec Patrum expositione egére, velut in spiritu vestram hanc vesaniam p̃-

Lib. 1. cõtra Iulia. ca. 2. Psal. 44.

Aug. lib. 2. cõtra Iulia. cap. vlt.

Ephes. 4.

Vincen. Lirinẽs. in lib. de prophã. hęres. nouat.

Clemens Epist. 5.

uidens,ſubiungit:Et ideò oportet ſcientiam ab eo diſcere ſcripturarum, qui eam à maioribus ſecundùm veritatem ſibi traditā ſeruat,vt & ipſe poſſit ea quæ rectè ſuſcepit,cōpetentèr aſſerere.Hactenùs laudatiſſimus ille Pontifex & inuictiſſimus martyr, qui lib. 10.Recognitionum teſtatur ſe ab ipſo Petro Apoſtolo præceptore ſuo documentum hoc accepiſſe.

Irenæus. Accedit huc locupletiſſimus teſtis D.Irenæus lib.3.cap.3. & lib. 4.cap 63.vbi docet expoſitionem legitimam ſcripturarum per traditionem maiorum accipiendam.

Epiphan. Epiphanius quoq; volens refutare hæreſim eorum qui ſe vocabant Apoſtolicos:Oportet,inquit,& traditione vti, non enim oīa à diuina ſcriptura accipi poſſunt.

Ambroſ. D.Ambroſius,quem tot elogijs euehit D.Auguſtinus,tertio ad Gratianum libro de fide,ſic ait:Seruemus præcepta maiorum, nec hęreditaria ſignacula auſi rudis temeritate violemus.librum ſacerdotalem quis noſtrûm reſignare audet, ſignatum à confeſſoribus, & multorū iam martyrio conſecratum? Succedat hîc indeſeſſus

Hierony. ille ſacrarum ſcripturarum ſcrutator D.Hieronymus,qui iam olìm te tuosq́; gtegales,Smideline,calami ſui penicillo exactiſſimè depinxit:Scripturæ,inquit,ſanctæ intelligentiam abſque Dei gratia & doctrina maiorum ſibi imperitiſſimi vel maximè vendicant. Et in celebri illa ad Paulinum epiſtola, multis teſtimonijs & rationibus

Auguſt. docet,neminem in ſcripturis ſacris,ſinè præuio & monſtrante, ſemitam ingredi poſſe.

Conſonat his quod ait D.Auguſt.ad Honoratum, qui cùm ſacros libros ſinè aliena ope & legere & intelligere ſe poſſe arbitraretur.Iráne eſt?ait Auguſtinus. Nulla imbutus poëtica diſciplina, Terentium ſinè magiſtro attingere non auderes.Aſper,Cornutus, Donatus,& alij innumerabiles requiruntur,vt quilibet poëta poſſit intelligi.tu in ſanctos libros,ſinè duce irruis, & de his ſinè præceptore audes ferre ſententiam?& cap.17. Si vnaquæq; diſciplina, inquit,quanquàm vilis & facilis,vt percipi poſſit,doctoré aut magiſtrum requirit:quid temerariæ ſuperbiæ plenius, quàm diuinorum ſacramentorum libros ab interpretibus ſuis nolle cognoſcere?De diuis Gregorio Nazianzeno & Baſilio ſcribit Ruffinus, ꝙ

diuina-

diuinarum ſcripturarum intelligentiam non ex propria præſumptione,ſed ex Maiorum ſcriptis & authoritate ſecuti ſunt, quos & ipſos ex Apoſtolica ſucceſſione intelligentiæ regulam ſuſcepiſſe conſtabat.

D.Leonis primi temporibus cùm incarnatio Chriſti Domini rurſùs in dubium vocaretur,beatiſſimus Pōtifex Imperatori Theodoſio reſcripſit,vt Catholicorum Patrum profeſſio ſeruaretur. D.Leo epi. 33.ad Theodoſ.Imp.

D.Cyrillus quoq; ſuū prædictis ſuffragium accōmodat in epiſt. in prima Actione Synodi Chalcedonēſis:Sacræ fidei ratio, inquit, inſinuabitur rectè expoſcentibus veritatem, ſi Sanctorum libros voluentes,magni eos momenti habeamus, & probantes noſmetipſos,ſi minùs in fide, illorum rectis & irrepræhenſibilibus definitis, noſtros ſenſus benè atque optimè roboremus. Vides nunc Smideline,quàm verè dixerit Lirinenſis ille Vincentius:Quiſquis orthodoxos Patres in ſenſu Catholici dogmatis vnum aliquid in Chriſto ſentientes contempſerit,eum non hominem,ſed Deū cōtemnere. Quemadmodùm enim populus Iſraeliticus in veteri teſtamento ſuberat Moſi,Aaroni,Samueli & ſacerdotibus Leuiticis, ità in nouo Teſtamento populus Chriſtianus ſubiectus eſt Apoſtolis,eorumq; diſcipulis & ſucceſſoribus:vndè totiès monet Apoſtolus,vt obſeruemus præpoſitos noſtros. Heb.13. Et quemadmodùm illi audientes Moſen & Aaronem & Samuelem,ipſi Deo paruerunt:ijs verò ſpretis & reiectis, ipſum Deum ſpreuerunt & reiecerunt: ità ad noui teſtamenti miniſtros & Chriſtianæ Eccleſiæ Præſides & præpoſitos dictum eſt:Qui vos audit,me audit:& qui vos ſpernit, me ſpernit. Luc.10. Rurſùs,quemadmodùm,non minùs habēdus eſt tanq̄ Ethnicus & publicanus,qui non audierit Eccleſiam,quàm ille qui Apoſtolorū & Prophetarum reijcit ſcripturas: ità eiuſdem impietatis eſt,Patrum orthodoxorum ſententias non ex priuata ipſorū opinioue,ſed Eccleſiæ Catholicæ conſenſu prolatas,temerario auſu reijcere,cuius eſt vel eccleſiam non audire, vel Canonicas ſcripturas conuellere. Quod nè tuo more cum ſtomacho excipias, & malignè ſuggilles Smideline,eorum quæ dicimus,rationem attende.Ea autem eſt,quòd dum Patrum ſententias eo quo dixi modo prolatas,eadem cum ſcripturis veneratione ſuſcipiendas dicimus,

non ideò hanc illis tribuamus authoritatẽ, quia ipsi dicũt, sed quia fidem & consensum vniuersalis Ecclesiæ proferunt, quem non suscipere, Ethnici est & Publicani. Eiusmodi vnanimem orthodoxorum Patrum consensum, ea qua dixi veneratione suscipiẽdum esse, tametsi multis iam & illustribus argumentis abundè demõstratum sit, si quis tamen plura desideret, ei vel ipsam ecclesiam, in plenario Concilio loquentem, audire licebit.

Oecumenica synodus Tridentina sessione 4. Decreuit, inquit, sancta synodus ad coercenda petulantia ingenia, vt nemo suę prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum ad ædificationem doctrinæ Christianę pertinentium, sacram scripturam ad suos sensus cõtorqueat, aut contra eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu & interpretatione sanctarum scripturarum, aut etiàm contra vnanimem consensum patrum, ipsam sacram scripturam interpretari audeat. Quod tam sacri & venerandi consessûs, atq; adeò ipsius Christi Ecclesiæ decretum, si tanquàm recens ac nouitium eleuare contendis, scias idem iam olìm à synodo Trullana cap. 19. & à concilio Meldensi cap. 11. alijsq́; quamplurimis cõcilijs definitum. Eoq́; D. Augustinus, cùm aduersùs Iulianum consonas plurimorum Ecclesiæ Patrum sentẽtias produxisset, Audis, inquit, omnes vno corde, vno ore, vna fide idipsum dicere: & mox subiungens, dicit, hanc esse Catholicam fidem, non dissonante contestatione firmatam. Quid iam vlteriùs à nobis requiris Smideline, vt Patres Orthodoxos, vt ecclesiam, eiusq́; Doctores vniuersos reijciamus? id quàm alienum sit à Christiano, nũc audisti: an prouocabis ad scripturam? Atqui hæc docet, Ephe. 4. ꝙ quẽadmodũ Deus ecclesiæ suę dedit ꝓphetas, Apostolos & euãgelistas, à quib9. sacra scriptura ex instinctu Spiritûs sancti cõfecta est, ità & pastores & doctores quosdam dederit, qui propheticæ & Apostolicæ doctrinæ multis arcanis mysterijs nonnunquàm obumbratæ, verum germanumq́; sensum populo tradant & explicẽt, idq́; non viua duntaxàt & vocali prædicatione, sed & publicis librorum monumentis posteritatem edoceant, quo pacto nouis circa fidem exorientibus controuersijs, veram veteris Ecclesiæ doctrinam agnoscere possint, nè sicut paruuli fluctuantes, circunferantur

rantur omni vento doctrinæ. Vndè manifestum euadit, vnanimē S.Patrum authoritatem,& scripturis interpretandis,& controuersis dogmatibus discutiendis & probandis,& hæresibus confutandis idoneam,opportunam & efficacem. Eoq; hanc praxim & consuetudinem in omnibus ferè concilijs ab ecclesia Catholica obseruatam legimus,vt & scripturarum interpretationes & controuersiarum discussiones,hæresumq; confutationes ex conformi veterum Patrum sententia vtplurimùm desumeret. Pulchrè illud declarat Lirinensis ille,exemplo Concilij apud Ephesum sua ætate celebrati:In quo om̄ibus hoc Catholicissimum,felicissimū,atq; optimum factu visum est, vt in medium Sanctorum Patrum sententiæ proferrentur,quorum alios Martyres,alios Confessores, om̄es verò Catholicos sacerdotes fuisse & permansisse constaret, vt scilicet ritè atq; solennitèr ex eorum consensu atque decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur,& profanæ nouitatis blasphemia cōdemnaretur.Itidèm factum est in conc.3.Constantinop. Similitèr in 2.Niceno. Idem cōsilium facundus ille & eruditus Sisinnius diaconus Nectario episcopo subministrauit ad confutandam hæresios Arrianæ vesaniam. His igitur nunc tot ac tam varijs,tamq; illustribus & sacrarum scripturarum & sacrorum Oecumenicorum Conciliorum,beatissimorumque ecclesiæ Patrum testimonijs adductis,pergésne tuis blandiri erroribus Smideline? Perges vnanimem clarissimorum Ecclesiæ procerum consensionem, velut humanam conspirationem eludere? Perges ab istis tam strenuis, tam incorruptis Catholicæ vnitatis & veritatis assertoribus,ex diuersis orbis terrarum plagis admirabili fidei concordia inter se congruentibus,in tam magna causa,qua de Christianæ religionis summa controuertitur,qua non leuia & ludicra petuntur præmia, sed nostra de vita & sanguine certant,ex qua vel immortalis gloria & ineffabilis beatitudo,vel ęterna ignominia & sempiternum exitium imminet tot millibus animarum:pergésne,inquam, cæca stultissimaq; philautia excæcatus,ab vniuerso orbe non solùm dissentire, sed etiàm erroris, superstitiôis & inscitiæ eos om̄es damnare, quorum memoria tanto tot seculorum applausu, sempèr apud omnes summè illustris, quorum authoritas sacrosancta,maiestas augusta,

ſanctitas & doctrina ſempèr venerāda fuerunt? Si φίλαυτον eſſe delectat, ſi tete amare volupè eſt, & illorum ſanctæ & ſuſpiciendæ authoritati, & tuæ ſaluti parce: ſic enim verè te amaueris, nè fortè qui dicente Propheta protegit omnia oſſa illorum, qui vindicat ſanguinem & honorem ſanctorum ſuorum, tibi fortè non parcat. Si eorum tot modis probata ſanctitas, doctrina & integritas, hoc à te nequit impetrare, vt mecum, immò cum eccleſia Catholica ſentias, ſaltem illud curato, nè ob noſtram diſſenſionem ab illorum incorruptiſſimo iudicio diſſentias. Quanquàm nō video quomodò non diſſentias, ſi in abſurdiſſimis illis erroribus permaneas. Tantúmne apud te poſſunt Luterus & Brentius, vt à ſolis ortu vſq; ad occaſum, tot ac tantos Catholicæ fidei doctores ac defenſores nō ſolùm deſerere, ſed etiàm erroris & ſuperſtitionis ſuggillare audeas? Miror tam improbam audaciam ex ore tuo potuiſſe procedere, quam tamen vt comprimas, ſcimus errorum tuorum prauitatē non permittere. Mirum pręterea, in hominis facie tantum eſſe interuallum inter frontem & linguam, vt in tam graui cauſa frons non coerceat linguam. Sed vt ſemèl finiamus, illud obitèr monendus es Smideline, nihil SS. Patrū authoritati derogare, quod ſcripſit Bredenbachius, non eodem modo ſcripturam à patribus ſempèr explicari: huiuſmodi enim diſſonantia in ijs duntaxàt conſpicitur, q̄ ad res fidei non pertinent, ſed ad argutiores diuinæ legis quæſtiones, vel ſi omninò pertinent ad fidem, nondùm ab eccleſia id temporis fuerunt definita, nec haſce priuatas opiniones ità fouent, vt à pacis & vnitatis vinculo recedant. Vndè veriſſimum eſt, quod ait Auguſtinus: Alia ſunt in quibus inter ſe aliquandò etiàm doctiſſimi atque optimi regulæ Catholicæ defenſores, ſalua fidei compage, non conſonant, & alius alio de vna re melius aliquid dicit & verius. Hoc autem vndè nunc agimus, ad ipſa pertinet fidei fundamenta. Hæc ille.

Pſal. 33. Apoc. 6. Li. 1. aduer. Iulian. ca. 2.

Quòd ſi vel Cypriani errorem, vel Auguſtini retractationes veſtris pluſquàm feralibus diſſenſionibus ac diſſidijs prætexere conemini, cui non erit deteſtabilis veſtra malitia, qui clarorum virorum quædam non rectè facta, ad peruicacitatis & contentionis veſtræ patrocinium adhibere non erubeſcitis, à quorum virtutibus alie-

alieniſſimi eſtis? Quid enim vetat, quô minùs & Petro Apoſtolo comparemini, dum Chriſtum negatis, dum illius vocem & ſpiritũ per eccleſiam Catholicam loquentem non recipitis? & Gentium Doctori Paulo, quia Chriſti eccleſiã perſequimini? Veſtra diſſenſio & crebra placitorum innouatio, adeò ambiguos & perplexos reddit ſimplicium animos, vt quid de Deo rebusq́; diuinis ſentire, cui parti in tam monſtroſa & multiformi religionum doctrinarumq́; diuerſitate ſe addicere debeant, vel omninò non, vel difficultèr perſpiciant. Patres verò orthodoxi dum quædam ſcripturarum loca diuerſimodè interpretantur, adeò non impediunt piorũ lectorum animos à vero ſcripturæ ſenſu, vt etiàm plerunq; non parùm adiumenti eis conferant, & ad fidei veritatem confirmandam & ad pietatem exercendam. Huiuſmodi enim diuerſæ interpretationes fidei regulis conſentientes, ſunt velutì varia quædam & diuerſis delicatisq́; condimentis apparata fercula, quibus piorũ animi ſuauitèr paſcuntur, & mirandum in modum ſalubritèr reficiũtur. Quid enim in diuinis eloquijs, largiùs & vberiùs potuit diuinitùs prouideri, vt inquit D. Auguſtinus, quàm vt eadem verba pluribus intelligantur modis, quos alia non minùs diuina conteſtantia faciant approbari? Nam quandò ex ijſdem ſcripturæ verbis non vnum aliquid, ſed duo vel plura ſentiuntur, etiamſi latet quid ſenſerit ille qui ſcripſit, nihil periculi eſt, ſi quodlibet eorum veritati congruere ex alijs locis ſanctarum ſcripturarum doceri poteſt, id tamen eo conante, qui diuina ſcrutatur eloquia, vt ad voluntatem perueniatur authoris, per quem ſcripturam illam ſanctus opatus eſt ſpiritus: ſiue hoc aſſequatur, ſiue aliam ſententiam de illis verbis quæ fidei rectæ non refragatur, exculpat. Hæc ille. Cuius tanti doctoris & præſulis verba alio iam è loco recitare pergam, ſi fortè te mihi & eccleſiæ reconciliare, tibi verò ſeruare & Chriſto lucrifacere queam. Te in Iuliano cõpellat Auguſtinus: Veſtra, inquit, apud competens iudicium communium epiſcoporum modò cauſa finita eſt. Nec ampliùs vobiſcum agendum eſt, niſì vt prolatã ſententiam cum pace ſequamini. Cur graue tibi, cur iniquum cenſes, Smideline, inuitanti his verbis ad pacem Auguſtino dextram porrigere? Dices fortaſsè illud Saluſtij: Nemo de rebus dubijs be-

Lib. 3. de doct. Chri. cap. 27.

Aug. lib. 3. cõt. Iulianũ cap. 1.

nè consultat, nisì qui ab odio, ira & amicitia vacuum pectus attulerit: talesq; non fuisse qui de vestra causa in Tridentino Concilio iudicârunt, qui priùs eam oderint, q̃ cognouerint. Verùm mi Smideline, si pacis studio tenereris, vtiq; audires respondentem tibi Augustinum: si tales, inquit, iudices quales definiuit Salustius, q̃reretis: sancto Ambrosio & coëpiscopis eius, Patribus (inquam) orthodoxis & primitiuæ ecclesiæ Doctoribus, (quorum omnium consentientibus calculis vestram doctrinam velut hæreticam condemnari, & hactenùs copiosè, & sequenti libro copiosiùs demonstrabimus) qui de hac re ab odio vestrî, vel amicitia, vel ira, vel misericordia pro vobis vel contra vos vacuum pectus habuerũt, quãdò de rebus à vobis in controuersiam vocatis, veras tranquillasq; sententias protulerunt, vtiq; cederetis. Illis si humilitèr & pacificè cederes Smideline, non nos petulantèr & conuiciosè cęderes. Illis si acquiesceres, à deploratissimæ causæ defensione quiesceres. Sed nec parùm vobis est, illos iudices nolle, nisì insupèr velut erroris & superstitionis reos accusetis. Quàm verè, quàm scitè, quàm graphicè vestram indolem & ingenium iam olìm velut in speculo contẽplandum exhibuit Catholicus ille Vincentius, qui prophanas oĩm hæresium, nouationes velut in vnum iugulum conflatas, breui quidem & expedito, attamen strenuo & præclaro congressu fortissimè iugulauit: Hoc, inquit, apud omnes ferè hæreses quasi solenne est ac legitimum, vt sempèr prophanis nouitatibus gaudeant, antiquitatis scita fastidiant, & per oppositiones falsi nominis scientiæ, à fide naufragent. Contrà verò Catholicorum ferè proprium, deposita sanctorum Patrum & commissa seruare, damnare prophanas nouitates: & sicut dixit & iterùm dixit Apostolus, si quis annũciauerit, præterquàm quod acceptum est, anathematizare. Huiusmodi antiquitates & sanctorum patrum deposita, si nobiscum amplecti sustineretis, Smideline, facilimo negocio & vobis & nobis & vniuerso orbi Christiano optata pax & tranquillitas restitueretur. Sed iamdudùm mihi videor videre & audire illam vestrorũ errorum latebram, sub qua latitantes, inamabilem illam vestræ p̃uicaciæ amaritudinem nonnihìl edulcare conamini. Cur, inquis, scripturæ iudicium exhorrescitis, quæ errare non potest? nec enim

Vincent. Lirinen.

Gal. 1.

alia-

aliatenùs nos audiri desideramus, nisì quatenùs scripturarum testimonijs nostra confirmamus. Sed audi Smideline, quid sagacissimus ille speculator Vincentius tibi respondeat, quomodò velutì minimè mutus canis, generoso latratu vestras versutias detegat. Responsio.
Vtuntur, inquit, & hæretici scripturæ testimonijs, & quidem vehementèr: nam videas eos volare per singula quæq; sanctæ legis volumina, per Mosis, per Regnorum libros, per Psalmos, per Apostolos, per Euangelia, per prophetas. Siue enim apud suos, siue alienos, siue priuatim, siue publicè, siue in sermonibus, siue in libris, siue in conuiuijs, siue in plateis, nihil vnquàm penè de suo proferũt, quod non etiàm scripturæ verbis adumbrare conentur. Hæc ille. Quid porrò aliud faciunt vestri non solùm primipilares, sed & gregarij, dum illi in concionibus, in conuiuijs & plateis, hi in tonstrinis, sutrinis, nauigijs, vehiculis & symposijs arrogantissima philautia nihil alind crepant, quàm Euangelium & epistolas Paulinas? Sed tanto magìs pertimescendi estis, inquit Vincentius, quanto occultiùs sub diuinæ legis vmbraculis latitatis. Sciunt, inquit, fœtores suos nulli ferè citò esse placituros, si nudi & simplices exhalentur, atque idcircò eos cælestis eloquij velut quodam aromate adspergunt, vt ille qui humanum facilè despiceret errorem, diuina non facilè cõtemnat oracula. Ergò quotiescunq; vel pseudoapostoli, vel pseudoprophetæ diuinæ legis sententias proferunt, quibus malè interpretatis, errores suos adstruere conentur: non dubium est, quin authoris sui diaboli (nam & ille scripturis Dominum adortus est) callida machinamenta sectentur, quæ ille nũquàm profectò comminisceretur, nisì sciret omninò nullam esse ad fallendum faciliorem viam, quàm vt vbì nefarij erroris subinducitur fraudulẽtia, ibì diuinorum verborum prætendatur authoritas. Si igitur diuinis eloquijs diabolus & discipuli eius hæretici vtuntur, quid facient Catholici homines & matris Ecclesiæ filij? quonam modo in scripturis veritatem à falsitate discernent? Hoc facere magnoperè curabunt, vt diuinum canonem secundùm vniuersalis Ecclesiæ traditiones, & iuxta Catholici dogmatis regulas interpretentur, in qua item Catholicæ Apostolicæq; ecclesiæ sequantur necessè est Vniuersitatem, Antiquitatem, Consensionem Hæc & his longè plura Matth. 4.

ibì pientissimus ille Vincentius. Equidem quòd ad Sanctorum Patrum authoritatem attinet, & qua via in dirimendis controuersijs ecclesiasticis commodissimè verissimeq; procedi possit, pro instituto nostro satìs dictum esse existimo.

Cap. 16.

Philippi Melanchthonis de Patribus censura, ineptissima simul & impietatis plenissima.

IAm quòd falsè ridet Bredenbachium Smidelinus, quòd dicat, non in omnibus eodem modo scripturam à S. Patribus explicari: si hic grauitèr eum deliquisse existimat, quo gradu constituendus est Melāchthon, qui admodū rigidū & seuerum, immò ridiculum & arrogantē agit omnium Orthodoxorum Patrum censorē, & posteaquàm multis authoritatem eorū labefactare conatus est, inter cætera ait, Patres sępenumerò commodiùs sensisse quàm dixisse, consuetudine victos esse, vt ad errores conniuerent &c.? Et quidem vt concedamus oscitantibus scriptoribus nonnunquàm, vsu venire, vt commodiùs sentiant, quàm dicant: de Patribus tamē illud nemo ante Philippum pronunciauit, saltem eum in finē, vt hæretica temeritate authoritatem eorum eleuaret. Quòd si omninò hoc dictum extra culpam velis constitum, obserua, quàm graue & syncerum idem Philippus de singulis ferat iudicium, quomodò veluti Rhadamanthus quispiam tribunal conscendat. Et quidem vt paucis rem in summam contrahamus, profert illum Apostoli locum: Fundamentum aliud nemo potest ponere &c. per fundamētum intelligit articulos fidei, per stipulas, opiniones falsas. Ordi- tur nunc censuram ab Ambrosio. Vt Ambrosium, inquit, existimo esse verum membrum Ecclesiæ. Is tamen inquit de ieiunio Quadragesimæ: Cætera ieiunia sunt voluntatis, hoc necessitatis est. Hęc opinio est stipula addita doctrinę fidei. Atquì, mi Philippe, vix vnū ex Patribus etiàm antiquissimis reperies, qui non meminerit Quadragesimæ: meminerunt prætereà Imppp. Valentinianus, Valens, & Gratianus in l. Quadraginta diebus. & Impp. Honorius & Theodosius in l. Prouinciarum Præsides. C. de ferijs. Item Ignatius in epist. ad Philippens. August. epist. 119. cap. 15. Hieronymus ad Marcellam.

In li. de eccle. & Patribus.

1. Cor. 3.

Qui Patres quid à Melanchthone perpessi.

Quadragesimæ antiquitas.

cellam Theophil. Alexand.lib.1.& 2.Paschali. Om̃es illi superædificârunt stipulas,tu verò solum aurum? Hîc non possum non Philippum in Philippo desiderare, quantũuìs ob singulares quasdam ingenij ipsius dotes,pleriq; non omninò malè de ipso sentiãt. Sed pergamus audire nigricantem Melanchthonis calculum. Sic Basilius,inquit,addidit monasticen tanquàm stipulas,& laudat hoc genus vitæ immodicis & falsis præconijs &c.Cyprianus,inquit,vrget pœnas canonicas,quarum tunc erat vsus, & confirmat opiniones, quasi sint necessariȩ, & propter eas remittantur peccata, interdùm inquit absolutionem sinè illis inutilem esse. Fortasse sentiebat cõmodiùs,quàm locutus est:tamen illi errores nõ sunt leues, sed admodùm densæ stipulæ,obscurantes puram doctrinam de beneficijs Christi,& de fide. Hæc ille.

Iam quid attinet referre, quibus censuris excipiat Dionysium Areopagitam,D.Antonium,(cuius suprà ex D.Augustino meminimus)Synodum Nicenam,aliasq; synodos, Chrysostomum, Nazianzenum,Irenæum,Hieronymum,Augustinum, item dogmata & traditiones ecclesiastisas?Eccè Smideline,sic tuus Philippus sensit non solùm de Cypriano & Basilio. quos tu non semèl Sanctos vocas, sed vniuerso Patrum senatu,atq; adeò tota Ecclesia, vt vehementèr obstupescam,tantum ingenium eò vesaniæ & temeritatis potuisse prolabi.Sanè si Patres commodiùs senserunt, quàm locuti sunt:si consuetudine victi, ad errores conniuerunt: quid aliud hoc est dicere,quàm quòd impudentèr mentiti sunt in re longè grauissima?O impudentiam singularem, ô nimìs atrum & improbum Melanchthonis calculum. Et hactenùs quidem de Philippo:

Cap. 17.

Smidelinus volens vaticinari de excidio Papatûs & catholicismi, vanitatis conuincitur.

VErgit nunc ad conclusionem Smidelinus, Rhetoricis epiphonematis & ampullis, immò grandibus conuiciorum & contumeliarum tonitruis rursùm in sacrificulos,in episcopos & pontifices detonãs:hortaturq; principes,vt tollant eos potiùs,quàm tolerent,atq; huiusmodi selectissi-

ſimis quibuſq; floſculis binas aut ternas paginas conſpergit. Et vt lectorem non ſolùm inani colorum ſuperficie & forma verborum tinnitu afficiat & delectet,(ſi tamen quiſq; bonus eiuſmodi ſcurrilibus facetijs delectatur) verùm etiàm concepta certitudinis alicuius & fidutiæ ſpe moueat,atq; hoc veluti hamo ineſcatum in ſuã ſententiam pelliciat, vaticinium ex prophetico ſuo pectore depromit:

Smid. Nec opùs puto,inquit, aliqua coufutatione, ſed certò ſtatuant omnes Chriſti fideles,iamiam imminere ac præ foribus eſſe Antichriſti & Papatûs etiàm externam ruinam,de qua apoſtoli ſunt cõcionati.

Bred. Hæc eſt Smidelini prorsùs prophetica concluſio. Similem egit prophetam præceptor eius Luterus, cùm diceret: Peſtis eram viuus,moriens tua mors ero,Papa. Scilicet magnũ attulit Papatui exitium obitus Luteri. Similis prætereà vates fuit ſuperioribus annis Baſileæ Dauid Georgius,vaticinans ſe poſt triennium cum anima & corpore reſurrecturum, nec fefellit eum ſpiritus propheticus, cùm triennio elapſo,nec corpus putidum, nec blaſphemus anima reſurgeret: Magiſtratus ſacrilega oſſa ex ſarcophago effodi, & in facinoroſorũ cœmeteriũ inter rotas & cruces trãsferri curauit. Sic nimirùm decebat reſurgere tantũ Prophetam. Eiuſmodi præpoſterum prophetam videtur hîc agere Smidelinus: ſperamus enim Deum propitium,& ad infinitam miſericordiam ſuam, exuperantem omnia opera eius,reſpicientem,aliquandò viſitaturum vineam ſuam,eiecturũ eſſe per legitimos ciuitatis ſuæ Magiſtratus, iſtos ſingulares feros,frendentes apros,vlulantes lupos,gãnientes vulpes, diuerſo & vario impetu maceriam vaſtantes,ipſamque vineam demolientes. Nec deſunt præclara auſpicia, & lætæ plurimorum bonorum ominationes:quin & ipſa rerum humanarum ſcena, Deo ductore & chorago,videtur ſeſe non ad Tragicam,ſed Comicam, ſed lætam, feſtiuam & Chriſto dignam cataſtrophen inclinare. Habemus ex ſummo ſupremi numinis beneficio Pontificẽ Maximum Pium Quintũ,re & nomine verè pium & ſanctum, atq; adeò etiàm veſtrorum teſtimonio commendatum. Habemus D. Maximilianum Rom. Regem Auguſtum, atq; item Philippum Hiſpaniarum

arum Regem Catholicum, agnita iam plurimis argumentis religione Catholica, virtute bellica, clementia summa Principes commendatissimos. His Atlantibus, horum plusquàm herculeis humeris, vniuersus orbis Christianus, Deo disponente, incumbit, atque ità incũbit, vt illis superstitibus æthereaq; aura vescentibus, nunq̃ luxandum, nedùm lapsurum, omnes boni confidant. Hos, PONTIficem dico & Imperatorem, meritò dixerim duos Cherubin, vnum in latere vno, alterum in latere altero, vtrunq; latus ARCÆ DOMINICÆ expansis alis tegentes, & operientes Ecclesiã Dei, respicientesq; se mutuò, versis vultibus in propitiatorium. Quodnã mihi narras propitiatorium? Et videtur, inquit Origenes, propitiatorium hoc, de quo scriptum est in Exodo, ad nullum nisì ad saluatorem DOminum retulisse, cùm dicit (Apostolus) quia hunc posuit Deus ꝓpitiatorium per fidem. Et quia in propitiatorium hoc iuxta Catholicam & à MAIORIBUS velut per manus traditam religionem syncero & flagrãti studio, vnoq; obtutu respiciunt, pulcherrimam quãdam in ipsa arca, in ipsa ecclesia & ciuitate Dei consonantiam, pacẽ & tranquillitatem mutuis auxilijs, hic suppliciter orando, ille fortitèr & fidelitèr protegendo fouent & conseruant: hoc enim est mutuò sese respicere, versis vultibus in propitiatorium. Et quandiù eiusmodi mutuo respectu piè & Christianè respexerunt, vtì etiamnùm hodiè summo DEI beneficio omniumq; piorum magnifico applausu sese respiciunt, tandiù sempèr verum fuit quod ibidẽ subijcit Dominus: Indè præcipiam & loquar ad te: supra propiciatorio scilicet, ac medio duorum Cherubim, qui erunt super arcam testimonij, cuncta quæ mandabo per te filijs Israel. Vbì pulchrè Origenes: Non solùm Mosi, inquit, sed vnicuiq; sanctorum, qui famulus Dei est, non aliundè innotescit Deus, nec aliundè cognoscitur, nisì de ꝓpitiatorio isto, & de medio Cherubim. Huc & istud Abacuc prophetæ referri posset: In medio duorũ animaliũ cognoscéris: dum appropinquant anni, cognoscéris: & cùm affuerit tempus, ostendéris. Iam cùm his duobus Cherubim quàm multi serenissimi Reges, Reuerendissimi Illustrissimiq; PRINCIPES, Magnifici & strenui heroés, suæ consonæ & vniformis pietatis expeditæ voluntatis & parati patrocinij serenissimas alas coniungunt, easque

Exod. 25.

In epist. ad Rom. cap. 3. lib. 3.

Exod. 25.

Abac. 3.

ità expandunt, vt ſuorum præſidiorum tectorio ipſam Catholicæ Eccleſiæ arcam mirificè obumbrent, tueãtur, ſartamq; & tectã cõſeruent? Nihil ergò dubitamus de bonitate Dei, de qua & certè confidimus, vanum te Smideline fore augurem, vtì & hucuſq; fuiſti. Aut ſi non omninò vanum, certè præpoſterum te videbimus vatem, vt dij priùs omen in ipſum te conuertant, vt pulſis & diſcuſſis aliquandò venenatis illis vaporibus & nebulis, quas tu tuiq; magiſtri & gregales hactenùs, permittente Deo, ebulliuiſtis & exhalâſtis, priſtinam ſerenitatem & tranquillitatẽ recuperet Eccleſia Catholica, ſuiq; immobili firmitudine & conſtantia veſtro Antichriſtianiſmo etiàm externam ruinam maturè ſit allatura. Vanum igitur, & ſi Luteri verbis vti licet, concacatum prophetam te agnoſcimus Smideline, cùm ſignum illud quo (Domino docente) pſeudoprophetæ cognoſcendi ſunt, in te cõſpiciamus: Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non eſt locutus, ſed per tumorem animi ſui propheta confinxit, & idcircò non timebis eum. Atq; hæc ſunt, quibus Smidelinus ſtatum libri de componendis diſſidijs ſe probè confutâſſe gloriat. Quod qua fide, induſtria & ſtrenuitate fecerit, non eget nunc accuratiori commemoratione.

Smidlinũ eſſe vatẽ concacatum.

Deut. 18.

ANTHYPERASPISTIS
LIBER QVARTVS.
De eccleſiaſticis controuerſijs.

Cap. I.

De votis. Item quibus modis caſtitas poßit conſeruari. Nec eſſe impoßibilem caſtitatis conſeruationem, Catholicorũ hæreticorumq; teſtimonijs docetur. Dictum Chriſti, Nõ omnes capiunt verbum hoc, luculentèr explicatur.

Pro-


Rogreditur iam ad alteram libri sui partem, quã inchoat his verbis: In libello de componendis dissidijs duo præcipuè in Lutero sanctæ memoriæ Dei viro reprehendit, Vitam scilicet & doctrinam &c. Quòd vitam monasticam deseruerit,& vxorem duxerit, Embricensi Grammatico scelus est non nisì morte expiandum: siquidem vota reddenda sunt Domino &c. infertq; Smidelinus, Bredenbachium veram votorum rationem non intelligere, cùm ea tantùm vouenda sunt, quæ in nostra sunt potestate: Non autem esse in nostra potestate virginitatem custodire castam, ipsius Christi testimonio docet, Non omnes capiunt verbum hoc. Smid.

Monet sapiens parœmiographus, Nè dederis os tuum vt peccare facias carnem tuam: quo arguuntur hi, inquit Hieronymus, qui de vitio carnis queruntur,& aiunt se corporis necessitate compulsos ea facere, quæ nolint. Eodem modo Smidelinus vt Lutero viro Dei sanctissimo (si dijs placet) patrocinetur, verbum Dei deprauat in verbum malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis: os eñ impiorum operit iniquitatem: improborũ est, sempèr aliquid causari, quo flagitijs suis præsidium quærant. Bred. Eccẽs 5. Pro. 10.

Quid igitur restat aliud, quàm vt tyrannica votorum lex semèl & simul in vniuersum abrogetur, cùm non omnium sit continere? Smid.

Sed dij meliora. Absit vt orbis Christianus, vt vniuersa Christi Ecclesia Catholica, iam indè ab Apostolorum temporibus ad hãc ætatem vsq;, legem tyrannicam cuiquam præceperit. Absit vt D. Hieronymus tyrannidem suo assensu fouerit, dum inquit: Christus virgo, virgo Maria, vtriusque sexûs virginitatem dedicauêre. Apostoli, vel virgines, vel post nuptias continentes: episcopi, presbyteri, diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post sacerdotium in æternum pudici &c. Ad sacerdotium adspirantibus, inquit Bredenbachius, eam constituit Ecclesia ætatem, in qua nemo non sibi notus esse potest: vt sciat an castè viuere possit, nisì q; nemo nostrûm quicquam boni potest præstare sinè gratia & auxilio Dei: tamen ea ætate si quis in se descendat, motus carnis suæ obseruet,& gratiam spiritûs diuinitùs sibi datã, aduersùs illos motus Bred. In apol. aduers. Iouini. Cõt. Henr. Pileum. Iohan. 15.

tus studeat excitare, hunc ego omninò mihi persuadeo facilè inuenturum esse, quid de gratia Dei, quantùm ad continentiam vitæ attinet, sperare debeat. Quòd si videatur sibi infirmior esse, q̃ vt continere possit, aut non sit eius sententiæ vt velit, iam nè voueat Deo, nè promittat ecclesiæ, nè recipiat in se sacerdotium, ad quod multis grauissimisq; de causis Ecclesiæ voluntas est, neminem admittere, nisì qui iam in animo suo decreuerit castè viuere. Sed nõ
Mat. 19. omnes, inquis, capiunt verbum hoc. Audi quid Bredenbachius, cuius hostem te profiteris, interiectis alijs, quæ studio breuitatis omittimus, respondeat: Demus illos, inquit, non posse: tamẽ si hoc præsciuerunt, & tamen vouerunt, vt hac ratione irreperent in sacrosanctum illud sacerdotium, vt habeant vndè viuant in ignauo & execrando ocio: quomodò possunt effugere iustum iudiciũ Dei, & pœnam suę perfidię debitam? Veruntamen ego, inquit, ostendã rationem, vt possint præstare, quod vouerunt, si modò velint. Principiò confugiant ad illum cui vouerunt: ab hoc supplices petant
Phil. 4. auxilium ac vires vt possint: nimirùm de quo Paulus Apostolus, ingenti concepta fidutia, inquit: Omnia possum in eo qui me confortat. Impossibile autem est, vt hic supplices, rem tam honestam, piam, sanctam & salutarem à se petẽtes, repellat. Ecquis tam impiè de æterna eius veritate sentit, vt putet non præstiturum, quod to-
Matt. 7. tiès tam sanctè promisit? Nónne autem verbum promissionis eius est: Omnis qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur? Cuius verbi sententiam tot locis tam seriò & grauitèr repetitam legimus, vt de veritate eius dubitare nihil aliud esse queat, q̃
Heb. 4. ipsum Deum abnegare. Quamobrẽ faciamus quod monet ac hortatur Apostolus, vt adeamus cum fidutia ad thronũ gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Nè verò petamus tanquàm ignaui, & quasi nihil ipsi velimus præstare laboris in resistendo hosti. Tales enim non exaudit, sed eos, qui inter implorandum auxilium etiam ipsi in armis sunt,
Iob 7. in acie stant, hosti resistunt. Militia enim est hominis vita super ter-
2. Tim. 2. ram, inquit insignis ille miles Iob: & qui certat in agone, nõ coro-
1. Cor. 9. nabitur, nisì legitimè certauerit, inquit Apostolus. Omnis autẽ qui in agone contendit, inquit idem alibì, ab omibus se abstinet: & il-

li quidem, vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans: sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, nè fortè, cùm alijs prędicauerim, ipse reprobus efficiar. Non statìm despondendus est animus, non abijcienda arma, nõ dextra herbáve porrigenda hosti, si Deus videatur differre auxilium, quô magìs exerceat, illustrioremq; reddat nostram virtutem. D. Apostolo Paulo datus fuit stimulus carnis, angelus satanæ qui eum colaphizaret: & cùm tèr Dominum rogâsset, vt discederet à se, audiuit: Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur. An putamus illis solis amplectendum esse cælibatum, qui nullos sentiunt motus carnis? Quænam (obsecro) laus est, quæ gloria tales manere cælibes, & viuere castè? Non est gloria apud Deum, esse Eunuchum, vel manibus hominum, vel natura castratũ: sed semetipsum castrâsse propter regnum Dei, hoc gloriosum est in conspectu Dei. Quî fieri putamus, vt in tanta sacerdotum turba vix paucos inuenire sit, qui viuant castè? In promptu causa est, quia ne semèl quidem dant operam, vt castè viuant. hæc & his multò plura grauissimè iam olìm disseruit Bredenbachius aduersùs ὁμότεχνον tuũ Henricum Pileum: ad quem auidum lectorem remittimus. Iam si ad veterum patrum monumenta accedamus, si eos consulamus, qua ratione continentiam tueri queamus, quibus modis verbum hoc capere possimus, quantus aperietur nobis dicendi campus? Neque enim vllus ferè est, qui non de virginitate disserat, qui non ad cõtinentiam exhortetur, qui non demonstret, quo pacto cælibes castum cælibatum agere queant. Audi quid Rustico monacho faciundum præscribat Hieronymus, vt in sancto vitæ instituto sanctè vsque ad finem perseuerare posset. Nunquàm de manu & oculis tuis recedat liber, discatur Psalterium ad verbum, oratio sinè intermissione, vigil sensus, nec vanis cogitationibus patens. Corpus pariter & animus tendatur ad Deum. Iram vince patiẽtia. Ama scientiam scripturarũ, & vitia carnis non amabis. Nec vacet mens tua varijs perturbationibus. Quæ si pectori insederint, dominabũtur tuî, & deducent te ad delictum maximum. Facito aliquid operis, vt te sempèr diabolus inueniat occupatum. Vel fiscellam texe iunco,

2. Cor. 12.

Mat. 19.

Quibus modis castitatẽ tueri queamus.

vel canistrũ lentis plecte viminibus: sarriatur humus, areolę ęquo limite diuidantur. Inserantur infructuosæ arbores vel gemmis, vel surculis, vt paruo post tempore laboris tui dulcia poma decerpas.
Ecci xj. Pro.6. Apum fabricare aluearia, ad quas te mittunt Salomõis prouerbia, & monasteriorum ordinem ac regiam disciplinam in paruis disce corporibus. Texantur & lina capiendis piscibus: scribantur libri, vt & manus operetur cibum, & animus lectione saturetur. In desiderijs est omnis ociosus. Aegyptiorum monasteria hunc morem tenent, vt nullum absq; operis labore suscipiant, non tam propter victûs necessitatem, quàm propter animæ salutem. Nè vagetur pniciosis cogitationibus mens, & instàr fornicãtis Hierusalem, oĩmi transeunti diuaricet pedes suos. Verùm dic agè Hieronyme, túne
1. Cor. 7. τὸ πυροῦσθαι, de quo Paulus, in te sensisti? Sentiens autem, nunquid protinùs abiecto clypeo, carnis prurigini te subiecisti? Audiamus quid respõdeat. Dum essem iuuenis, inquit, & solitudinis me deserta vallarent, incentiua vitiorum ardoremq; naturæ ferre nõ poteram: quem cùm crebris ieiunijs frangerem, mens tamen cogitationibus æstuabat. Ad quam edomãdam cuidam fratri, qui ex Hebræis crediderat, me in disciplinam dedi &c. refertq; mox de quodam adolescente Græco, qui cùm in monasterio existẽs, nulla cõtinentia, nulla operis magnitudine flammam posset carnis extinguere, idq; pater monasterij comperiret, insigni strategemate effusum & exæstuantem adolescentis affectum moderatus est, instituta videlicet contra eum graui quadam accusatione, eaq; testibus firmata, atq; ità cùm toto penè anno summo in luctu ac discrimine vixisset, propter institutam contra se actionem, posteà rogatus an molestiam aliquam ex carnis rebellione sentiret, respondit: Papè, Viuere mihi non licet, & fornicari libeat? Hæc ibi Hierony. Sanè non Aetnæi ignes, non Vulcania tellus, non Vesuuius & Olympus tantis ardoribus ęstuant, vt iuueniles medullę, præsertìm eorũ, qui non ab omnibus se abstinent, quæ illud incendium adaugere possunt. Cur non eiusmodi faces & fomenta subtrahere mauult Smidelinus carnis prurigini, quàm statìm herba porrecta amori & libidini succumbere? nimirùm vt demonstret se Iouiniani asseclã, & illorum pseudoprophetarum gregalem, quos depinxit sermo

Apo-

Apostolicus: Veniet in nouissimis diebus illusores seducentes, iuxta propria desideria ambulantes. Atq; item illorum, quos D. Augustinus Paternianos vel Venustianos dici ait, qui asserebant à lũbis vsque ad pedes, diabolum fecisse corpus hominis: superiores verò partes, Deum velut supra basin aliquã collocâsse, addebantq; nihil ab hominis studio requiri, quàm vt anima, quã in stomacho & capite habitare dicebant, munda seruetur: pubem verò, si omnium flagitiorum sordibus oblinatur, aiebant ad suam non pertinere curam. Quanto rectiùs ipse Dominus & seruator: Attẽdite, inquit, vobis, nè fortè grauẽtur corpora vestra crapula & ebrietate & curis huius vitæ. Et Apostolus: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Nec mirum, hoc figulum sensisse de vasculo, quod ipse est fabricatus, cùm etiàm Comicus, cuius finis est humanos mores nôsse atq; describere, dixerit: Sinè Cerere & Baccho friget Venus. Vndè Hieronymus ad Furiam de viduitate seruanda, scribit, vt si stomachi firmitas patitur, donèc puellares annos transeat, aquam in potu sumat, q̃ natura frigidissima est. Deindè in ipsis cibis calida queque deuitet. Quicquid facit seminarium voluptatum, venenum putet. De scripturis sanctis, inquit, habeto fixum versuum numerũ, istud pensum Domino tuo redde: nec antè quieti membra concedas, q̃ calathum pectoris tui hoc subtegmine impleueris. Post scripturas sanctas Doctorum hominum tractatus lege &c.

2. Pet. 3. Cõt. Iulian. Pelagia. lib. 5. cap. 5. Luc. 21. Ephe. 5. Terent. in Eunuch.

Eccè per eiusmodi tramites D. Hieronymus ad continentiam nos contendere iubet, quos si quis obseruet, & seriò castitati studeat, haud difficultèr obtinebit quod desiderat. Vnum eloquentiæ studium, Cicero satis firmum castitatis argumentum putauit in M. Cælio: nos, qui præter feruens sacrarum literarum studium, tam multa pietatis habemus exercitia, quibus affectuum tumultus cõprimamus, quid cogit, vt animos despõdeamus? Pythagoras adolescentem amore lymphatum, musica harmonia ad modestiam reuocauit. M. Tullius quoq; gentilem illam suam philosophiã, animorum medicinam appellauit: & nos dubitabimus eadem hæc pcipi posse ex studio sacrarum literarum? Anna Prophetissa ab adolescentia vsq; ad octogintaquatuor annos viduitatis onus sustinuit: an quia nõ sensit in se τὸ πυροῦσθαι? Nequaquàm, sed nõ recede-

Augu. cõtra Iulian. Pela. li. 5. ca. 4. Cice. in Tuscul. Luc. 2.

bat de templo Dei, diebus ac noctibus insistens ieiunijs & obsecrationibus. Simile de Iudith vidua legimus. Hoc est quod D. Hieronymus ad Demetriadem de seruanda virginitate scribit: Præter psalmorum & orationis ordinem, quod tibi hora tertia, sexta, nona, ad vesperum, media nocte, & manè sempèr est exercendum: statue quot horis sacram scripturam ediscere debeas. Cumq; hæc finiêris spatia, & frequentèr ad figenda genua solicitudo animę suscitauerit, habeto lanam sempèr in manibus, vel staminis pollice fila deducito &c.

Similia habet D. Augustinus lib. de bono viduitatis cap. 21. Deliciæ, inquit, spirituales delicijs carnalibus in sancta castitate succedant: lectio, oratio, psalmus, bona cogitatio, bonorum operum frequẽtatio, spes futuri seculi, cor sursùm, ieiunia quoq; & vigilię &c. Si te vóueris Deo, inquit Origenes homilia 24. in Num. imitandus tibi est vitulus, quem non licet humanis operibus deseruire, nihil facere quod ad homines & ad præsentem vitam pertinet: sed quicquid ad animam pertinet, & ad diuini cultûs obseruantiam, hoc & agendum, & cogitandum tibi est.

Similia apud Athanasium refert D. Antonius ad suos anachoretas. Prætereo nunc quæ Cyprianus, Damasus, Ambrosius, Tertullianus, alijq; complures de virginitate & eius custodia præclarè scripserunt, quos longè alio spiritu ductos patet, quàm lasciuientẽ illum Veneris maritum Vulcanum Goppingensem. Sed non oẽs capiunt verbum hoc, inquit aduersarius, sed quibus datũ est. Abũdè iam ad hoc responsum est. verùm vt vndiq; prominẽtia cornua prodant petulãtem Satyrum, nolo dicere Beanum, (licèt hoc titulo Reuerendissimum præsulem Hosium irreuerentèr decoret) audiamus quid D. Hieronymus in eum locum referat. Nemo, inquit, putet sub hoc verbo vel fatum vel fortunam introduci, quòd hi sunt virgines, quibus à Deo datum sit, aut quos quidam ad hoc casus adduxerit: sed his datum est, qui petiêrunt, qui voluẽrunt, qui vt acciperent laborauerunt. Omni enim petenti dabitur, & quærẽs inueniet, & pulsanti aperietur. De talibus loquitur D. Augustinus: Non eos terreat sarcina conscientiæ: leuis erit, si Christi erit: Christi erit, si fides aderit, quæ impetrat à iubente, quod iusserit.

Matth. 7.

Idem

Idem D. Augustinus cap. 4. de libero arbitrio: Non omnes, inquit, capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt: quibus enim non eſt datum, aut nolunt, aut non implent quod volunt, &c.

Theophylactus quoq; in Matthæum: Non omnibus datum eſt continere, illis autem datum eſt qui petunt.

In eandem ſententiam Chryſoſt. hom. 17. in epiſt. ad Hebræos: Non oportet, inquit, dicere, Non poſſum continere &c. Multi non poſſunt, quia non volunt. Si enim voluērint, oṁes potuerint. Propterea & Paulus ait: Volo omnes eſſe ſicut meipſum, quia ſciuerat quòd omnes poterant eſſe ſicut ipſe. Non enim, ſi impoſſibile fuiſſet, hoc dixiſſet. vt autem tales ſimus, & voluntate & conatu opùs eſſe, cōſequētèr demōſtrat Iſidorus lib. 2. de ſummo bono cap. 40. A Deo datur continentia: ſed petite, & accipietis: tunc autem tribuitur, quandò Deus gemitu interno pulſatur. Conſentit his Euthymius in 19. cap. Matth. in illa verba, Non omnes capiunt &c. Soli illi ſermonem hunc ſuſcipiunt & ferunt, inquit, quibus datū eſt hoc donum à Deo. Datum eſt autem his, qui petiuerunt &c. non autem ſimplicitèr, ſed feruentèr & perſeuerantèr, & vt ſemèl dicā, ſicut oportet. Pulchrum eſt quod ait Origenes: Si offeramus ei corporis caſtitatem, accipiemus ab ipſo ipſius caſtitatē. Hoc eſt quod in eundem ipſum locum idem Origenes: Quoniam, inquit, quidā calumniantur, quod Chriſtus ait, Quibus datum eſt: quaſi excuſationem habentes, & volentes quidem eſſe in caſtitate, non autem præualentes. Quibus eſt reſpōdendum: Si quidem accipimus ſimplicitèr quod dictum eſt, Sed quibus datum eſt: non autem attendimus, quod alibì dicit: Petite, & dabitur vobis: &, Omnis qui petit, accipit: aut fideles non ſumus, aut ſcientes ſcripturas. Qui enim vult capax eſſe verbi, quod de caſtitate poſitum eſt, petat, credens dicenti, & accipiet, non dubitans de illo quod dictum eſt: Omnis qui petit, accipit. Quis eſt ergò qui petit? Qui credit Chriſto, dicēti: Si ſteteritis orantes, credite quoniam accipietis. Debet autem, q̃ petit, omnia facere, quātùm ad ſe, vt oret ſpiritu, oret & mente, memor Apoſtolici verbi, quod ait: Sinè intermiſſione orantes. Diuus Ambroſius virgini lapſæ, dicenti, Non potui ſuſtinere, quia carnē fragilem circunferebam: Reſpōdebit tibi, inquit, beata Tecla cum

Hom. 24. in Numer.

Vide Bredēba. in 19. cap. Matt. in hæc verba: Nō oēs capiunt &c.

Ambroſ. ad virg. lapſ. cap. 4.

suis innumerabilibus socijs: Et nos eadẽ carne amictæ fuimus, non tamen plenum propositũ castitatis nostræ, aut fragilitas carnis potuit mutilare, aut sæuitia tyrannorum per varia tormẽta potuit deijcere. Quid igitur amplius nunc à nobis requiris Smideline? Si nõ oẽs capiunt verbũ hoc, necessariò concedes aliquos cape. Quod vt concedas, tam multa continentium millia extorquent, nõ in Christianismo dũtaxàt, sed & paganismo, adeò vt etiàm ipse Epicurus, quantunuìs summum in voluptate bonum constitueret, continentiam prædicauerit, multi Ethnici re ipsa præstiterint, quorum copiosum catalogum enumerat Hieronymus, & commemorat Augustinus in quæstionibus mixtis. De Catone memorat ille, qui ob ligatam orationem inter poëtas, ob fidem verò & grauitatem inter historicos refertur:

Aug. lib. de vtilit. credẽdi, cap. 4.

Lib. 1. aduers. Iouin. q̃st. 115. to. 4

Vrbi, inquit, pater est, vrbiq; maritus,
Iustitiæ cultor, rigidi seruator honesti,
In commune bonus: nullosq; Catonis in actus
Surrepsit, partemq; tulit sibi nata voluptas.

Quod sinè voluptate non faciebat, non tamen propter voluptatẽ suscipiebat, sed solius prolis habendæ gratia. Nôrat ethnicus non in passione desiderij suum vas possidere: nôrunt p̃tereà multi exulantes à gratia Dei & idolorum cultores, matrimonij iugo continentiam p̃ferre. Nôrunt athletæ non pauci, vt refert Clemẽs Alexand. Stromat. 3. propter exercitationem corporis à Venere continere, inter quos Crotoniates Aeschylus & Criso Imeruæ. Amœbæus quoq; citharœdus cùm recentèr vxorem duxisset, à spõsa abstinuit. Vndè iam ô Smideline, impudentissimum illud tui Luteri schediasma, non à Christo duntaxàt, non ab ecclesia Catholica, nõ ab vniuerso sanctissimorum Patrum Senatu tantùm, sed etiàm ab ipsis paganis, immò & tuo ipsius ore funditùs euertitur, quum inquit, Veneris vsum tam esse necessarium sicutì expuere, edere & bibere, &c. Sempèr pseudoprophetæ dulcia pollicentur, & ad modicum placent, inquit Hieronymus. Huiusmodi Euangelio turtures profligantur, & vpupæ nutriuntur. Hirci vestri plurimas secum capras trahunt, & equi vestri in fœminas insaniunt. Si Veneris necessitas est ineuitabilis, quomodò plurimi ethnicorum Venerem ne-

Meretriciũ Luteri dicterium.

Aduers. Iouinian. li. 2.

neſciérunt,& bona eorum pars philoſopho vxorem ducendā noluerunt? Quin & tu Smideline adducto loco euangelico, nō oēs capere verbum hoc, apertiſſimi impudentiſſimiq; erroris magiſtrū tuum conuincis: ſi enim non omnes, certè aliqui capiunt. Sed reſtat iam, vt & tuo ipſius ore iuguleris homo ſalaciſſime. Pauli locū 1.Tim.5.in lib. aduersùs Hoſium ſic explicas: Dum fidem reijcere dicuntur (viduæ,) rectè intelligi non de voto aliquo monaſtico, ſed primò de fide in hoc officio data, qua receperunt ſeſe ꝑpetua lege cælibatûs ſuā operam Eccleſię addicere, deindè etiàm de fide in baptiſmo data &c. Vbì ex te quæro Smideline, ſi ea tantummodò vouenda ſunt, quæ ſunt in noſtra poteſtate, negas autē continentiam noſtræ eſſe poteſtatis, qua fronte ais Apoſtolum ꝓnunciare illas viduas habere damnationem, quæ fidem de perpetuo cælibatu ſeruando irritam fecerunt? Si receptæ legis de cælibatu violatione damnationem ſibi accerſerunt viduæ, qua ratione Luterum eiuſq; ſequaces ab hac damnatiōe abſolues? Quid eſt ardelionem & vitiligatorem agere, ſi hoc non eſt? Vt intereà taceā, Brētium tuum hanc fidem de qua loquitur Paulus, de nullo continentiæ voto vlla ex parte accipere. Eas nunc Smideline, & omnibus monachis & continētibus, qui in ſe τὸ πυροῦσθαι experiūtur, ad matrimonia claſſicum, & ſpōſo Lutero epithalamium canas. Porrò ſi vlteriùs nobiſcum contendat Smidelinus, ea tantùm vouenda, quę in noſtra ſunt poteſtate, qua ratione votum in baptiſmo p̄ſtitum excuſabit, cùm ipſe palàm in lib. aduerſ. Reuerendiſſ. Hoſiū clamitet, legis Euangelicæ obſeruationem eſſe impoſſibilem? Cur iſtic diabolo abrenunciamus? cur in Euangelicæ legis obſeruationem iuramus? Atque adeò nihil fuerit quod vouere Deo queamꝰ, cùm non ſimus ſufficientes vel cogitare quippiam ex nobis tanq̃ ex nobis. Quin igitur eadem ratione baptiſmum abrogat Smidelinus, in quo rem tam difficilem atq; adeò iuxta ipſum, impoſſibilem, vouemus?

Cap.2.

Tra-

Tractatur locus Ambrosij ad virginē lapsam, atque itē eas Christo desponderi, quæ accepto velo & publico voto, se ad continentiam obstrinxerunt. Melius est nubere quàm vri, ad quos pertineat. Vetustißimum esse vsum sacri veli ac tonsuræ monasticæ.

Smid. AD locum Ambrosij admodùm ineptum, inquit Smidelinus, hoc iam respōsum Grammatico damus: Si probauerit nobis, idem esse ad altare velari, tonderi, in monasterium detrudi, quod Christo desponderi, parati sumus sanctissimi viri Luteri lapsum vnà cum ipso etiàm anathematizare.

Bred. Eas Christo desponsatas fuisse, quæ accepto velo & publico voto se ad continentiam obstrinxerunt, clarissimè hoc ipso Ambrosij loco demonstrauit Bredenbachius. Non es memorata, inquit sanctus præsul, diei sanctæ Dominicæ resurrectionis, in quo diuino altari te obtulisti velandam? &c. Adspice ergò, quantus ad spōsi tui & Domini nuptias conuenerit populus. Seruare te oportuit fidem, quam sub tantis testibus pollicita es. Faciliùs te oportuit sanguinem cum spiritu fundere, quàm perdere castitatem tuam. His tunc in illo die consecrationis tuæ dictis & multis supra castitatem tuam præconijs, sacro velamine tecta es, vbì omnis populus dotem tuam subscribens, non atramento, sed spiritu paritèr acclamauit, Amen. Et paulò pòst: Dicit aliquis: Melius est ergò nubere, quàm vri. Hoc dictum ad nondùm pollicitam pertinet, ad nondùm velatam. Cæterùm quæ se spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, iam nupsit, iam immortali iuncta est viro. Et iam, si voluērit nubere cōmuni lege coniugij, adulteriū perpetrat, ancilla mortis efficitur. Audis hìc Smideline non simplicem, sed quadruplicē velaminis mentionem: audis hanc virginem lapsam, ad altare velatam fuisse: nec iam primùm audis, sed iam olìm in Bredenbachij libro legisti: vt mirer atq; adeò obstupescam, qua fronte, quo animo tu dicas paratum te esse anathematizare Luterum, si probauerimus idem esse ad altare velari &c. quod Christo despōderi, cùm hìc apertè D. Ambrosius Christo desponsatas dicat, quæ accepto sacro

Ad virginē lapſ. cap. 5.

1. Cor. 7.

ſacro velamine, immortali viro nupſerunt. Eccè quàm verè de te tuiſq; gregalibus pronunciauit Apoſtolus, hæreticum hominẽ eſſe ſubuerſum. Verè ſubuerſus es Smideline, qui dum ore Luterũ virum ſanctiſſimum prædicas, & doctrinam eius velut Euangelicam & cæleſtem veneraris, reipſa tamen longè diuerſum agis, & à Luteri placitis lõgiſſimè recedis. Id tibi non meis, ſed Nicolai Amſdorffij verbis demonſtrabo. Sunt qui dicant, inquit, ſe condemnare Zuinglianiſmum: ſed Brenrij præfatio in librum Iacobi Goppingenſis, longè aliud teſtatur. Hìc enim pium Luterum & Zuingliũ, ſi dijs placet, cõciliare moliuntur, quod planè impoſſibile eſt. Quis enim vnquã audiuit cõtradictoria poſſe redigi in cõcordiã? Eiuſmodi res pueriles & quæ omninò fieri nequeunt, non verentur illi proponere, qui orbis Chriſtiani ſe magiſtros volunt: perindè àc ſi omnes nos planè caudices & ſtipites ſimus. Et poſt pauca: Quanuìs Theologi, qui in Vuormatienſi colloquio poſt noſtrorũ diſceſſum permanſère, publicè editis ſcriptis teſtati ſint ſe ab Auguſtana Confeſſione nolle diſcedere, re ipſa tamen diuerſum planè faciũt. Cùm enim Zuinglianos & Oſiandrinos execrari nolint, non poſſunt Auguſtanæ confeſſioni adhærere, ſed eo ipſo ab illa diſceſſerunt, atq; ità paci quidem obicem, diſſenſioni verò materiam obiecère. Si enim vnà nobiſcum ſupradictos errores condemnarent, iam à noſtra parte hac in re aduerſùm Papiſtas prorsùs concordes eſſemus &c. Titi 3.

Hæc ille in libro, cui titulum fecit, Publica confeſſio puræ doctrinæ Euangelij. Quæ idcircò obitèr adducere viſum eſt, vt impudentiſſimam tuam vanitatem, qua verbis Luterum prædicas, factis perſequeris, refellerem.

Iam & alterum illud tibi vis demonſtrari, nimirùm tonderi ſolere eos qui Chriſto deſponſantur? Docuit illud multis annis ante Ambroſium Dionyſius Areopagita cap. 6. Eccleſiaſticæ Hierarch. Priſcam illam Therapeutarum ſiue monachorum conſecrationem depingens: Presbyter, inquit, legitimas illas futuro monacho adſtanti orationes imprecabatur: quibus expletis, eum rogabat, num abrenunciet om̃ibus diuiſibilibus atq; ſecularibus tam vitæ quàm cogitationum generibus? tum expoſita illi vitæ multò in poſterum ſan- Vide latiùs inf. cap. 22.

ſanctioris futuræ, quàm adhuc, formula, atque vbì ταῦτα πάντα τοῦ τελουμένου προσεχῶσ ὁμολογήσαντοσ τῷ σταυροειδεῖ τύπῳ σφραγισάμενοσ ἀυτὸν ὁ ἱερεὺσ ἀποκείρει. Hæc omnia ille in monachum conſecrandus attento animo & animaduertentèr vbì promiſerit, eum crucis forma conſignatum presbyter tondet, veſteſq; commutans, ad ſacræ Euchariſtiæ adducit communionem. Quòd ſi vnius Dionyſij authoritas minùs te commoueat Smideline, audi quænam per omnẽ

Ad Sabiniã. Diac. Rom. tom. 1.

Syriam, vndè noſtra prodijt religio, & Aegyptum olìm obtinuerit conſuetudo. Moris eſt, inquit D. Hieronymus, in Aegypti & Syriæ Monaſterijs, vt tam virgo quàm vidua, quæ ſe Deo vouerint, & ſeculo renunciantes, omnes delicias ſeculi cõculcârint, crinem monaſteriorum matribus offerant deſecandum, capite poſteà ligato & velato. Nec hoc quiſpiam præter tondentes nouit & tonſas, nisi quòd quia ab omnibus fit, penè ſcitur ab om̃ibus. De ſacro quoq;

Cõt. Iulian. lib. 5. cap. 4.

virginum ſacrarum habitu ſic ait Auguſtinus: Tenent ſanctam ꝓfeſſionem non ſolùm habitu veſtis, ſed & mentis & corporis, reſiſtendo concupiſcentiæ carnis. Audiuiſti igitur Smideline, & tonderi & velari ſolitas virgines, quo deſignabatur, eas in Chriſto deſponſatas. Patres enim quandò de ſacro velamine commemorant,

Epiſt. 179.

de virginum monaſticarum conſecratione referunt. Sic D. Auguſtinus Iulianæ & Probæ viduis gratulatur, Demetriadem virginitatis velum accepiſſe: Velationis, inquit, apophoretũ gratiſſimè accepimus. Et D. Hierony. Poſt Apoſtoli Petri Baſilicã, in qua Chriſti flammeo cõſecrata eſt &c. Et idem alibì: Scio quòd ad imprecationem Pontificis, flammeum virginale ſanctum operuit caput.

Ad Sabiniã. Ad Demetria. de ſeruanda virginitate.

Vis & laudatiſſimi illius Imperatoris Iuſtiniani de tonſura monaſtica teſtimonium audire? In authentica de Monachis, §. 1. refert de triennali monachorum probatione, & cùm, inquit, triennio toto ità permanſerint, optimos ſemetipſos & tolerabiles alijs monachis & præſuli demonſtrantes, hos monaſticam promereri veſtem atq; tonſuram &c.

Idem igitur dicimus eſſe velari & tonderi, quod Chriſto deſpóſari, modò ſyncera fide & pio propoſito id agamus, quod externo ſigno profitemur. Dices, ergò dum baptizamur, Chriſto non deſponſamur? ſed illi duntaxàt, qui tondentur & velantur? & de ſolis

mo-

monachis ac sanctimonialibus locutus est Apostolus, inquiens: Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo? Respódeo, quéadmodùm duplex est virginitas, carnis & mentis: ità & despósatio duplex est. Virginitas carnis, est corpus intactum: virginitas mentis, est fides incorrupta. Secúdùm posteriorem illam ità Christo desponsamur, vt si riualem admittamus, si Christo virginitatem non seruemus, sponsum ipsum habere nequeamus. Hæc virginitas nè corrumperetur in Corinthijs timebat Apostolus, dum inquit: Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Timeo autem nè sicut serpens Euam decepit, ità corrumpantur sensus vestri. De hac loquitur Esaias: Quomodò facta est meretrix ciuitas fidelis Sion? Iuxta hunc modum tota ecclesia virgo appellatur, vt inquit Augustinus. Diuersa nihilominùs sunt membra ecclesię, diuersis donis pollentia. Alij coniugati, aliæ coniugatæ: alij viduati vxoribus, non vltrà quærunt: aliæ viduatæ maritis, vltrà non quærunt: alij integritatem ab ineunte ætate conseruant, aliæ virginitatem suam deuouerunt. Diuisa sunt munera, sed omes isti vna virgo est. Vbì est ista virginitas? Non enim in corpore. In corpore paucarum fœminarum est. Et si dici virginitas in viris potest paucorũ virorũ sanctitas, integritas etiàm corporis est in ecclesia, & honorabilius membrum est. Alia autem membra non in corpore, sed omnia in mente seruant virginitatem. Quæ est virginitas mentis? Integra fides, solida spes, syncera charitas. Cùm ipsa igitur vniuersa ecclesia, inquit alibì Augustinus, virgo sit desponsata vni viro Christo, sicut dicit Apostolus, quanto digna sunt honore membra eius, quæ hoc custodiunt etiàm in ipsa carne, quod tota custodit in fide, quæ imitatur matrem viri & Domini sui? Nam Ecclesia quoq; & virgo & mater est, Et paulò pòst: Proindè cùm Ecclesia vniuersa sit sancta & corpore & spiritu, nec tamen vniuersa sit corpore virgo, sed spiritu: quanto sanctior est in his membris vbì virgo est & corpore & spiritu? Et eodem lib. cap. 11. Illa igitur virgo, coniugatæ meritò præponitur, quæ nec multitudini se amandam proponit, cùm amorem vnius ex multitudine inquirit, nec se vni iam componit inuento, cogitans quæ sunt mundi, quomodò placeat viro: sed speciosum forma præ filijs hominũ sic amauit, vt quia

2. Cor. 11.

Esa. 1.

Trac. 13. in Ioan.

Li. de S. virginit. cap. 2.
2. Cor. 11.

cum ſicut Maria concipere carne non poſſit,è corde concepto etiàm carnem integram cuſtodiret.Profectò habebunt magnum aliquid præter cæteros in illa communi immortalitate, qui habét aliquid iam non carnis in carne.Sequuntur agnũ cæteri fideles, qui

Ibid.ca. 28.

virginitatem corporis amiſerunt,non quocunq; ille iërit,ſed quouſq; ipſi poterunt.Poſſunt autem vbiq;,præterquàm cùm in decore virginitatis incedit.Hæc ibì, & his longè plura Auguſtinus. Ex quibus iam manifeſtum eſt,tametſi omnes quotquot Chriſto nomen dedimus,Chriſto deſponſati ſimus,atq; vniuerſa Eccleſia virgo ſit,deſponſata vni viro Chriſto,præcipuo tamẽ quodam modo Chriſto deſponſatos,qui hoc cuſtodiunt etiàm in ipſa carne, vt ait Auguſtinus,quod tota cuſtodit in fide. De his loquitur Epiphanius contra apoſtolicos hæreticos:παρέδωκαν τοίνυν οἱ ἅγιοι θεοῦ ἀπόστολοι τῇ ἁγίᾳ θεοῦ ἐκκλησίᾳ ἐφάμαρτον εἶναι τὸ μέτα τὸ ὁρίσαι παρθενίαν, εἰς γάμον τρέπεσθαι. Tradiderunt ſancti Dei Apoſtoli Eccleſię,poſt definitam atq; conſtitutam virginitatem,ſceleratum eſſe ad nuptias conuerti.Huius virginitatis definitionem ſiue conſtitutionem D.Ambroſius memorato in loco nuptias appellat.Adſpice,inquit, quantus ad ſponſi tui & Domini nuptias conuenerit populus. Et paulò pòſt:Quæ ſe ſpopondit Chriſto,& ſanctum velamẽ accepit, iam nupſit,iam immortali iuncta eſt viro,& iam ſi voluërir nubere communi lege coniugij,adulterium perpetrat:ancilla mortis efficitur.Et Iouinianus Imperat. Si quis non dicam rapere, ſed attentare tantummodò iungendi cauſa matrimonij ſacratiſſimas virgines auſus fuerit,capitali pœna feriatut.Deniq; de huiuſmodi Chriſto deſponſatis virginibus dixit Auguſtinus:Quod cuiquam,antequàm vouiſſet,licebat:cùm id ſe nunquàm facturum vouerit,non licebit,ſi tamen id vouerit quod vouendum fuit, ſicut eſt perpetua virginitas,vel continentia poſt experta coniugia ſolutis à vinculo coniugali.Hæc ergò & ſi quæ alia ſunt,inquit,quæ rectiſſimè vouentur,cùm homines vouerint,nulla cõditione rumpẽda ſunt, quæ ſinè vlla conditione vouerunt.Quia & hoc Dominum pręcepiſſe intelligendũ eſt,vbì legitur: Vouete & reddite Domino Deo veſtro.Vndè Apoſtolus de quibuſdam quæ continentiam vouent, & poſteà nubere volunt,quod eis antequàm vouiſſent,vtiq; licebat:

l.ſi quis. C.de epiſ.& cler.

De adul.cõiug. ca. 24.

Pſal.75.

bat: Habentes, inquit, damnutionem, quoniam primam fidem irritam fecerunt. Hæc ille. Quid aduersùm hæc obmurmurabis Smideline? Eáne tãtùm vouenda, quæ sunt in nostra potestate: virginitatem autem huiusmodi non esse? Iam quæ de monachorum, virginum & sanctimõialium desponsatione, velo, habitu ac tõsura, pro nostro instituto copiosè satìs diximus, cõferamus cum his quę refert Luterus de origine & tonsura monachorum. Videns, inquit, diabolus Deum fecisse sacerdotem, voluit & ipse factum hoc imitari, & cùm tonderet coronam, excessit modum nouacula, vt latiùs quàm deberet, verticem raderet: atq; ità factus est monachus. Bella sanè historia, & planè digna quæ in Euangelio Luteri primas obtineat. Sed his omissis, ad te redeo Smideline. Dic agè quid iam aliud superest, quàm vt ex ista tua tam blasphema & absurda hæreticarum opinionũ colluuie, damnato & anathematizato Luteri lapsu, vnà cum ipso ad Catholicæ Ecclesię vnitatem reuertaris? Equidem & hoc in thematio, quòd mearum partium fuit, pro mea virili executus sum: tu víderis, quo pacto pertinaciã tuam defendas. Sed heus Smideline, rursùm te quæstionibus subijci oportet, cur dolosè dissimulâsti, quod Bredenbachius tam luculẽtèr ex D. Augustino, Gregorio Nysseno, & Beda presbytero declarauit, ipsam D. virginem Mariam virginitatem voto firmâsse? Item locum Pauli ad Timotheum de non recipiendis viduis adolescentioribus, nè primam fidem faciant irritam, ab omnibus tam Græcis, quàm Latinis Patribus de ea fide acceptum, quæ præstatur de seruanda continentia? Cur, inquam, hoc dissimulâsti? Responde, si quid habes. Nihil autem habere poteris aliud, quo te excuses, quàm vt vniuersam ecclesiam inscitiæ & erroris accuses.

1. Ti. 5.

In serm. Dñi in mõte habito.

Cap. 3.

Refutantur cauillationes Smidelini aduersùs Reuerendiß. Hosium de votis Monasticis.

SVperest nunc, vt quæ Reuerendiss. Hosio obijcit, ex ordine confutemus. Principiò criminatur quòd ex Abdia & Matthæo dixerit, non posse sponsam illam in matrimonium assumi, quæ spõsa regis cælestis effecta sit, & sacro velamine fol. 282.

cōſecrata. Num Euāgeliſta Matthęus, inquit Smidel. nefas duxit eā ſibi Matrimonio copulare, quæ Regi cæleſti deſponſata eſſet? Sic nō niſì impias, Idololatricas, Turcicas & Iudaicas vel virgines, vel matronas ducere liceret. Chriſtianæ enim quæ ſunt virgines, omēs Chriſto deſponſatæ ſunt, &c.

Ad hoc iam ſuprà reſponſum eſt, duplicem eſſe deſponſationē, ac duplicem virginitatem, mentis & corporis: ſed Smidelinus illam magìs ſpecificam & ſtrictiorem deſponſatiōis & virginitatis ſignificationem expugnare vult, aſſumpta illa largiori & magìs generica, prorsùs eadem arte, qua Luterus ſacerdotum ordinem tollere
1. Pet. 2. conatus eſt, quia Petrus dixit: Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, &c. Ergò omnes Chriſtiani ſacerdotes, & proindè nulla differentia laici & ſacerdotis. Porrò quemadmodùm ſacerdotiū laici nihil aliud eſt, quàm baptiſma, (deponat ſacerdotium laici, id eſt, baptiſma, inquit Hierony.) eoq; non ſequitur, omēs eodē modo eſſe ſacerdotes: ità deſponſatio illa, de qua loquitur hîc Smidelinus, nihil aliud eſt quàm Chriſtianæ fidei per baptiſmum aſſumpta profeſſio, neq; tamen idcircò verum, virgines arctioribus nu-
1. Cor. 7. ptijs Chriſto ſponſo non deſponſari facto virginitatis voto. Quo ſemèl emiſſo, iam ſi quis eam duplici nunc vinculo Chriſto deuinctam ſibi velit aſſociare, vtì de HYRTACO commemorat Abdias, rectè illi dicitur, Quomodò poteris ſponſam potētioris te tollere, & tuo eam matrimonio copulare? Hinc D. Ambroſius virginē nō mente duntaxàt per baptiſmum, verùm etiàm corpore per virginitatis votum Chriſto deſponſatam ac poſteà lapſam, Chriſti vocat adulteram, ancillam mortis. Quæ verò ſola duntaxàt mentis virginitate
1. Cor. 7. contenta, cogitans illud Apoſtoli, ſi nupſerit virgo, non peccauit, matrimonium contrahit, Chriſti adultera non cenſetur, quàm diù mentis virginitatem ſyncera religionis Chriſtianæ profeſſiōe cō-
Lib. 1. epi. 11. ſeruat. Tunc enim locum habet quod iam ſubiungis, Smideline: nec à Chriſto ſeparatur, quæ honeſto matrimonio iungitur. In altera verò illud Cypriani, Chriſtus Dominus & iudex noſter cùm virginem ſuam ſibi dicatam & ſanctitati ſuæ deſtinatam, iacere cū
Lib. 1. cont. Iouinian. altero cernat, quàm indignatur & iraſcitur? Et illud Hieronymi: Virgines quæ poſt conſecrationem nupſerint, non tam adulteræ ſunt,

ſunt, quàm inceſtæ. In coniugali vinculo, inquit D. Auguſtinus, ſi pudicitia conſeruatur, damnatio nõ timetur. Sed in virginali & viduali continentia, excellentia muneris amplioris expetitur. Qua expetita & electa & voti debito oblata, iam non ſolùm non capeſſere nuptias, ſed etiamſi non nubatur, nubere velle damnabile eſt. Nam vt hoc demõſtraret Apoſtolus, nõ ait, cùm in delicijs egerint, in Chriſto nubunt: ſed, nubere volunt, habentes (inquit) damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt, id eſt, (vt paulò ſuperiùs ait) voluntatem ad nuptias à propoſito continentiæ deflexerunt, Hæc ibì D. Auguſtin. De bono viduitat. cap. 9. Cap. 8.

Pergit belligerari aduersùs Hoſium: Concilium Agathenſe moniales, quantumlibèt vita earum & mores probati ſint, ante annũ quadrageſimum prohibet velari: Prælati verò Hoſiani ſtultas puellas recipiunt &c. Si Smidelinus in Canõibus tam eſſet verſatus, quàm in calumnijs: legiſſet etiàm Canonem, qui non ante ſexageſimum annum permittat velum conferri. Item alium, qui non ante vigeſimumquintum. Rursùs alium, qui de annis pubertatis loquitur. Quorum omnium ſcopum & ſententiam quia non intelligit, protinùs maledicétiæ ſuę frenum relaxat. Refert igitur Gratianus ex Gregorio I. Iuuenculas fieri abbatiſſas, vehementiſſimè prohibemus: nullam igitur fraternitas tua nisì ſexagenariam virginem, cuius vita atq; mores hoc exegerint, velare permittat. Sequitur iã Canon à Smidelino citatus: Sanctimoniales ante annum quadrageſimum non velentur. Item: Placuit vt ante vigintiquinq; annos nec diacones ordinentur, nec virgines conſecrentur. Deniq; paulò pòſt ſubnectitur: Puella ſi ante 12. annos ætatis ſponte ſua ſacrũ ſibi velamen aſſumpſerit, poſſunt ſtatìm parentes eius vel tutores id ſacrum irritũ facere, ſi voluerint: at ſi annum & diem diſſimulando conſenſerint, vlteriùs nec ipſi, nec ipſa mutare poterunt. Hęc ſi non iuxta morem ſuum, ſubare aſſuetus, confunderet Smidelinus, non tam petulanter inſultaret prælatis quos vocat Hoſianos. Tritum eſt prouerbium: Qui benè diſtinguit, benè docet. Dicim⁹ igitur Gregorium loqui de velo, quod vocant prælationis, quod anno ſexageſimo dari voluit Gregorius, vt abbatiſſæ conſtituendæ ſint ſexagenariæ. Proximus canon agit de velo, quod vocãt ordina- Smid. Bredenb. depulſio. 20. q. 1. 20. q. 2. c. puella.

dinationis,quo in diaconiſſas ordinantur,non vt diaconatûs officium exerceant,ſed (vt gloſſa exponit) ad euangeliũ,ſiue homiliam in matutinis legendam. Quòd autẽ hic canon præcisè de diaconiſſis loquatur,patet ex concilio Chalcedonenſi, quod ſic habet:Diaconiſſam non debere ante quadraginta annos ordinari,& hoc cum diligenti probatione.Si verò ſuſceperit ordinationem,& quantocunq; tempore obſeruauerit miniſterium, & poſteà ſe nuptijs tradiderit,iniuriam faciens Dei gratiæ,hæc anathema ſit,cum eo qui in illius nuptijs conuenit.Tertius canon cuius initiũ, Placuit:loquitur de velo conſecrationis, ſtatuens nè virgines ante 25. annum conſecrentur.Vltimus,quem ſuprà adduximus,canon tractat de velo profeſſiõis.Porrò quemadmodùm in ſacerdotum ac diaconorum ordinationibus nõ eadẽ ſempèr obſeruata ſunt tempora,ità non diffitemur hanc quoq; ætatis definitionem in velandis ſanctimonialibus nonnihìl mutatam. Quæ enim ad mores ptinent,ea pro temporum ac locorum ratione nonnunquàm variari ſolent authoritate eccleſię & epiſcoporum. Verumenimuerò ſi cõcilij Agathenſis authoritate(quod de ſola Diaconiſſarum ordinatione loquitur)ad hoc abuti velit Smidelinus, vt peccare dicat Eccleſiam,& ſtultos eſſe prælatos (vt ait)Hoſianos,quòd etiàm puellas ad vouendam virginitatem admittat, viderit ipſe quos epiſcopos & prælatos ſtultitię inſimulet.De ætate,qua virginitatem profiteri debeant virgines,iam olìm ex D.Baſilio ſic reſpondit Bredẽbachius:Omne tempus primę ętatis,inquit D.Baſilius,opportunũ eſſe dicimus ad ſuſcipiendam eruditionẽ & timorẽ Domini.Firma tamen erit profeſſio virginitatis,ex quo adulta iam ætas eſſe cœperit,& ea quę ſolet nuptijs apta deputari. Hæc ille. Aetas autem nuptijs apta,circa annum 12.ac 13.in fœminis conſtitui ſolet.Cur non etiàm criminatur & Leges & Canones,quòd hac ætate teneras puellas permittant grauiſſimis matrimonij difficultatibus implicari? quod quàm longè grauiores curas ac difficultates ſecũ trahat, experti nôſſe poſſunt.Deniq; cùm dicat Smidelin⁹, nec verò vel virgines,vel viduæ prohibentur in hoc ſuo vitæ genere caſtitatẽ vouere Domino.&c.ſicut donum continentiæ quibuſdam conceſſit Dominus,cur improbat, quòd virgines nubiles, ſpreto matrimonio

Can. 15.

D.Baſil.in monach.regul.cap.8.

fol.283. aduerſ.Hoſiũ.

monio, virginitatem eligentes, & vltrò ad votum paratas, ad vouēdam castitatem admittat ecclesia? Nam si qui fortè hîc irrepserunt abusus, vt non spontè, sed coactæ nonnunquàm voueant, hoc oēs pij sempèr abominati sunt: votum enim virginitatis debet esse liberum, quale describit D. Ambrosius ad virginem lapsam: Te nec pater compulit, inquit, nec mater coëgit, vt virginitatem profiteteris, quam vltrò & propria voluntate professa es.

Sed hoc noīe se Deo magìs gratas & acceptas esse, inquit Smidelinus, non est quod somnient, cùm in Christo non sit neque vir, neq; vxor, sed omnia vnum. Smid.

Credo hanc cantilenam allubescere Smidelino & socijs eius, vt qui iam alterum pedem habent in cælis, & tamen egregiè voluptuantur in terris, parem nihilo seciùs coronam habeant cum virginibus. Quid igitur est quòd tam multis verbis ad continentiam hortatur Apostolus? Volo vos sinè solicitudine esse. Qui sinè vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodò placeat Deo: Qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodò placeat vxori: & diuisus est. Et mulier innupta & virgo cogitat q̃ Domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodò placeat viro. Et post multa verba, quæ tamen ad eandem rem pertinent, ità concludit in eodem illo capite: Igitur & qui matrimonio iungit virginem suã, benè facit: & qui nō iungit, meliùs facit. Si virgines maritatis Deo nō sunt magìs acceptæ, vt quid in Apocalypsi legimus, Et cantabant quasi cãticum nouum ante sedem, & ante quatuor animalia & seniores, & nemo poterat dicere canticum, nisì illa centũ quadragintaquatuor millia, qui empti sunt de terra: Hi sunt, qui cum mulieribus nō sunt coinquinati, virgines enim sunt, Hi sequuntur agnũ quôcunq; ierit? Virginalis integritas, inquit D. August. & per piã continentiam ab omni concubitu immúnitas, angelica portio est. Profectò habebunt magnum aliquid præter cæteros in illa communi immortalitate, qui habent iam aliquid non carnis in carne. Et paulò antè: Nec illo quidem debent continentium meritis se conferre coniugia, quòd ex eis virgines procreantur: hoc enim non coniugij bonum est, sed naturæ, quæ sic diuinitùs instituta est, vt ex

Bred. 1. Cor. 7. Apo. 19. De S. virginit. cap. 13. Ibid. ca. 10.

quolibet humano vtriusq; sexûs concubitu, siue ordinato & honesto, siue turpi & illicito, nulla fœmina nisì virgo nascatur: nulla tamé sacra virgo nascitur: ità fit vt virgo nascatur etiàm de stupro, sacra autem virgo nec de coniugio. Nec nos hoc in virginibus p̄dicamus quòd virgines sunt, sed quòd Deo dicatæ pia continen-
Hom. 17. in Genesim. tia virgines. Et Chrysost. Quãto virginitas maior est & sublimior, tanto maiores sunt & coronæ, & retributiões, & repromissa bona eorum, qui cum hac in alijs bonis operibus se exercent. Rursùm
In 1. Cor. 7. alibì: Qui vxorem ducit, vtiq; non peccat, quia quod cõcessum est facit. Si verò contempserit, meritum sibi collocat & coronam. De Iouiniano hæretico refert D. Augustinus, quòd virginitatem sanctimonialium & continentiam sexûs virilis, in sanctis eligentibus cęlibem vitam, coniugiorum castorum atq; fidelium meritis adæquabat, ità vt quædã virgines sacræ prouectæ iam ętatis in vrbe Roma, vbì hæc docebat, eo audito, nupsisse dicantur &c. Verùm quibus modis illum Hieronymus excipiat, videre est libro 1. aduersùs Iouinianum: Audite patientèr virgines, audite (quæso) voluptuosissimum concionatorem, inquit, immò quasi Syrenum cantus & fabulas clausa aure transite. Vestras ferte paulispèr iniurias: putate vos cum Domino crucifixo pharisæorum audire blasphemias. Cũctorum in commune hostis est Iouinianus. Nam qui ęqualia oĩm asserit merita, tam virginitati facit iniuriam, dum eam nuptijs cõparat, quàm & nuptijs, sic eas licitas asserens, vt secũda & tertia matrimonia &c. Nec multò antè pulchrè explicat parabolam Euangelicam de fructu tricesimo, sexagesimo, & centesimo. Triginta, inquit, referuntur ad nuptias, sexaginta ad viduas, centesimus nu-
Cap. 44. & 45. merus ad virginitatis coronam. Quæ vt nos hîc contractiùs, ità fusiùs prosequitur istic Hieronymus, & D. August. in lib. de sancta virginitate. Quin & reliqui Patres hanc parabolam sic interpretãtur. Sed quorsùm opùs est in re luculentissima faces testimoniorũ producere? Totum huic voluptuosissimo concionatori opponim' Hieronymum, qui & scripturis & exemplis & rationibus penè infinitis hanc Iouiniani hæresim refutat. Post lõgam verborũ Aposto-
1. Cor. 7. li ad Corinthios explicationem, quæ partìm nos suprà commemorauimus, subnectit: Considera quòd aliud sit donum virginitatis,

aliud

aliud nuptiarum. Si enim eadem esset merces nuptiarum & virginum, nũquàm dixisset post præceptum cõtinentię, Sed vnusquisq; proprium habet donum ex Deo, alius quidem sic, alius autem sic. Vbi proprietas singulorum est, ibi altrinsecùs diuersitas. Concedo & nuptias esse donum Dei, sed inter donum & donum, magna est diuersitas &c. Quandò igitur tam proteruè reijcit sacræ virginitatis meritum Smidelinus, deblaterans, non esse quòd somnient virgines se Deo magìs gratas & acceptas esse: quid aliud agit, quàm vt Iouinianistam, Gnosticum, immò & Epicuræum se declaret? De Gnosticis refert Epiphanius, quòd ridebāt eos, qui politiam ac vitam honestam exercerent, castitatemq́; ac virginitatem, velut qui frustrà laborem insumerent. Plura de laudibus & præmijs sanctæ virginitatis refert D. Cyprianus in tractatu de habitu virginum. 1.Cor.7. Cõt. Gnosticos.

Sed profert Smidelinus Paulum Apostolũ: In Christo Iesu non est mas neq; fœmina, neq; virgo neq; vxor, sed omnia vnum. Smid.

Hîc tota exultatione bacchatur aduersarius, hoc velut fortissimo ariete virginitatis murum quatiens. Pauli verba sunt ad Gal. 3. Non est Iudæus, inquit, neq; Græcus, non est seruus neq; liber, non est masculus neq; fœmina, Smidelinus plusquàm sacrilega audacia annectit, neq; virgo, neq; vxor. Videt hîc pius lector duplicẽ huius hominis improbitatem. Primò, quòd Pauli verbis affingat ea, quæ apud Paulum non habentur: deindè, ꝙ ea quę Paulus de qualitate & conditione hominis inuoluntaria pronũciat, iste fraudulentèr torquet ad voluntariam animi affectionem, cùm hęc sit manifesta Apostoli sententia, vnam esse fidem, quam diuersæ personę amplectentes, vnum sint in fide, eoq; fieri vt non dicamur iusti, quia reges simus aut principes, Iudæi aut Græci, domini aut serui, aut legis Mosaicæ obseruatores, sed quia in Christum credentes, Christum induimus, neq; metiendam hominum distinctiõem persona, sed moribus & vita. Hanc esse huius loci sententiam ipsa res clamitat, & non minùs luculentèr quàm succinctè testatur D. Ambrosius. Nullam distantiam dicit credẽtium, inquit, vt nulli ꝑiudicetur quid fuerit antequàm crederet. Omnibus enim his vnũ decretum est donum. Apud Deum enim nulla discretio personarũ est, nisi morum & vitæ, vt homines vnius fidei meritis distinguantur, Bred. fol. 282. aduers. Hosiũ. Amb. in ca. 3. ad Galat.

tur,non perſonis &c.Quòd ſi nihil eſt cælibatus, nihil virginitas, cur idem Apoſtolus diſertè ait, Melius eſſe virginem non elocare matrimonio,quàm elocare?Præterea quid ſibi vult illud, Hi ſequuntur agnum quocunquè ierit, virgines enim ſunt, Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati?

Smid. Pergit Smidelinus:Miratur,inquit,Hoſius à noſtris vxores appellari, quæ cùm perpetuam virginitatem ſtultè vouiſſent, coniuges fiunt. Et nunc mihi in mentem venit magni alicuius Epiſcopi, qui, cùm in exilium eijcerentur Auguſtanę verę Eccleſię pij miniſtri,& ex illorum numero quidam de vxore quędam percontatus eſſet,eãdem quam hîc Hoſius,vocem emiſerat:Eccè,inquit,iſti nebulones ſcorta ſua vxores appellant.

Bred. Longè profectò mitiori vocabulo hic,quicunq; fuit Epiſcopus, veſtras illas apoſtatas coniuges appellauit,q̃ vel Hieronymus,Ambroſius,& Auguſtinus. Virgines quę poſt cõſecrationẽ nupſerint, ait Hierõymus, nõ tam adulterę ſunt,q̃ inceſtę. Nõ poſſum,inquit Auguſtinus,dicere à propoſito meliore lapſas, ſi nupſerint, fœminas,adulteria eſſe,non coniugia:ſed planè non dubitauerim dicere,lapſus & ruinas à caſtitate ſanctiore quæ vouetur Deo,adulterijs eſſe peiores.Nec eſt quòd cauſeris hîc Auguſtinum in errore fuiſſe,eoq; non mirum,ſi talis vox ei exciderit:idem enim & D.Baſilius ait, quod nunc ex Hieronymo & Auguſtino docuimus. Virginitatem Domino profeſſę,ait Baſil.deindè à carnis voluptatibus concitatæ,ſcortatiõis peccatum nuptiarum nomine velare volũt, non ignorantes,opinor,etiamſi ignorantiam ſimulent,quòd quæ ſponſi ſui dexteram præterijt,neq; huius eſt ſponſa, quem illegitimè reliquit,neq; illus,cui ſeipſam per affectum vitioſum adiunxit, &c.Iouinianus Imperator huiuſmodi maritos nõ epithalamio,ſed capitali pœna excipiendos ſtatuit. D. Ambroſius virginem à continentię voto lapſam, Chriſti vocat adulteram.Non igitur D. Auguſtino hęc vox per errorem excidit.

l. ſi quis C. De Epiſc. & Cler.

Smid. Erant tũc temporis nimij vitę monaſticę admiratores & pręcones,ait Smidel.ergò non eſt mirũ, ſi ei(Auguſtino)talis vox quoq; exciderit. Simili impudẽtia ſanctos primitiuę Eccleſię patres per-

Bred. ſtrinxit quidam Henricus Pileus,oppugnans librum colendi mihi pa-

parentis de dissidijs ecclesiæ componendis. Erant, inquit, ea tempora huiusmodi, quibus viri alioquì sancti, vltra scripturæ authoritatem cælibatum numero eximebant, & vltra ordinem commendabant.

Sic nimirùm mutuò se muli scabunt, & vt segetem Dominicam succendant, peruersissimarum opinionum caudas colligant fraudulentæ vulpes. In eandem impietatem erupit Smidelinus aduersùs Reuerendissimum Hosium, quem validissimis argumentis sacri Chrismatis vsum probantem, dum non posset refellere, proclamitauit, Non ignotum, patres nimiùm huic oleo tribuisse, nec hunc duntaxàt, sed & alios errores id temporis ecclesiam inuasisse, Patresq; si admoniti fuissent, hunc errorem facilè emendaturos. Cæterùm ego hoc loco Smidelinum ad ipsius parētis mei defensionem remitto, in qua vtriusq; & ipsius & Pilei vesaniā satìs apertè confutat.

Pergit ad incestas nuptias classicum canere Smidelinus: Si tam inuiolata est Augustini authoritas, inquit, quid dicemus de S. Cypriani martyris sentētia? qui de virginibus scriptum reliquit: quòd si se ex fide Christo dicauerint, pudicè & castè sinè vlla fabula perseuerent, ità fortes & stabiles præmium virginitatis expectent: Si autem perseuerare nolunt vel nō possunt, melius est vt nubāt &c. Smid.

Dum errorem suum in vno tueri conatur voluptuosus Concionator, in altero iugulat. Suprà in sacratas Deo virgines vociferatus est: sed hoc nomine se Deo magìs gratas & acceptas esse, non est quòd somnient: hìc Cyprianum adducit apertè dicentem, ità fortes & stabiles præmium virginitatis expectent. Itaq; qui Cypriano teste nititur, Cypriano teste mentitur. Porrò de quibus virginibus hìc Cyprianus loquatur, non satìs animaduertit aduersarius. Nec hodiè est, nec olìm fuit eadem omnium virginum ratio. Quædam seruandę castitatis studio ductę, non quidem assumpta monastica conuersatione & voto solennitèr emisso, sed in priuatis habitationibus manentes, sancto proposito virginitatem continentèr & firmitèr tenere decernebant, vt loquitur Cyprianus. Alię verò, & habitu & professione & voto seculo planè renunciantes, totas sese Christo deuouebant, & velut omnes delicias seculi conculcantes, Bred. Smid. Bred.

etiàm crinem monasteriorum matribus offerebant desecandum, capite posteà ligato & velato, vt de Syriæ & Aegypti mōasterijs refert D. Hieronymus. Posteriori huic virginū generi quòd vnquàm nuptiæ permissę sint propter incontinentiam, (quā precibus & pietatis officijs superari posse, suprà fusè docuimus) nunquàm probauerit aduersarius. De priori igitur genere loquitur Cyprianus, ꝙ cùm ex alijs, tùm etiàm indè patet, quòd huiusmodi virginibus cohabitationem cum masculis, grauissimè prohibet. Si post violatum castitatis propositum nubant, non quidem rescindūtur nuptię, vehementèr tamen à Patribus passìm improbantur. Hanc virginum distinctionem manifestè videre licet in hac D. Augustini sententia: Non possum, inquit, dicere à proposito meliore lapsas, si nupserint, fœminas, adulteria esse, non coniugia: sed planè non dubitauerim dicere, lapsus & ruinas à castitate sanctiore q̄ vouetur Deo, adulterijs esse peiores. Eccè dicit, à proposito meliore lapsas, coniugia quidem inire, non adulteria: lapsus verò & ruinas à castitate sanctiore, quæ vouetur Deo, adulterijs esse peiores. Et idem alibì de posteriori hoc vouentium genere loquens: Quibus placet, inquit, relicta omni spe seculari & omni actione terrena conferre se in societatem sanctorum, in communem illam vitam, vbì non dicit aliquis aliquid proprium, sed sunt illis omnia communia, & est illis anima vna & cor vnum in Deum, quisquis indè recedere voluerit, non talis habetur, qualis ille qui non intrauit. Ille enim nōdùm accessit, iste retrò respexit. Et paulò antè: Alius, inquit, ex munere Dei maius aliquid vouit, statuit nec nuptias pati. Qui nō damnaretur si duxisset vxorem, post votum quod Deo promisit, si duxerit, damnabitur, quum hoc faciat quod ille, qui non promiserat: tamen ille non damnatur, iste damnatur. Quarè, nisì quia iste respexit retrò? Sic virgo quæ si nuberet, non peccaret: sanctimonialis si nupserit, Christi adultera reputabitur: &c. Hæc Augustin⁹. In eandem sententiam & Chrysostomus disertè pronunciat. Bonū quidem nuptias & ipse confiteor: Honorabiles, inquit, nuptiæ & cubile immaculatum, fornicatores autem & adulteros iudicabit Deus. Sed te iam seruare non conuenit priuilegia nuptiarum. Angelorum enim societati semèl iunctum, illam relinquere, & vxoris laque-

Ad Sabiniā.

De bono viduita. ca. 11.

In Psal. 83.

Heb. 13.

queis implicari, adulterij crimen incurrere est. Quãuis frequentèr hoc ipsum nuptias voces, ego tamen & adulterio illud tanto peius affirmo, quanto maior ac melior mortalibus angelus. Neque vllos tibi fortè persuaserit, dicens: Nihil de non accipienda vxore Dominus præcepit. Nec me ignorare confiteor, quòd adulterium interdixit, non nuptias vetuit. Verùm in te adulterij nomen accipiet, si volueris vnquàm (quod absit) nuptias cogitare. Et quid mirum, si nuptiæ tales, quibus offenditur Dominus, adulterio comparantur? Maius longè audies: homicida iustorum laude donatur, & misericors plusquàm homicida punitur: quoniam hoc vetante fit Dño, illud voléte. Et Phinees quidem ad iustitiam reputatum est, quòd impudicum cum turpi fœmina virum vno gladio percussisset, Saulem autem Samuel sanctus Dei, in luctibus, lachrymis, precibusq́; pernoctans, damnatióe, cui illum addixerat Deus, liberare nó potuit, quòd hostium duci, quem debuerat trucidare, inuito parcendum credidit Deo. Cùm hæc ità sint, stupere desiste, si nuptiæ peiores adulterio iudicantur, quotiès Christus offenditur. Atq; vt illud repetam, quod in principio posui epistolę, si militię vincula nó tenerent, quis tibi defectionis nomen obijceret? Nunc autem nihil in te penitùs tui iuris est, quippe qui tanto Imperatori militare cœpisti. Nam si mulier proprij corporis non habet potestatem, sed vir: multò magìs hi, qui Christo potiùs quàm sibi viuunt, conditionem corporis sui habere non possunt. Iste qui núc Theodore cótemnitur, ipse tunc sinè dubio iudicabit. Hæc ibì Chrysost. Num. 25.

Smid. Putidum mendacium est, quòd affirmat neminem cogi, vt perpetui cælibatûs legem suscipiat. Ordini enim ecclesiastico hanc legem imposuerunt, qui per Christum & apostolos ab ea liber fuit.

Bred. Egregia verò consequentiæ ratio, ecclesia neminem recipit ad sacerdotium, nisì cælibem, ergò cogit ad perpetuum cælibatũ. Vbì hanc didicisti Dialecticã? Pulchra sanè ratio: Imperator cogit eos qui sub signis suis militare velint, ad militiæ sacramentum præstãdum, ergò cogit ad præstandum militię sacramentum. Christus dixit: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: ergò cogit inuitum ad Matt. 19. seruanda mandata. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia q̃ habes, ergò cogit ad venditionem rerum suarum. Manifesta fallacia à dicto secundùm quid, ad dictũ simpliciter.

Per-

Pergit Smidel. Quod præceptum extat diuinum, vt quis cælibatum vouere cogatur, priusquàm sacerdotium in ecclesia assequat? hîc scio magìs muti estis, quàm pisces.

Si Smidelinus Paulum Apostolum recipiat, velut spiritum Dei
1.Cor.7. habentem, eumq; audiat dicentem, oportere episcopum esse vnius vxoris virum, hoc est, non digamum, sed qui, si virgo non sit, vnam dũtaxàt vxorem habuerit, ipse protinùs magìs mutus quàm piscis, facilè viderit, vbì extet præceptum diuinum de cælibatu sacerdotum. Atque hanc esse Apostoli mentem, de non recipiendis digamis, omnes tam Orientalis quàm Occidentalis ecclesiæ Patres, & perpetua ecclesiæ ab ipso Apostolorum seculo ad hæc vsq; tempora cõsuetudo & praxis, manifestissimè coarguit. Reuerà non suscipit sancta Dei prædicatio, inquit Epiphanius, post Christi aduentũ eos, qui à nuptijs mortua ipsorum rxore, secundis nuptijs coniuncti sunt, propter excellentem sacerdotij honorem ac dignitatem. Et hæc certò sancta Dei ecclesia cum synceritate obseruat. Sed & adhuc viuentem & liberos gignentem vnius vxoris virum nõ suscipit, sed eum qui se ab vna continuit, aut in viduitate vixit, diaconum & presbyterum & episcopum & hypodiaconum, maximè vbì synceri sunt Canones ecclesiastici. At dices mihi, omninò in quibusdã locis adhuc liberos gignere presbyteros & diaconos & hypodiaconos. At hoc non est iuxta canõem, sed iuxta hominũ mentem, quæ per tempus elanguit, & propter multitudinem, cùm non inueniretur ministerium. Nam quod decentius est, id ecclesia per spiritum sanctum benè disposita videns, statuit apparere, vt cultus diuini indistracti Deo perficerentur, & spirituales necessitates cum omni beneuola conscientia peragerentur. Dico autem quòd decorum est propter repentina ministeria ac necessitates, vt presbyter & diaconus & episcopus Deo deditus sit. Si enim etiàm populo præcipit sanctus Apostolus, dicens, vt ad tempus vacent orationi: quanto magìs sacerdoti idem pcipit, vt indistractus sit, inquam, ad vacandum secũdùm Deum sacerdotio, quod in spiritualibus necessitatibus & vsib⁹ perficitur? Idem Epiphanius alibì refert, Apostolos ipsos Ecclesiasticã sacerdotij regulam ordinatè & sanctè instituisse, vt ad sacerdotium assumantur, qui vel in virginitate vitam degant,

degant, vel ab vnis nuptijs ſe continuerunt. Atq; iterùm alio in loco ſacerdotium ex virginibus quidem vtplurimùm procedit: ſi verò non ex virginibus, at ex ſolitariam vitam degẽtibus. Si verò nõ ſuffecerint ad miniſterium ex ſolitariam vitam degentibus, de his qui continent à proprijs vxoribus, aut ab vnis nuptijs viduitatem ſeruantibus. Nam eum qui ſecundas nuptias contraxit, non licet in ipſa (eccleſia) ad ſacerdotium ſuſcipere. Hactenùs Epiphanius. ex quibus manifeſtum euadit, quàm impudentèr aſſerat Smidelin. ordinem eccleſiaſticum per Chriſtum & Apoſtolos fuiſſe liberum à lege cælibatûs, cùm expreſsè hîc dicat Epiphani⁹, Apoſtolos ipſos Eccleſiaſticam ſacerdotij regulam ſic inſtituiſſe. Extat autem inter Apoſtolicos Canones vigeſimusquintus in hæc verba: τῶν εἰσ κλῆρον προεληλυθότων ἀγάμων, κελεύομεν βουλομένουσ γαμεῖν ἀναγνωστὰσ καὶ ψαλτὰσ μόνουσ: id eſt, Ex his qui cælibes in clerum peruenerunt, iubemus, vt Lectores tantùm & Cantores (ſi velint) nuptias contrahant.

De his Apoſtolorum canonibus quid ſentiendum ſit, licebit ex Haloandro cognoſcere: Illos certè non audimus, inquit, qui ab hæreticis incerto authore compoſitos eſſe ſcripſerunt, quandò vltra longæuam & conſtantem in eccleſia opiniõem, ſancta etiàm ſexta ſynodus, cùm in controuerſiam denuò vocarentur, grauiſſima ſententia eos agnouerit, cuius ſynodi omnia capitula poſteà approbauit Hadrianus Papa, vt de Iuſtiniano taceam, qui expreſſis verbis eos Apoſtolis tribuit. Hæc ille.

Citat librum Conſtitutionum Apoſtolicarum Epiphanius contra Seuerianos. Quamobrẽ autem Apoſtoli Eccleſiaſticam ſacerdotij regulam ſic, vtì ex Epiphanio & Canonibus ipſorum Apoſtolorum nunc commemoratum eſt, conſtituerint, pulchrè explicat D. Auguſtinus circa finem: Fortè dicatur, inquit: Si licet, & bonum eſt nubere, cur ſacerdotibus nõ licet vxores habere? id eſt, vt ordinatis iam non liceat conuenire? Quis neſciat vnumquodque ſuam legem habere? Eſt enim quod omninò generalitèr omnibus non liceat: eſt item, quod alijs licet, & alijs non licet: & eſt quod aliquandò licet, & aliquãdò non licet. Fornicari, omnibus ſempèr non licet: negociari verò aliquandò licet, aliquandò nõ licet. Ante-

tequàm enim Ecclesiasticus quis sit, licet ei negociari: facto iam nõ licet. Et Christiano cum vxore conuenire aliquandò licet, aliquãdò verò non licet. Propter dies enim processionis, aliquandò non licet conuenire: quia etiàm à licitis abstinendum est, vt faciliùs im-
1. Cor. 7. petrari possit quod postulatur. Vndè Apostolus: Ex consensu, ait,
Esa. 58. abstinendum ad tempus, vt vacetur orationi. Nam secundùm legẽ in ieiunio cædi & iurgari non licet, posteà licet: quia maior reuerentia debetur Dei causis. Nunquìd omne quod ante cæteros licet, ante imperatorem licet? Quãto magìs in Dei causis? Ac per hoc antistitem eius puriorem cæteris esse oportet: ipsius enim personã habere videtur: est enim vicarius eius, vt quod cæteris licet, alijs non liceat: quia necessè habet quotidiè Christi vicẽ agere, aut orare pro populo, aut offerre, aut tingere. Et non solùm huic concubitus non licet, verùm etiàm ministro eius: quia ipse mundior debet esse, quia sancta sunt quæ ministrat. Nam sicut ad comparationem lucernæ, tenebræ non tantùm obscuræ, sed etiàm sordidæ sunt: ad comparationem autem stellarum lucerna caligo est: ad solis verò comparationem, stellæ nebulosæ sunt: ad Dei autem claritatem, sol nox est: ità & quæ ad nos licita & munda sunt, ad Dei autem dignitatem quasi illicita & immunda sunt: quanquàm enim bona sunt, Dei tamen personæ non competunt. Nunquìd non tunica mediocris hominis, quanuìs munda, imperatori tamen sordida & illicita est? Similitèr & saxonicia senatori: ac per hoc antistites Dei puriores esse debent, quàm cæteri, quia & Christi habent personam, & ministros Dei mundiores esse oportet. Nemo enim imperatori ministrat, nisì vestimentis claris & mundis indutus: Deus autem quia natura clarissimus est, ministros eius natura magìs quàm vestibus mundos esse oportet. Luculentèr & succinctè idipsum confirmat D. Hierony. Christus virgo, inquit, virgo Maria, vtriusq; sexûs virginitatem dedicauêre. Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes. Episcopi, presbyteri, diaconi, aut virgines eligunt, aut vidui, aut certè post sacerdotium in æternum pudici. Et Iustinianus Imperat. conformem planè canoni Apostolico legem promulgatione sua confirmans, postquàm mulierum cohabitatio clericis vetita esset: Multo magis ergò, inquit, cessant eorum coniu-
gia,

gia, soli enim cantores lectoresq; nuptias contrahere permittuntur: alijs autem omnibus penitùs interdicimus: veruntamē si & ipsi ad secundas peruenerint nuptias, nequaquàm ad sacerdotij culmē asscendant. Videatur epistola 2. Innocentij ad Victricium Rothomageñ Episcopū cap. 9. quam ante annos 1200. temporibus D. Augustini conscripsit, de continentia sacerdotum veteris testamenti differens: Quanto magis, inquit, hi sacerdotes nostri vel Leuitę pudicitiam ex die ordinationis suæ seruare debent, quibus vel sacerdotium vel ministerium sinè successione est? Nec præterit dies, qua vel à sacrificijs diuinis, vel à baptismatis officio vacent. Vndè Hieronym. eum qui in sacerdotio filios suscipit, non quasi virum, sed quasi adulterum damnandum esse scribit. Videatur D. Chrysost. cùm alijs in locis, tum potissimùm lib. 6. de sacerdotio. D. Ambrosius in cap. 3. prioris ad Timoth. Deniq; vix vllum inuenitur Cōcilium, quo non grauitèr præcipiatur sacerdotibus continentia ab omni mulierum consortio. Consulatur Romanum primum sub Syluestro pontifice 272. Episcoporum, cap. 19. Toletanum primum cap. 3. & 4. Carthaginēse 4. atq; alia pleraq; antiquissima. Quid vel camutire poterit aduersùs hæc Smidelinus? Pergétne ecclesiam Catholicam calumniari, quòd cogat ad legem cęlibatûs? Quem, obsecro, vnquàm inuitum illa coëgit ad cælibatum? Si quispiam cælibatui præferat matrimoniū, nunquàm hunc arcebit ecclesia. Quòd verò ad sacerdotium & ecclesiæ ministerium solos cælibes & continentiam promittentes suscipiat, iustissimis grauissimisq; de causis introduxerunt ipsimet Apostoli, quas nunc ex tot tantisq; authoribus commemorauimus. Si cui non placeat cælibatus, non affectet sacerdotium: nubat, vel ducat in Domino: quem tantum abest vt remoratura sit ecclesia, vt etiàm benedictionibus, precibus & intercessione solenni gratiam coniugalis continentiæ, prudentiā in gubernāda familia, ac cæteras virtutes à Domino Deo illi sit precatura. Quòd igitur calumniatur ecclesiam, quòd ad sacerdotium non nisi continentiā promittentes admittat: perindè est, àc si cum Imperatore quispiam expostulet, quòd à militaturo militiæ sacramentum exigat, cùm ille qui militaribus legibus iurisiurandi religione nolit obstringi, non debeat se in militum ordinem cooptādum

Lib. 1. aduers. Iouin.

dum Imperatori aut exercitûs Duci offerre. Planè idem est cum lege cælibatûs, à quo si quis abhorret, nō est quòd adspiret ad sacerdotium. Sed hanc materiam fusiùs prosecutus est colendus mihi parens Matthias Bredenbachius in hyperaspiste aduersùs Henricū Pileum.

Calumniatur nunc, quòd Reuerendiss. Hosius dixerit exigente Christiana charitate, (verbi gratia, si salus alicuius regni, quod alioquì interiret, exposcat) quempiam à lege cælibatûs exolui posse, modò nè propria authoritate seipsum soluat, quod ipsorū Apostatis est solenne. Hinc infert Smidelinus, cur non etiàm propter tot millium animarum salutem, quas in igne deliciarum & æstu libidinis perire dicit, fiat legis relaxatio? Nos verò dicimus. si quę p-eunt, non ideò præcisè pereunt, quia non exoluuntur à voto, sed quia viuunt in igne deliciarū, vt loquitur Smidel. Huic igni si fomenta subtraherent, ieiunijs, precibus & vigilijs Deum continentèr & seriò precarentur, non tantæ esset inclementiæ Deus, vt spiritum continentiæ tam ardentèr & iugitèr petentibus non elargiretur. quicquid credentes petiēritis, fiet vobis, inquit. Quàm non sit difficilis continentia, si totos nos ad eam componamus, multi experti nôsse possunt, & copiosè satìs à nobis suprà declaratum est. Non oportet ergò lasciuientibus confestìm incontinētiæ frenum laxare, nec terrebit cælibatum aggressos sarcina continentiæ, vt inquit August. leuis erit, si Christi erit. Christi erit, si fides aderit, quę impetrat à iubente, quod iusserit. Nūquàm tam felicitèr actum est cum rebus humanis, quin vel in exigua societate etiàm illorum qui cæteris religione præstare debebant, inuenti sint qui perirent. In Monastica conuersatione multos propter incontinentiam in grauissima flagitia & apostasias prolapsos esse, non ambigitur: sed q̃ multos inuenire est, qui ad summum virtutis & continentiæ gradū hoc angusto calle contenderūt? quos si fortè ignoret Smidelinus, nobis tamen atq; alijs infinitis non sunt ignoti. Atq; hoc est quod D. Augustinus inquit: Quomodò difficilè sum expert⁹ exitus meliores, quàm eorum qui in Monasterijs profecerunt: ità nō sum expertus peiores, quàm qui in Monasterijs ceciderunt: ità vt hinc arbitrer in Apocal. scriptū: Iustus iustior fiat, & sordid⁹ sordescat adhuc.

Marc. 11.

Epist. 137.

Apoc. 22.

huc. Quapropter etsi cótristamur de aliqb⁹ purgaméntis, cósolamur tñ etiàm de pluribꝰ ornaméntis. Nolite ergò ꝓpter amurcã, qua oculi nostri effundũtur, torcularia detestari, vndè apothecæ Dñi fructu olei luminosioris implentur. Hæc ille. Quo sanè fructu in plurimis destitueretur ecclesia, si facilè legem cælibatûs & ꝓfessionis Monasticæ relaxaret. Nemo tã felix est, atq; adeò nec ipse quidẽ Apostolus Paulus fuit ab hoc igne immunis. D. Ambrosius virgini lapsæ dicenti, Non potui sustinere, quia carnem fragilem circunferebam: Respondebit, inquit, tibi beata Tecla cum suis innumerabilibus socijs: Et nos eadem carne amictæ fuimus, non tamẽ plenũ propositum castitatis nostræ aut fragilitas carnis potuit mutilare, aut sæuitia tyrannorum per varia tormenta potuit deijcere. Porrò quòd ecclesia periclitantibus præsertìm ex iusta causa scilicet, quia necdùm iustæ ætatis fuerint vouentes, quòd, inquam, his pro pietate sua non subueniat, satis grauitèr confutauit ipse Bredenbachius: Si quis vir aut si qua mulier, inquit, demonstrauerit primoribus ecclesiæ, præsertìm Romano Pontifici, se in ætate adhuc impubere vel à parentibus propinquísve coactum, vel dolo malo circunuentum, vouisse, cuius illum iam in ætate suæ tutelæ pœniteat, quòd sentiat se non posse id, quod ità coactus aut deceptus vouit, præstare: huic nunquàm negatur humanitas, pietas & auxilium ecclesiæ, id quod multi adhuc viui ab istiusmodi votis à Romano pótifice absoluti testari possunt. Et in Concilio Chalcedonensi, cùm hunc Canonem, qui est ordine 16. de votis conderet Ecclesia: Si qua virgo se dedicauerit Deo, similitèr & monachus, non licere eis iungi nuptijs: Si verò inuenti fuerint hoc facientes, maneant excommunicati: iustæ seueritati canonis adiecit nihilominùs misericordiæ remedium, dicens: Statuimus tamen posse in eis facere humanitatem, si ità probauerit loci episcopus.

2. Cor. 12.

In lib. cont. Henric. Pil. pag. 183.

Ad Cócilium Ancyranum quod habet, Quotquot virginitatem promittentes, irritam faciunt sponsionem, inter bigamos censeãtur, cur exagitat Hosij responsionem Smidelinus? Vt enim cómodam huius Concilij interpretationem non feramus, illud extra cótrouersiam est, prouinciale duntaxàt paucorum, nimirùm octodecim Episcoporum, illud fuisse cócilium, quod meritò generali ec-

clesiæ consuetudini & plenarijs concilijs cedere, luculentèr demō-strat ex Augustino Hosius: Concilia, inquit Augustinus, quæ per singulas regiones vel prouincias fiunt, plenariorum conciliorum authoritati, quæ fiunt ex vniuerso orbe Christiano, sinè vllis ambagibus cedunt. Adducit autem Hosius plenarij Concilij Chalcedoneñ Canonem 16. paulò antè à nobis recitatum. Nec est quòd dicas, nos veritatem multitudine suffragiorum & votorum metiri, cùm apertissimum sit, totius orbis ad œcumenicum concilium cōuocati decreta, vnius alicuius prouinciæ sanctionibus iure præferri. Concilium enim œcumenicum legitimè congregatum, hanc p̄rogatiuam habere credimus, vt spiritu sancto nō destituatur. Prouincialibus eandem authoritatem nō tribuimus. Quæ dum generalibus inferiora censentur, non est quod Vulcanio ore declamites illud, quod hoc loco aduersùs Hosium & vniuersam ecclesiam Catholicam detonâsti:

August. de bap. paruul. cōt. Donat. lib. 2. cap. 3.

Smid. Christianus lector hoc quoq; loco meminisse velit admonitionis Brētianæ, qua piè monuit, in quātas tenebras nos Asotici Prælati conijciant, si patiamur nos à sacra scriptura ad decreta Conciliorum & SS. Patrum traditiones ablegari.

Bred. Porrò quàm infinita penè sint Concilia œcumenica & prouincialia, quæ contra institutum Smidelini militant, copiosè satìs declarârunt Theologi Colonienses in Censura aduersùs Ioan. Monhemium, quæ, vt breuitati consulamus, hîc non repetimus.

Pag. 79. & sequent.

Cap. 4.

Erasmi testimoniū de Lutero, minimè inconstās, vt vult Smidelinus. Erasmo adstipulatur Luterus, qui qualis in episcopos & principes seculares fuerit, demonstratur.

Smid. ERasmi inconstans de Lutero iudicium, hac in parte nihil moramur &c.

Bred. Quid de vestra factione senserit Erasmus, non tacuit Bredenbachius, quanquàm ille ex multis vnum duntaxàt locum decerpsit. Sanè quàm non benè erga vestrum institutū affectus fuerit, abundè declarat in epistola contra pseudeuangelicos

&

& ad fratres inferioris Germaniæ, quarum pleraq; capita citat laudatissimus Præsul D. Stanislaus Hosius in sua fidei Catholicę propugnatione contra Brentium lib. 2. Ego vnum dũtaxàt proferam. Vos, inquit, strenuè clamatis in luxum sacerdotum, in ambitiõem episcoporum, in tyrannidem Romani Pontificis, in garrulitatẽ sophistarũ, in preces, ieiunia & Missas, nec ista purgari vultis, sed tolli: nec omĩnò quicquam in receptis placet, sed zizaniam euellitis cum tritico, aut vt meliùs dicam, triticum euellitis pro zizania. At quid interìm nobis profertis melius & Euangelio dignius, vt ab assuetis recedamus? Circunspice populum Euangelicum, & obserua num minùs illic indulgeatur luxui, libidini & pecuniæ, quàm faciunt hi quos detestamini? Profer mihi, quem istud Euangelium ex comessatore sobrium, ex feroci mãsuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores. Et post pauca: Nunquàm eorum ecclesias sũm ingressus, sed aliquãdò vidi redeuntes à concione, velutì malo spiritu afflatos, vultibus omnium iracundiam ac ferociam miram præ se ferentibus. Sic opinor, discedunt milites à conciõe ducis ad prælium exhortati. Quis vnquàm vidit in eorum concionibus quenquam fundentem lachrymas, tũdentem pectus aut ingemiscentem? Et iterùm, nonnullis interiectis: Circunspice mihi sodalitatem istam Euãgelicam: quot habet adulteros, quot temulẽtos, quot aleatores, quot decoctores, quot alijs vitijs infames? Et hos habent in delicijs, tantum abest vt vitẽt. Ac rursùs alibì: Iam vt donemus istis Euangelij præcõibus, esse fas vxores ducere, quis non admiretur ouiculas mactatiõi destinatas, nihil in hoc mundo quęrentes præter Christi gloriam, tot curis districtos, tot afflictionibus obnoxios, quibus accedit & paupertas, onus tum miserum, tum graue, non posse viuere sinè vxoribus? quas tam multi ob leuiores causas aut non ducunt, aut ductas nollent. At istis omnis tragœdia exit in catastrophẽ comicam: Vbì cõtigit vxor, occinitur: Valete & plaudite. Quæ (malûm) est ista tanta salacitas, quam tot mala non possunt excutere? vndè tãta carnis rebellio in ijs, qui se iactant agi spiritu Christi? Quod iam olìm etiàm Philippus vester nõ obscurè animaduertit, dum inquit: Qui ad mi-

In epist. ad fratres inferioris Germaniæ.

nisteria Ecclesiastica vocantur, si afficientur Ecclesię calamitatib⁹, si oneris sui magnitudinem animo metientur, si cogitabunt quàm difficilis sit explicatio dogmatum & gubernatio ecclesiæ, hę curæ ac miseriæ facilè excutient illis cogitationes de coniugio. Hæc ille. Quam igitur dicemus causam, cur iste populus Euangelicus tot calamitatibus ac persecutióibus pressus, tot curis ecclesiasticis distractus, sempèr subet ad Venerem? Sed ad Erasmum redeamus. Is in eadem epistola: Sacerdoté, inquit, Basileæ virgis cæsum, mox vrbe eiectum non nomino. Quid refert, quandò desiérit concionari? Istius erat professionis. Is, vt publicus ferebat rumor, & in carcere & extra portam, cùm à carnifice dimitteretur, publicè testatus est, se, postquàm se illi sectæ addixerat, in omne flagitiorum genus proruisse. Quid de tota secta dixerit, non referam. Hæc & his multo plura de vobis iam olìm scripsit ille Erasmus. Quòd si Erasmi testimonium parùm apud te ponderis obtinet, (quanuìs tuus ille Gregalis Naageorgus, eum dicat doctissimum virum, simulq́ue prudentem) & negas per omnia verum esse, quotquot se sectis adiungát, exuére prorsùs hominem: vel ipsius Luteri prophetæ vestri oraculo fidem accommoda: Mūdus, inquit, indiès fit deterior. Sút nunc homines magìs vindictæ cupidi, magìs auari, magìs ab omni misericordia remoti, magìs immodesti & indisciplinati, multoq́ue deteriores, quàm fuerint in Papatu. Vel igitur Luterum, tuo iudicio virum Dei sanctissimum, mēdacij arguito, vel Erasmi testimonium admittito, quod tamen siue tu recipias, siue repudies, ipsa rerum experientia verissimum esse clamitat. Sed hæc hominum fallacissimo placuit per fallaciam accidentis eludere: ait enim aduersùs Hosium, hęc Euangelio suo accidere, vt homines libertate Euangelij abutantur ad licētiam carnis. Sed quàm verè ex impietate doctrinæ proueniat, nemo non vel mediocritèr oculatus perspicit.

In loc. coibus editis anno 38.

Lut. in post. sup Euang. Dnic. 1. Aduent.

Iam quod sequitur, Luterum non euertisse authoritaté episcoporum, sed vt eorum authoritatem tueretur, monitorem fuisse sedulum, vt ea cauerent, quæ cum officio eorum pugnare videantur, &c. Quomodò Luterus eorum authoritatem asseruérit, videre est in obscœnissimis turpissimisq́; imaginibus, quas ipse in Paulum Tertium Pontificem & vniuersum ordinem Cardinalium & Episco-

sco-

ſcoporum effinxit, vbì ſeipſum carnificem conſtituens, vniuerſos in crucem agit. Quid ille epiſcoporum authoritatem tueretur, qui non erubuit quemlibet contemnere, faſtidire, & quantùm in ipſo fuit, peſſundare magiſtratum? Cuius rei ſi fidem quis à me requirit, legat ipſius Luteri librum de ſeculari poteſtate, ſiue de ciuili Magiſtratu, vbì poſtquàm atroces, rebelles & improbas in principes ac Magiſtratus contumelias euomuit, tandèm hæc ſubiungit: Inter Chriſtianos nullus neq; poteſt, neque debet eſſe magiſtratus, ſed vnuſquilibet æquè eſt alteri ſubiectus, dicente Apoſtolo Philip. 2. Superiores inuicèm arbitrantes. & D. Petro 1. Pet. 5. Oḿes inuicèm humilitatem inſinuate, &c. Et ibidèm folio præcedenti: Noueris, inquit, iam indè ab orbe condito raram auem fuiſſe prudenté principem, multò verò rariorem probum. Sunt illi vel præcipui moriones, vel perditiſſimi nebulóes in terris, atq; eam ob rem sempèr ab illis peſſima quæq; metuenda, parùm autem boni ſperandum &c. Eccè hæc ſunt tui Apoſtoli & Euangeliſtæ Luteri verba, Smideline, quibus quomodò Magiſtratum tam Eccleſiaſticum, quàm ciuilem aſſeruerit, iam manifeſtum eſt: an autem conueniant doctrinæ veræ Apoſtolicę, docebit nos Paulus ad Rom. 13. Omnis, inquit, poteſtas à DEO eſt, & qui poteſtati reſiſtit, diuinæ ordinationi reſiſtit.

To. 6. German. fo. 602

Cap. 5.

An Eccleſia habeat poteſtatem cōdendi leges morum, & ſtatuendi articulos fidei.

PIè & rectè negauit vtrunq; Luterus, Nō eſſe in manu Eccleſiæ, neq; articulos fidei, neque leges bonorum operum condere. Nam quod de lege matris ex Salomone adfert, manifeſta eſt eius loci deprauatio, vbì Salomon liberos inſtituit, vt colant parentes, non patrem ſolùm, ſed etiàm matrem: & docet quod illi præceperint, nó ſint hominum præcepta, ſed diuina iuſſa & mandata. Hoc ineptus Grammaticus per allegoriam ad eccleſiam refert, quod ſuis Scholaſticis ſophiſtis nó inuſitatum eſt &c. Smid.

Salomonis locus, quem à Bredenbathio adductum calumniatur Bred.

hîc Smidelinus, eſt in Prouerbijs cap. 6. Quem eundem, quia ante annos ſeptem, ſimilibus ſycophantijs aggreſſus eſt Henricus Pileus, ipſum Bredenbachium audiemus Pileo reſpondentem. Vbì textum Salomonis tam ex Hebraica veritate, quàm veteri tranſlatione recitauit Bredenbac. ſic ſubiungit: Et poſtremis quidem illis, quæ ſunt, vt cuſtodiant te à muliere mala, & à blanda lingua extraneæ, clariſſimè indicat Salomon ipſe, in quem finem hæc præcipiat filio ſuo, & quid eum his docere velit, nimirùm vt habeat quo ſe cuſtodiat à mala & extranea muliere, hoc eſt, ab hæretica ſecta, interprete Hieronymo. Nunc, inquit in commentarijs Hieronymus, ſub adulteræ mulieris ſpecie, prohibet auditionem hæreſios. Eccè hoc ibì Salomoni fuit propoſitum, quod doceret filium. Porrò ad conſeruandum aliquem ſeſe, nè prolabatur in hæreſim, nihil eſt præſentius, nihil efficacius, quàm vt contineat ſe intrà legem matris Eccleſiæ. Si huius leges non exceſſerit, nihil vnquàm erit piculi ab hæreſi. Hinc eſt quòd cùm de conſeruandis præceptis patris mandâſſet, adiecit: Et nè dimittas legem matris tuæ, liga eam in corde tuo iugitèr, & circunda gutturi tuo. quaſi dicat: Lex matris tibi velutì dux erit in omnibus, quæ te velut manu appræhenſum, non patietur aberrare à via recta, quam ſuis præceptis tibi mandauit pater, vt per eam ambules. Multi arbitrati ſe per hanc viam ingredi, ſeducti blãditijs impoſtricis illius & adulteræ, per deuia gradientes, in præcipitia inciderunt. Ab hac ſeductione nihil tibi erit periculi, ſi te intrà legem maternam tanquàm ſepem quandam tibi circundatam, continuerit. Hanc eſſe ſententiam Salomonis, locus ipſe, atq; ipſius orationis ſeries apertiſſimè demõſtrant. In quã ſententiam ſempèr intellectus eſt is locus, non ſolùm à Doctorib⁹ Eccleſiæ Chriſtianæ, verùm etiàm Synagogæ Iudaicę, quod etiamnùm videre eſt in commentarijs Iudæorum in hunc ipſum locum Salomonis, quos ego conſului eo ipſo tempore, quo locum illum in libello de componendis diſſidijs eram adducturus. Hactenùs Bredẽbachius, cui inter cæteros luculentiſſimè adſtipulatur Epiphanius, diſputans aduersùs Aërium, animarum vita defunctarum hoſtem: Redibo, inquit, ad intermiſſum dudùm argumentum, Eccleſiam hoc neceſſariò facere, orare videlicet pro mortuis, vt eis

pec-

peccata remittantur, quòd Traditionem hanc à Patribus suscepe-
rit. Quis enim statutum matris queat dissoluere aut legem patris?
vt apud Salomōem est: Audi fili verba patris tui, & nè repellas sta-
tuta matris tuæ: Ostendens per hoc, quòd & in scriptis & sinè scri-
pto docuit pater, hoc est, Deus vnigenitus & Spiritussanctus. Ma-
ter autem nostra Ecclesia leges ritusq; sacros sibi habet traditos,
indissolubiles. Hæc ille. Quòd allegoricam in Prouerbijs Salomo-
nis interpretationem rides, nihil aliud facis, quàm vt insignem tuā
imperitiam & stupiditatem egregiè demonstres. Si enim vel ipsum
prouerbij nomen intelligeres, nôsses omne prouerbium instàr Si-
leni cuiusdam esse, aliud quid habens in recessu, quàm prima fron-
te promittit. Per hoc ipsum, inquit Origenes, quòd Prouerbia at- In prologo Cantici Cā-
titulauit libellum suum (Salomon,) quod vtiquè nomen significat ticor.
aliud quidem palàm dici, aliud verò intrinsecùs indicari &c. Et Hi-
eronymus in principio commentariorum in Prouerbia, (quæ tamē
ab alijs Bedæ asscribuntur.) Huic libro vocabulum (παραβολαί) Sa-
lomon ob id imposuit, vt sciremus altiùs, & non iuxta literam tan-
tùm nos intelligere debere. In quo Dominum significat per para-
bolas turbis fuisse locuturum.

Eas iam Smideline, & Bredenbachium Salomonis dicta allego-
ricè interpretantem naso sūspendas, idq; Scholasticis sophistis nō
inusitatum esse cauilleris. Quàm non ineptè mandatum patris lu-
cernę, & lex matris luci comparetur, satìs luculentèr demonstrauit In lib. cōtra Hen. Pileū.
Bredenbachius loco citato, quæ omnia hîc repetere nimìs longum
foret. Prosequitur Smidelinus:

Quod verò subiungit, ideò Ecclesię matris legem odisse Lute- Smid.
rum, q̄a fuerit leno turpissimæ meretricis (vxoris suæ,) à qua ipsum
custodire potuisset. Hoc nemo nisì scurra de Lutero dicere potest:
quàm sanctè enim & honestè vixerit cum coniuge, testes idonei
ipsorum conuictores esse possunt &c.

Ad hęc tibi nihil aliud respondeo, Smideline, quàm quòd vel p̄ Bred.
inscitiam, vel oscitantiam, mentem Bredenbachij nō intellexeris.
Per mulierem enim malam & extraneam, non incestā Luteri vxo-
rem designauit, sed doctrinam hęreticam, cuius lenonem egit Lu-
terus, hoc est, editis libris publicitùs eam prostituit, vt omēs & ma-

ximè incautos ad fœdissimos eius amplexus pelliceret. Per hanc nanque mulierem intelligi doctrinam hæreticam, suprà ex Bredébachio & Hieronymo demonstratum est. Similem loquendi modum vsurpat Vincentius ille Lirinensis, dum ait: Si nouitia veteribus, extranea domesticis admisceri cœperint: fieri ibidèm deincèps impiorum turpium errorum lupanar, vbì erat antè castæ & incorruptæ sacrarium veritatis. Verùm tametsi Bredenbachius absq; allegoria hæc de Luteri vxore pronunciâsset, haud sanè primus esset qui meretricis cauterium illi inussisset. Ipse enim Héricus VIII. Angliæ rex, cùm incestum coniugium cum moniali contractū Lutero exprobraret, marginale scholion his verbis Regis sententiam declarauit: Catharinam, inquit, de Bore monialem intelligit, quam Luterus in vxorem duxit, postquàm per biennium inter scholares Vuittenbergenses scortata fuerat. Idem refert Cochlæus in actis Mart. Luteri anno 1523. Præclarum certè & encomiasticum de Luteri vxoris castitate testimonium. Legimus morem esse Phœnicum mulierum, vt antequàm filias dent nuptui, Veneri sacrificent. Hæc sanè sponsa in hoc sacrificio strenuè suas partes obiuisse dicitur.

Cap. 6.

Exemplis docetur, Ecclesiam habere potestatem condendi leges morum &c. Symbolum quod Apostolicum dicitur, an Apostoli condiderint: & an, si dicatur, Apostolos illud condidisse: consequatur, symboli articulos à veteribus aut ignoratos, aut non creditos, vt vult aduersarius.

Smid. EXemplis docet, Ecclesiam habere potestatem condendi nouos articulos fidei. Dic mihi ergò, inquit, quis statuit illos duodecim articulos, quos adhuc habemus regulā fidei nostræ? Apostoli, inquies. Nam indè dicitur symbolum Apostolorum. Rectè respondisti: Sed cùm hoc facerent Apostoli, in ipsis Apostolis fuit Ecclesia. Igitur Ecclesia constituit illos articulos. Cùm impius ille Arrius turbaret Ecclesiā blasphemo illo suo dogmate de filio Dei, quis condidit hunc articulum, vt credamus Dominū Iesum Christum esse non factum, sed genitum de substantia patris, Deum ex Deo,

Bred.

Deo, lumē ex lumine, ὁμοούσιον Patri, hoc eſt, eiuſdem ex Patre ſubſtantiæ? Quis (inquam) condidit, quis conſtituit (vt Luteri verbo vtar) hunc articulum fidei? Nónne Eccleſia? Hæc enim erat tunc in illis trecentis octodecim epiſcopis, quemadmodùm in Apoſtolis, quādò condiderunt & conſtituerunt prius illud Symbolum. Hactenùs Bredenbachius.

Quid ad hęc dicemus, inquit Smidelinus? Nódùm agnoſcis ſtoliditatem Grammatici, vt qui nihil prorsùs in ſacris literis intelligat? Sed paucis ſic accipe, etſi indignū eſt, ad haſce tam craſſas nugas reſpondere. Si Apoſtoli primùm hos fidei articulos condiderunt, ſequitur, priùs ignotos fuiſſe eccleſiæ, quæ Apoſtolorū tempora præcedebat. Ad hoc reſpōdeat, ſi poteſt, acutus Dialecticus. Quid, quæſo, credidiſſent ſancti Patriarchæ, ſi ignorâſſent Deum conditorem & conſeruatorem omnium, Chriſtum redemptorem, ſpiritum viuificantem &c? Smid.

Quòd Apoſtoli ſymbolum illud fidei condiderint, negare videtur hîc Smidelinus, cùm aduersùs Hoſium non vno in loco vocet ſymbolum Apoſtolorum: adeò bellè ſibi conſtat ſycophanta. tergiuerſatur Caluinus in ſuis inſtitutionibus, Argentina eccleſia Apoſtolicū credit, vt videre eſt in Catechiſmo. Dubitat in ſua Catecheſi Brentius, & rursùs in confeſſione ſui Ducis Vuirtembergenſis profitetur Apoſtolicum. Quid in tanta opinionum varietate, quæ velutì turbulentæ Symplegades mutuò ſe collidunt, ſectādum exiſtimabimus? Sed videamus interìm, quàm bellum agat Brentij hyperaſpiſten Smidelinus, qui nè fateri cogatar quod Bredēbachius adſtruit, Apoſtolos eſſe authores Symboli, clientem ſuum quem defendendum ſuſcepit, ſeq; ipſum oppugnare non erubeſcit. Nos verò huiuſcemodi pugnantium opinionum colluctatines nequicquàm percellunt, qui eccleſiaſticam traditionem libentèr ſequimur, qui ſtamus in via Eccleſiæ Catholicæ, & interrogam' de ſemitis antiquis, interrogantes patres & Maiores noſtros, ex q- bus primum faciemus D. Clementem laudatiſſimum Pontificem & inuictiſſimum martyrem. Bred. Hiere. 6.

Chriſto, inquit, reſurgente & aſcēdente in cęlum, miſſo ſancto ſpiritu, collata apoſtolis ſcientia linguarum, adhuc in vno poſiti,

symbolum, quod fidelis nunc tenet ecclesia, vnusquisq; quod sensit, dicendo, condiderunt, vt discedentes ab inuicèm, hác regulam per omnes gentes prędicarent &c. Idem disertis verbis attestatur Origenes: Illud, inquit, scire oportet, quoniam sancti Apostoli fidē Christi prædicantes, de quibusdam quidem, quęcunque necessaria crediderunt, omnibus credētibus etiàm his qui pigriores erga inquisitionem diuinæ scientiæ videbantur, manifestissimè tradiderunt.

Hieronymus in symbolo, (ad Pammach. aduersùs errorem Ioānis Hierosolym. tom. 2.) inquit, fidei & spei nostræ, quod ab Apostolis traditum &c.

Ambrosius serm. 38. de Quadragesima: Duodecim Apostolorū symbolo fides sancta concepta est, qui velut periti artifices in vnū conuenientes, clauem suo consilio conflauerunt. Clauem enim quandam ipsum symbolum dixerim, per quod reserantur diaboli tenebræ, vt lux Christi adueniat &c. Idem in epistola ad Siritium, aliosq; episcopos. Locuples etiàm huius rei testis est D. Augustin⁹, cùm alijs multis in locis, tum in sermone 181. de Tempore, vbì multa de fidei necessitate præfatus: hoc, inquit, attendētes sancti Apostoli, certam regulam fidei tradiderunt, quam secundùm numerū Apostolicum, duodecim sententijs compræhensum, symbolū vocauerunt, per quam credentes Catholicam tenerent vnitatem, & ꝑ quam hæreticam conuincerent prauitatem. Symbolum ergò tali ratione institutum Maiores nostri dixerunt. Tradunt enim quòd post Asscensionem Domini & Saluatoris nostri ad patrem, cùm ꝑ aduentum spiritûs sancti discipuli eius inflammati, linguis omniū loquerentur, ad singulas quoq; nationes, vt Dei verbum prædicarent, ituri, & discessuri ab inuicèm, normam priùs sibi futuræ prædicationis in commune statuerunt, nè localitèr ab inuicèm discedentes, diuersum vel dissonum prædicarent his qui ad fidem Christi inuitabantur. Omēs igitur in vno positi, & spiritu sancto repleti, breue suæ prædicationis indicium conferendo in vnum quod sentiebat, vnusquisq; computabat, atq; hanc ità credentibus dandam esse regulam instituunt &c. Videatur idē August. serm. 115. de tempore. D. Leo serm. xj. de passiōe Domini, & epistola 13. ad Pulcheri-

riam Augustam. Vides igitur nunc Smideline, verum esse quod ait Bredenbachius, symbolum fidei ab Apostolis compositum. Nec tamen indè sequitur, quod tu inferre conaris, priùs ignotos fuisse illos fidei articulos ecclesiæ, quæ Apostolorum tempora præcedebat, Deum esse conditorem & conseruatorem omnium, Christum redemptorem, spiritum viuificãtem. Eodem spiritu fidei à Patriarchis & veteris testamenti Patribus hæc futura videbantur, inquit Augustinus, quo à nobis facta creduntur. Neq; enim qui nobis ista fideli dilectione prophetare potuerunt, eorum ipsi participes non fuerunt. Et idem cap. sequenti: Ideò & ipsis caput est Christus, quia vnus mediator est Dei & hominũ homo Christus Iesus. Quod eis non fuisset, nisì in eius resurrectionem per eius gratiam credidissent. Et hoc quomodò fieret, si eum in carne venturum esse nescîssent, neq; ex hac fide iustè pieq; vixissent? Et paulò pòst: Neque em̃ putandum est, quòd antiquis iustis sola quæ sempèr erat, diuinitas Christi, non etiàm quę nondùm erat, eius humanitas reuelata profuerit. Illud enim quod ait Dominus Iesus, Abraham cõcupiuit diem meum videre, & vidit, & gauisus est: si diem suum voluit suum tempus intelligi, testimonium profectò perhibuit Abrahæ, quòd fide fuerit incarnationis eius imbutus &c. Vtrunq; igitur verũ esse conspicis Smideline, & condidisse Apostolos symboli articulos, & nihilominùs notos fuisse eos Ecclesiæ quę Apostolos præcedebat. Dices, vt quid igitur Apostoli quod notum erat, denuò annũciârunt, & velut nouos fidei articulos orbi proposuerũt? Erras hîc Smideline cum Fausto Manichæo, qui (vt refert Augustinus) putabat res per veteris legis Sacramenta designatas, completas, nõ alijs Sacramentis annunciari debuisse, quàm ijs quibus adhuc complẽdæ pronunciabantur. Cui hunc in modum respondet D. Augustinus: Si soni verborum quibus loquimur, pro tempore commutantur, eademq; res alitèr enunciatur faciẽda, alitèr facta, sicut ista ipsa duo verba quę dixi, Facienda & facta, nec paribus morarum interuallis, nec ijsdem vel totidem literis syllabísve sonuerunt, quid mirum si alijs mysteriorum signaculis passio & resurrectio Christi futura promissa est, alijs iam facta annunciatur? Hæc ille. Ioan. 8.

Si igitur mirum non est, alijs mysteriorum signaculis passiõem

&re-

& resurrectionem Christi nunc annunciari, quàm olìm cùm adhuc futura esset, annunciata est: quid mirum, si Apostoli alios fidei articulos condiderunt, quibus ea quæ olìm futura credebantur, nūc facta credātur? Quemadmodùm enim ecclesia Catholica alia quidem nunc habet Sacramenta, quàm habuerit Synagoga: nec tamen ob hoc res ipsę sunt diuersæ, quas ritus Propheticus prænunciauit promissas, & quas ritus Euangelicus annūciauit impletas: sic etsi Apostoli fidei articulos condiderint, nō tamen ipsa fides est diuersa, qua illi res futuras crediderunt, nos factas & impletas credimus. Et quemadmodùm Apostoli promulgato symbolo nō quidem hoc effecerunt, vt quod antè verum non erat, suo decreto verum facerent: sed dūtaxàt ea quę fidei erant, licèt plurimis obscura & ignota, sua constitutione declararent, & notiora redderēt: ità credendum non est, Ecclesiam indistinctè ea quę fidei non sunt, in articulum fidei redigere posse, (quanuìs hoc nec tentauerit, nec optauerit vnquàm Ecclesia) sed tantùm ea quæ vel ignorantur, vel controuertuntur, definire & declarare posse, vtì hoc pulchrè declarat laudatissimus ille pontifex & Martyr Ioannes Fischerius episcopus Roffensis. Atq; hìc Smideline rursùm te admonere cogor, quàm syncera fide, immò quàm veteratoriè cū Bredēbachio agas, qui verbis eius hoc assuis, quod ille nec dixit, nec sensit vnquàm. Exemplis docet, inquis, Ecclesiam habere potestatem condēdi nouos articulos fidei. Dic veterator, vbì Bredenbachius ità locutus est? vbì dixit Ecclesiam posse condere nouos articulos fidei? Verba Bredenbachij sic habent: Quid ais Lutere? Non est in manu Ecclesiæ statuere articulos fidei &c? Quis non videt, quàm longè diuersa sint, cōdere nouos articulos fidei, & statuere articulos fidei? Nullo in loco adstruit Bredenbachius, Ecclesiam habere potestatē cōdendi nouos articulos fidei, quod luculētissimis verbis ipse testatissimum fecit in libro contra Henricum Pileum. Cùm ego scriberem, inquit, Ecclesiam habere potestatem cōdendi articulos fidei, nunquàm mihi venit in mentem hoc permittere patribus in concilijs congregatis, vt iubeant nos aliquid credere, quod ante nos nemo crediderit, aut quod hactenùs ab vniuersa ecclesia creditum sit, id posthàc non esse credendum. Nunquàm sic deliraui: sed cùm hære-

Augu. ibid.

Art. 27. cō-tra Lut.

hæretici cœperint vocare in quæstiõem, de quo hactenùs nulla extiterit quæstio, nulla dubitatio, sed simplicitèr ab omnibus creditum sit: tunc Ecclesiam habere potestatem, collatis scripturis ac veterum traditionibus, decernendi, constituendiq; expresse, quid de eo posthàc credi debeat. Et rursùm paulò pòst: Non quòd noui aliquid hac ratione creet ad credendum, quod antehàc nõ fuerit, aut creditum non sit, sed quòd id quod hactenùs simpliciùs creditum est, neq; in controuersiam venit, ideoq; fortasse inter ea quæ necesse sit credere, non ità clarè & compendiosè expressum, nunc breui claroq; compendio omibus in lucem proferat, & certò credendum proponat ac mandet. Hæc Bredenbachius, quæ & plurib' exemplis ibidèm declarat. In eandem sentẽtiam iam olìm ante annos mille scripsit ille Vincentius Lirinensis: Quid vnquàm aliud, inquit, Conciliorum decretis enisa est (Ecclesia,) nisì vt quod anteà simplicitèr credebatur, hoc idem posteà diligẽtiùs crederetur: quod anteà lentiùs prædicabatur, hoc idem posteà instantiùs prædicaretur: quod anteà securiùs colebatur, hoc idem posteà solicitiùs excoleretur? Hoc inquam, sempèr, neq; quicquam præterea, hęreticorum nouitatibus excitata, Conciliorum suorũ decretis Catholica perfecit Ecclesia, nisì vt quod priùs à maioribus sola traditione susceperat, hoc deindè posteris etiàm per scripturę chirographum consignaret, magnam rerum summam paucis literis comprehendendo, & plerunq; propter intelligentię lucem, non nouum fidei sensum nouæ appellationis proprietate signando. Hæc ille. Sic Arrio Christi diuinitatem impugnante, & vniuersam ecclesiam fatigante, cõgregati Patres definiuerunt filium patri æqualem & ὁμοούσιον. Quæ controuersia definitionem suam, nõ etiàm veritatem, ex Concilij decreto sortita est. Qua in re, velis nolis, magnam illã Ecclesiæ authoritatem agnoscere cogeris Smideline, qua omnes omnis generis controuersias suo vnius decreto, spiritussancti magisterio & instinctu freta, dirimit & componit, post cuius decreti promulgationem si quis non audiens Ecclesiam, refractarium se & rebellem præbeat, habendus est pro ethnico & publicano. Existimo nunc abundè tibi responsum, quo pacto Apostoli fidei articulos condiderint, qui tamen Ecclesiæ, quæ Apostolorum tempo-

Conciliorũ vtilitas & scopus.

Matt. 18

ra præcessit, ignoti non fuerint. Vndè iam non obscurè perspicis, te triumphum ante victoriam cantâsse, dum magno fastu & φιλαυτίᾳ exclamas, Ad hoc respondeat, si potest, acutus dialecticus. Et paulò superiùs: Quid ad hæc dicemus? nondùm agnoscis stoliditatem Grammatici? immò verò æquus & cordatus lector animaduertit soliditatem argumentorum Bredenbachij, & stoliditatem calũniatoris Smidelini. Iam de legibus morum & bonorũ operum, quid attinet dicere? Si quælibet Respublica, immò quilibet paterfamiliâs habet facultatem præscribendi leges morum: quæ (malùm) vesania, hanc velle adimere ecclesiæ, quam tanto tempore obtinuit, & totiès efflagitante necessitate vsurpauit? Qua de re cùm luculentèr scripserit Bredenbachius contra Pileum, studio breuitatis eò lectorem remittimus.

Cap. 7.

An rectè dici posßit, Ecclesiam tempore Christi fuisse in ipsis Apostolis.

Smid. Pergit Smidelinus: Deindè etiàm hoc ꝓposterũ est, quòd ait Ecclesiam in ipsis Apostolis & Episcopis fuisse, vt suũ figmentum de stercore vaccino stabiliat.

Bred. Profectò dignus esses, Smideline, qui pro placentis ꝑpetuò vescereris stercoribꝰ vaccinis, vt impura tua labra similes haberent lactucas. Piaculum videtur Smidelino, quòd Bredenbachius dixerit Ecclesiam fuisse in Apostolis & Episcopis, cùm hi tantũmodò membra & ministri fuerint ecclesiæ, id est, congregationis omnium fidelium. Piaculum ergò cõmisit Christus, cùm diceret: Matt. 18. Si te non audierit, dic Ecclesiæ. Si vniuersæ Ecclesiæ, hoc est, toti fidelium multitudini dicendum est, quis non videt, quanta consequatur absurditas? Vndè Chrysost. in eum Matth. locum, rectè per Ecclesiam interpretatur Præpositos & Pastores ecclesiæ. Sic Cyprianus libro 4. epist. 9. ad Puppian. Scire debes, inquit, Episcopum in ecclesia esse, & ecclesiam in episcopo: & si qui cum episcopo non sint, in ecclesia non esse: & frustrà sibi blandiri eos, qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latentèr apud quosdam communicare se credunt, quũ Ecclesia, quæ Catholica & vna

est,

eſt,ſciſſa non ſit neq; diuiſa,ſed ſit vtiq; connexa, & cohærentium ſibi inuicèm ſacerdotum glutino copulata. Vides quemadmodùm hîc ad epiſcopos eccleſiam alligauerit. Sed & Philippus tuus in arrogantiſſimo illo libello,quem ſcripſit de eccleſia,diſertè ait: Eccleſiam tempore Chriſti fuiſſe in Apoſtolis: & Brentius tuus clientulus in confeſſione Vuirtembergenſi,titulo de Euchariſtia, ſic ait: Cùm Chriſtus hoc Sacramentum inſtitueret, non ipſe ſolus veſcebatur,ſed diſpenſabat eccleſiæ ſuę,quam tunc præſentem habebat. Hactenùs Brentius. Habebat autem Chriſtus duodecim Apoſtolos præſentes,vt referunt Euangeliſtæ. Vides Smideline,vt nuſquàm non enormitèr impingas?ſed redeamus ad fuliginem Smidelini.

Cap.8.

An Chriſtus ſit articulus fidei, vt vult cum Lutero Smidelinus.

Quàm falsè irridet Luterum, qui nobis Chriſtum tanq̃ articulum fidei obtrudat?quid,quęſo,credatis,qui hoc non crediderit? Smid.

Meritò ridendus eſt Luterus, qui iſtis Pauli verbis, fundamentum aliud nemo poteſt ponere &c. conatur probare, Eccleſiam non habere poteſtatem condendi articulos fidei aut leges morum &c. Nec minùs ridiculum eſt, quòd adſtruit Chriſtum eſſe fidei articulum,& fidei articulos partes Ieſu Chriſti, vtì Bredenbachiùs dilucidè demõſtrauit,ad quod ne verbum quidem reſpondet Smidelinus. Si Chriſtus eſt articulus fidei, & articuli fidei partes Chriſti:non abſurdè conſequitur, Chriſtum aliquandò euacuandum:excident enim & euacuabũtur fides & ſpes, & ſola manebit charitas. Chriſtus non eſt fides aut fidei articulus, ſed fidei obiectum, circa quod fides noſtra verſatur. Quòd verò Smidelinus ad confirmandum Luteri delirium,adducit illud Pauli, Non iudicaui me ſcire aliquid inter vos,niſì Ieſum Chriſtum, & hũc crucifixum:atq; hinc infert, Paulum nullos alios fidei articulos agnouiſſe,aut certè Chriſtum pro articulo fidei Eccleſiæ obtrudere voluiſſe:vaniſſimum eſſe cognoſcet ille, qui vim & ſentẽtiam

Bred.

1.Cor. 13.

1.Cor. 2.

verborũ Pauli consideraucrit. Demonstrat eo loci Paulus, referẽte Hieronymo, se non pompaticum eloquentiæ iactare sermonem in prædicatione diuina. Non enim iudicaui me scire aliquid &c. hoc est, non sum gloriatus in aliquo nisi in Christo.

Cap. 9.

De canonum Ecclesiasticorum authoritate.

Smid. PLenum tyrannide Pontificia est, quod scribit: Porrò quicq̃d hic consul (Papa) vnà cum vniuerso episcoporum senatu decernit, constituit, mandat siue credendum, siue faciẽdum, hoc recipiendum est tanquàm oracula diuina &c.

Bred. Quid si vestro ipsorum testimõio Smideline, probemus vos decreta & Canones Pontificum & Episcoporum pro oraculis diuinis habere? Filiũ patri ὁμοούσιον, nõ autem ὁμοιούσιον, aut etiàm patre minorem esse, vndè quæso habetis? qua scriptura, quo fundamento hoc asseritis? Pater maior me est, inquit Christus, igitur filius patri nec ὁμοούσιος, nec ὁμοιούσιος, sed minor & inferior patre. Verùm quia tempestatem hanc ab Arrio excitatam, Niceni Concilij Patres consopiuerunt, damnata Arrij doctrina, & filium ὁμοούσιον definiuerunt: facilè animaduertis, quantam vel nesciẽs episcoporum sententiæ ac definitioni authoritatem tribuas, nisi fortè vt hunc laqueum euadas, Arrianã impietatem amplecti mauis. Quid? an tyrannidem fouere censebis D. Augustinum, dum ait: Conciliorum authoritatem saluberrimam esse in ecclesia? An tyrannidis patronum dices laudatissimum imperatorẽ Iustinianum, dum inquit: Sancimus vicem legum obtinere sanctas ecclesiasticas regulas, quæ à sanctis quatuor Concilijs expositæ sunt aut firmatæ, hoc est, in Nicena trecentorum decem & octo, & in Cõstantinopolitana sanctorum cẽtum quinquaginta Patrum, & in Ephesina prima, in qua Nestorius est damnatus, & in Chalcedõia, in qua Eutyches cum Nestorio anathematizatus est. Prædictarũ enim quatuor synodorum dogmata sicut sanctas scripturas accipimus, & regulas sicut leges obseruamus &c.

Martianus quoq; Imperator ea, quæ semèl in synodis indicata & rectè disposita sunt, in disputationem rapi seuerè prohibet: iniuri-

[Marginalia: canonũ ecclesiastic. authoritas. — Ioan. 14. — Epist. 118. — In authẽ. de eccles. titul. §. 1. — In l. Nemo Clericus. de sũma Trin.]

iuriam enim hoc pacto irrogari iudicio reuerēdissimæ Synodi &c.

Cap. 10.

Catholicus quis sit dicendus, cur ad scripturas prouocent, & quibus signis cognoscantur hæretici.

Smid.

QVòd scribit, nullũ certius signũ, quo citiùs & expeditiùs ac euidentiùs cognosci queat hæreticus, & à doctore veritatis discerni, q̃ si prouocet ab ecclesia ad iudicem scripturam, falsissimum est &c. Scio hoc esse Tertulliani dictũ, sed lōgè alio sensu ab ipso positum, &c. Quin rectiùs hoc dictũ inuertere possemus: Qui à scriptura ad ecclesiam, qualem tu fingis, prouocāt, certissima hęreseos nota designari. Si enim rectè sentiũt, cur scripturam ità formidant, à qua si sua doctrina & traditionibus dissentiunt, rectè errorum, hæresios & vanitatis arguuntur.

Bred.

Si ille tibi est hæreticus Smideline, qui à scriptura ad ecclesiam prouocat: ille mihi erit Catholicus, qui (vt Lirinensis ille Vincentius docet) veritatem Dei, qui Ecclesiam, qui Christi corpus diligit, qui diuinæ religioni, qui Catholicæ fidei nihil præponit, non hominis cuiuspiam authoritatem, non amorem, non ingenium, nō eloquentiam, sed hæc cuncta despiciens, & in fide fixus & stabilis permanens, quicquid vniuersalitèr antiquitùs ecclesiam tenuisse cognouerit, id solum sibi tenēdum credendumq́; decernit: quicquid verò ab aliquo deincèps vno præter omnes vel contra omẽs Sanctos nouum & inauditum subinduci senserit, id non ad religionem, sed ad tentationem potiùs intelligat pertinere. Ad scripturas prouocare, sempèr familiare fuit hæreticis: quod si neget Smidelinus, audiat Martini Luteri oraculum, (referente Hosio) quo ait, omnes hæreticos scripturę præsidio niti, ꝑq́ue ex illis hæreses omẽs originem duxerint: quibus etiàm illud addere ausus est, scripturam canonicam ad extremum hoc esse nomen consecutum, vt vocetur liber hæreticorũ: quod sanè nomen haud scio an quisquã illi tribuerit vnquàm præter Luterum. Immò tanto magìs tu & tui symmystæ cauendi & pertimescendi estis, vt scitè monet Lirineñ, quanto occultiùs sub diuinæ legis vmbraculis latitatis. Scitis enim

Catholicus qs credēd⁹.

Lib. 3. cont. Brentium.

fœtores vestros nulli ferè citò esse placituros, si nudi & simplices exhalentur, atq; idcircò eos cælestis eloquij velut quodam aromate adspergitis, vt ille, qui humanum facilè despiceret errorem, diuina non facilè contemnat oracula. Attẽdite vobis à pseudoprophetis, inquit Christus Dominus, qui veniunt ad vos in vestitu ouiũ, intùs autem sunt lupi rapaces. Quid est vestitus ouium, ait Lirinẽsis, nisì Prophetarum & Apostolorum proloquia? Qui sunt lupi rapaces, nisì sensus hæreticorũ feri & rabidi, qui caulas ecclesiæ semp infestant, & gregem Christi quaquà possunt dilacerãt? Sed vt fallaciùs incautis ouibus obrepant, manente luporum ferocia, deponunt lupinam speciem, & sese diuinæ legis sententijs, velut quibusdam velleribus obuoluunt, vt cùm quisq; lanarum mollitiem præsenserit, nequaquàm aculeos dentium pertimescat. Sed quid ait Saluator? Ex fructib⁹ eorum cognoscetis eos, id est, cùm cœperint illas voces non iam proferre tantùm, sed etiàm exponere: nec adhuc iactare solùm, sed etiàm interpretari: tunc amaritudo illa, tũc acerbitas, tunc rabies intelligitur, tunc nouitium virus exhalatur, tunc prophanæ nouitates aperiuntur, tunc primùm scindi sepẽ videas, tunc transferri Patrum terminos, tunc Catholicam fidem cędi, tunc Ecclesiasticum dogma lacerari. Tales erant hi, quos percutit Apostolus Paulus: Nam eiusmodi, inquit, pseudoapostoli, operarij subdoli, transfigurant sę in Apostolos Christi. Quid est, transfigurant se in Apostolos Christi? Proferebant Apostoli Psalmorum authoritates, proferebãt & illi &c. Sed dicet aliquis, inquit Vincẽtius: Si diuinis eloquijs, sententijs, promissionibus & diabolus & discipuli eius vtũtur, quorum alij sunt pseudoapostoli, & pseudoprophetæ, & pseudodidascali, & omnes ex toto hæretici: quid facient Catholici homines, & matris Ecclesiæ filij? quonam modo in scripturis sanctis veritatem à falsitate discernent? Hoc scilicet magnoperè curabũt, quod in principio Commonitorij istius sanctos & doctos viros nobis tradidisse scripsimus, vt diuinũ canonem secundùm vniuersalis ecclesiæ traditiones & iuxta Catholici dogmatis regulas interpretentur: in qua item Catholicę Apostolicęq; Ecclesiæ sequantur necessè est Vniuersitatem, Antiquitatem, Consensionem. Et si quandò pars contra vniuersitatem, nouitas cõtra ve-

Matt. 7.

Matt. 7.

2. Cor. 11.

vetustatem, vnius vel paucorum errãtium dissensio cõtra omnium, vel certè multo plurium, Catholicorũ consensionm rebellauerit: præferant partis corruptioni vniuersitatis integritatem, in qua eadem vniuersitate nouitatis prophanationi antiquitatis religiõem, itemq́; in ipsa vetustate, vnius siue paucorum temeritati, primùm omnium generalia, si qua sunt vniuersalis Concilij, decreta præponant. Hæc & his multò plura tibi Lirinensis, quibus posteà præclarum & illustre Ephesini Cócilij exemplum subnectit: in quo cùm de sanciendis fidei regulis disceptaretur, hoc Catholicissimum, felicissimum atq; optimum factu visum est, vt in medium sanctorum Patrum sententiæ proferrentur, quorum alios martyres, alios Cõfessores, omnes verò Catholicos sacerdotes fuisse & permansisse constaret: vt scilicet ritè atq; solennitèr ex eorum consensu atque decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur, & prophanæ nouitatis blasphemia condemnaretur. Cuius Concilij tam luculentũ & insigne exemplum, quia optimam certissimamq́; inuestigandæ veritatis normam præmonstrat, alibì quoq; libentèr à nobis commemoratum est. Vis aliam audire notam? vis aliud tibi cauterium admoueri, quo iam olìm singulares istos feros, singularium, pro- Psal. 79.
phanarumq́; nouatiõum spermologos notauit Hieronymus? Sicubì, inquit, audiéris eos, qui dicuntur Christi, non à Domino Iesu Christo, sed à quoquam alio nuncupari, vtputà Marcionitas, Valẽtinianos, Montenses, siue Campates, scito non ecclesiam Christi, sed antichristi esse synagogam. Ex hoc enim ipso, quòd posteà instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus pronunciauit. Nec sibi blandiantur, si de scripturarum capitulis videntur sibi affirmare quod dicunt, cùm & diabolus de scripturis aliqua sit Matt. 4.
locutus, & scripturæ non in legendo consistant, sed in intelligẽdo. Alioquì si literam sequimur, possumus & nos quoq; nouũ dogma nobis componere, vt asseramus in Ecclesiam non recipiendos, qui calceati sint, & duas tunicas habeant. Hæc ille.

Porrò quo iure tu Ecclesiam illã, quæ semper Catholicæ nomẽ habuit, à qua vos eam ipsam ad quam prouocatis, scripturam accepistis: Sacramenta quoq;, si quæ habetis, percepistis: quo (inquam) iure, qua fronte, immò qua improbitate & rebellione eam Eccle si-

am

am ſcripturis aggrederis? Redde quod accepiſti, & eſto alitèr, ſi potes, Chriſtianus.

Cap. II.

De authoritate traditionum non ſcriptarum.

Smid. SEd iam rursùm audiamus latrantem Cerberum: Chriſtum igitur & Apoſtolos hæreſeos accuſabimus, qui ab authoritate ſummi Pontificis & om̃ium ſcribarum & phariſæorum, ad doctrinam Moſis & reliquorum prophetarum prouocabant, & horum depromptis teſtimonijs aduerſarijs ora obturabát.

Bred. Vult Smidelinus docere, non eſſe hæreticum, ab Eccleſia prouocare ad ſcripturam, idq́; probat exemplo Chriſti & Apoſtolorum, qui ab authoritate ſummi Pontificis & Scribarum, prouocabant ad doctrinam Moiſis &c. Exemplum profectò tali Theologo dignum. Quid hæc conferunt ad probandam, ab eccleſia ad ſcripturam, prouocationem? Neq; Chriſtus, neq; Apoſtoli prouocauerunt ab eccleſia, cùm ipſi fuerint Eccleſiæ capita: neq; fuit Eccleſia tunc temporis ampliùs apud Synagogam, cuius cathedra, iam ſuccedente cathedra Chriſti, erat abrogata. Ineptiſſimum igitur hoc eſt exemplum ad euincendum illud, quod tu probare conaris. Alioquì enim Chriſtum & Apoſtolos extra Eccleſiã ſtatuemus. Porrò quòd Prophetarum teſtim̃oia eos adduxiſſe legimus, nemo eſt qui neget ſcripturarum teſtimonijs aliquid rectè probari poſſe, & Apoſtoli quotiès de Chriſto ſermonem habuerunt, ad Iudæos p̃ſertìm, neceſsè fuit vt eum Prophetarum oraculis cõfirmarent. Ceterùm cùm de Synaxi loquitur Paulus, quas adfert ſcripturas? Ego enim accepi à Domino, inquit: non, legi hoc in iſto vel illo. Nihil adfert præter traditionem acceptam à Chriſto. Quòd in Eccleſia mulieri docere fas nõ ſit: quòd nudo capite vir, velato mulier orare debeat, quòd epiſcopum vnius vxoris virum eſſe oporteat, quibus docet ſcripturis? Veriſſima igitur eſt D. Auguſtini ſententia: Multa, inquit, non inueniuntur in literis Apoſtolorum, neq; in cõcilijs poſteriorum: & tamen quia per vniuerſam cuſtodiũtur eccleſiam, non niſi ab ipſis tradita & commendata creduntur. & alibì: Multa vniuerſa tenet eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta benè

[Margin notes: 1. Cor. 11. — Lib. 2. cont. Donatiſ. de baptiſ. ca. 7. — Lib. 4. cõt. Donatiſtas cap. 23.]

nè conduntur, quanquàm scripta non reperiantur. Seruat autem eiusmodi traditiones Ecclesia Catholica, quia edocta est ab Apostolo Paulo, non solùm quæ scripta sunt τὰ ἔγγραφα, verùm etiàm τὰ ἄγραφα, id est, non scripta, seruanda esse. State, & tenete traditiones, inquit, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam, 2. Thess. 2.
in quem locum Chrysost. Constat, inquit, quòd non omnia literis tradiderunt Apostoli, quæ tamen eadem fide sunt digna. Et idem Apostolus alio in loco: Subducatis vos ab omni fratre ambulante 2. Thess. 3.
inordinatè, & non secundùm traditionem, quam acceperunt à nobis. Et ad Corinthios: Cætera, cùm venero, disponã. Aut igitur plura 1. Cor. 11.
disposuit, aut mẽtitus est Apostolus: quod posterius dicere blasphemum est. Vtri igitur maior habẽda est fides? doctori gentium Paulo, an præconi Goppingensium Smidelino? Sed in hoc argumento complures iam olìm laborârũt, quibus ne γρῦ quidem Catholicorum aduersarij responderunt.

Cap. xij.

Ecclesiam habere potestatem iudicandi de scripturis.

NOn fuit situm in arbitrio Ecclesiæ, quæ vellet eligere aut respuere Euangelia. Sed cùm veritati Euangelij iam subiecta esset & addicta, non poterat eorum somnia probare, quæ sciebat cum veritate pugnare, quam ab Apostolis & eorum discipulis edocti erant. Nec propterea Ecclesiæ suũ iudicium adimimus, quòd dicimus eam de sacra scriptura solummodò testari &c. Smid.

Hoc si verum est, Smideline, fatendum est, Synagogam Iudæorum maioris fuisse potestatis, quàm sit ecclesia Catholica: illa enim iam olìm censuram tulit, quinam libri in Canõe sacrarum scripturarum habendi essent. Sed toto cælo erras Smideline. Quòd enim in potestate Ecclesiæ fuerit, censere, iudicare & recipere sacras scripturas, varijs ijsq; luculentissimis argumentis doceri potest. Et inprimìs quidem, si primitiuę Ecclesiæ vestigia, tractationes & formã consideremus, manifestè patebit, quemadmodùm diù post tempora Apostolorum varijs arduisq; de fidei capitibus grauissimi scriptores sæpenumerò contenderunt, cùm Ecclesia de illis nondùm quicquam definiuisset: ità multis annis de numero canonicorum Bred.

librorum dubitatum & controuersum est. Repudiabant Manichęi Euangelium Matthæi, Exoriebantur sub nomine Thomæ & Barnabæ Euangelia. Ioannis Euangelium repudiabant Alogiani. De epistolis insupèr Apostolicis quãtæ fuerint cõtrouersiæ, quis iguorat? Epistolam ad Hebræos alij Paulinam, alij Clementis, alij verò Lucę dicebãt. Sic de Apocalypsi, an Apostoli, an Cerinthi, an Ioãnis Apostoli, an Ioannis Theologi, non Apostoli. Similitèr nec de Petri secunda, nec de Ioannis epistola 3. satìs constitit. Quo autem arbitrio & iudice hæ altercatiões sunt diremptæ? Quo alio, quàm Ecclesia Catholica, & per hanc loquente Spiritu sancto? Siquidem Laodicenum & Africanum Concilium, cui posteriori D. Augustinus interfuit, & Gelasius in Concilio LXX. Episcoporum lato decreto definiuerunt, quinam libri pro Canonicis, & quæ Epistolæ pro Apostolicis habendæ forent. Vndè D. Augustinus, in Canonicis, inquit, scripturis Ecclesiarum Catholicarum quamplurium authoritatem sequatur, inter quas sanè illæ sunt, quæ Apostolicas sedes habere & epistolas accipere meruerũt. Tenebit igitur hũc modum in scripturis canonicis, vt eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesijs Catholicis, præponat eis, quas quædam nõ accipiũt. Quẽ verò canonem sacrarum scripturarum sequatur Augustinus, videre licet libro 2. de doctrina Christiana, cap. 8. Et quid multis opùs est? cùm D. Augustinus disertè pronunciet, Euangelio non crederem, nisì me catholicę ecclesię commoueret authoritas. Quocircà quod ibidèm Augustinus Manichęo respondet, idem & tibi nunc respondeo Smideline: Ego ad eos me tenebo, quibus præcipientibus Euãgelio credidi, & his iubentibus tibi omninò non credã. Nõ credam, inquam, tibi, quem tot iam locis mendacem, improbum & falsarium depręhendi. Non credam tibi, qui dum nihil pter scripturas recipis, sinè scripturarum aut vllius probabilis rationis testimonio palàm affirmas, nõ fuisse in Ecclesiæ arbitrio quę vellet eligere aut respuere Euangelia, quod ego iam tam multis modis vanissimum demonstraui. Quin & ipse tuus Luterus suo oraculo te mendacij coarguit, qui in captiuitate Babylon. vbì de ordinis Sacramento agit, cõfitetur Ecclesiam habere potestatem discernendi verbum Dei à verbis hominum, idemq; confessos Luteranos in

Lib. 2. ca. 8. de doct. Christ.

Cont. epist. Manichæi cap. 5.

comitijs Augustanis, refert Melchior Canus Episcopus Canarieñ. Sed nec Ecclesię duntaxàt, verùm etiàm cuilibet fideli hanc de diuinis scripturis iudicandi potestatem tribuit Luterus. Sic enim in commentarijs epist. Petri scribit: Fides res est tam eximia atq; magnifica, vt per eam rerum omnium quæ ad salutem pertinent, certã & claram cognitionem habeamus, potentes iam de omnibus quæ in terra sunt iudicare, atq; liberè pronunciare. Hæc doctrina syncera, illa falsa est: vita hęc proba est, illa reproba: hoc factum benè, illud secùs. Et quicquid istiusmodi homo definit, id ità se habet, ac verum est. Non enim potest falli, sed seruatur & custoditur virtute Dei, manetq; iudex omnis doctrinæ. Hęc ibì Luterus.

In loc. Theolog. lib. 2. cap. 7.

Vide Roffē. cõtra Capt. Baby. Luteri, cap. 1.

Iam tu mihi Smideline cõsidera, quo pacto hęc tui magistri verba cum tuo hoc seditioso schediasmate cõueniant. Aut enim ecclesia primitiua non fuit fidelis, aut omninò situm fuit in illius potestate, iudicare & recipere scripturas.

Cap. 13.

In concilijs non sempèr adhibitas esse solas scripturas ad confutandas hæreses: ipsosq; hæreticos se aduersùs anabaptistas tueri sola authoritate Ecclesiæ: Luterum ne ipsis quidem Apostolis parcere, vt sua paradoxa stabiliat.

DE concilijs quod adfert, Luterum eorum authoritatem ità cõuellere, vt etiàm sanctis Apostolis nõ parcat, quãta hęc quęso impudentia est? Seusus verborum Luteri est, Nullius hominis quantunuìs sancti, authoritaté debere esse tantam, vt sinè scripturæ testimonio quę ad ęternam salutem spectant, quicquam sit credendum &c. Smid.

Nihil impudentię commisisse Bredẽbachium, patet ex citatis ab eo Luteri verbis, quę sic habent: Via nobis facta est eneruandi authoritatem conciliorum, & liberè contradicendi eorum gestis, & iudicandi eorum decreta, & confidentèr confitendi quicquid verum videtur, siue probatum, siue reprobatum fuerit à quocunque concilio. Hęc Luterus, ad quę Bredenbachius: Bred. Lut.

Auditis, inquit, viri ac fratres vocem, qua nulla vnquàm potuit Bred.

neq; arrogantior, neq; superbior, neq; impudentior per vllius hominis, quantunuis arrogantis, quantunuis superbi & impudentis labia prouolare. Vnum hominem, eundemq́; talem, qualem nouimus Luterum, audere se præponere omnibus omnium seculorum Concilijs, hoc est, non solùm doctoribus & episcopis omnibus totius Ecclesiæ, qui extiterunt vnquàm, verùm etiàm ipsis Apostolis. Nam & hi Concilia celebrârũt, quod manifestissimũ est ex Euangelista Luca in Actis Apostolorum. Vide Smideline, vides, inquam, si non cum ratione sensum amisisti, quanta impudentia Luterus omnium etiàm Apostolicorum Conciliorum, authoritatem eleuare conatus sit.

Smid. Quòd verò tu iam ad tui Luteri tutelam subijcis, Sed quàm sibi non plùs arrogauerint Apostoli, (nempè extra scripturæ authoritatem aliquid fide tenendum proponere) ipsorum scripta declarant & conciones, quas ex Prophetarum libris comprobant &c.

Bred. Ad hæc tametsi paulò antè responderim, & apertissimi mendacij te conuicerim, quæro tamen ex te Smideline, quam scripturam
Act. 15. adduxerint Apostoli cùm dicerent: Visum est spiritui sancto & nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis sacrorum & sanguine & suffocato &c. Si enim scripturam in eo secuti sunt, cur non eam ad decreti sui cõfirmationem adduxerunt? Si adduxerunt, cur à nobis & vniuersa Ecclesia Catholica non obseruatur? Simili modo quam scripturam allegârunt Patres Niceni Concilij, cùm filium patri ὁμοούσιον, definirent? Immò Arrius plures scripturarum locos ad hæresios suæ confirmationem adducebat, quàm ad eiusdem confutatiõem Catholici: vanumq́; est effugium, quòd aduersùs Hosium ais, vocem quidem ὁμοουσίου in scripturis non contineri, rem tamen contentam. Sed hoc ipsum erat, quod Arrius negabat, & quadraginta scripturarum locis conuellebat. Si sinè contradictione rem in scripturis contentam declarari potuisset, non eò inualuisset Arrij doctrina. Heluidius plurimis scripturæ locis oppugnabat perpetuã Mariæ virginitatem, quem tamen ecclesia traditione magìs, quàm expressa scriptura condemnauit. Nondùm vides Smideline, quàm temerè, quàm insulsè, nè dicam improbè, tam futilium mẽdaciumq́;

para-

paradoxorum defensionem suscipias? Iam vt vel digitis errorem tuum palpare queas, aduerte si concilio necessarium est, canones suos scripturæ testimonio confirmare, ea vel clara erit, vel obscura. Si clara, patet non esse opùs quæstione, neq; recursu ad ecclesię p-sides: si obscura, dicere posset aduersa pars quæ damnatur, illam scripturam non rectè exponi, & sibi magìs quàm aduersarijs patrocinari. Si igitur aliam scripturam ad huius illustrationem adhibere oportebit, manifesta erit circulatio, quia iterùm de illius scripturæ sensu controuersia potest exurgere. Eunomiani hæretici calumniabantur Spiritum sanctum θεὸν ξένον καὶ ἄγραπτον καὶ παρέγγραπτον, id est, exoticum ac peregrinum, sinè scripto Dei verbo, immò præter scripturam inductum, diuinitatem eius ex scripto Dei verbo sibi comprobari postulantes, quibus clarissimum illud Orientalis Ecclesiæ lumen Gregorius Nazianzenus non scripturam, sed Ecclesiastici Symboli partem nullo scripturarum testimonio communitam obiecit, ipsisq; Eunomianis sola scriptura nitentibus, respondit, ὅτι ἔνδυμα τῆς ἀσέβειας ἐστιν αὐτοῖς ἡ φιλία τοῦ γράμματος: id est, Literæ studium & amorem, ipsis esse impietatis palliolum. Sic ante annos tres quidam Lucas Sternberger in oppido Morauiæ Sternberg publicitùs docuit, Spiritū sanctū nihil esse aliud, quàm columbam, nihil in scripturis sacris de illius diuinitate haberi, neq; constare, quid sit Spiritus sanctus: potiùs se velle redire ad cœnobium, quàm credere in spiritum sanctum. Præterea eos omnes, qui S. Trinitatis nomen confitentur & colunt, tres deos falsò comminisci, cùm sit Trinitatis nomē superuacaneū & inane, quod in scripturis sacris nomen Trinitatis nusquàm expressum sit. Itaq; voluit, vt loco illius Ecclesiasticæ cantionis, O veneranda Trinitas: caneretur, O veneranda Dei bonitas: optat etiàm, vt dæmones omēs Trinitatem abducant & absportent: nescire se inquiens, vtrùm mas sit an fœmina: persuasum autem se habere, Trinitatem illam quondā fœminam fuisse, quæ tres maritos habuerit. Eccè tam fœcundum est hoc vestræ doctrinæ principium: nihil eorum, quæ ad æternam salutem spectant, credēdum sinè scripturę testimonio. Iam & illud ex te quæro Smideline, cur Brentius clientulus tuus in Confessiōe Vuirtembergensi Symbolum Apostolorum, Nicenum & Athana-

Lib. 5. de Theolog.

sij,recipit & suis credendum proponit? quę tamen extra sacras literas collocata nemo ignorat? Recipiunt eadem Symbola Cõfessio Augustana & Saxonica, licèt in scripturis nusquàm expresè in-

In loc.cõm. anno 41.

ueniantur. Quid quòd ipse Philippus, Anabaptistarum argumentũ oppugnaturus, à scripturis ad solius Ecclesiæ authoritatem necessariò confugit? Non extat mandatum de baptizandis infantibus, ad totum, inquit, argumentum respondeo, Vniuersalis consensus Ecclesiæ omnium temporum est testimonium, quòd hæc ordinatio est Apostolica. Accedemus id idolum tuum Islebiense Luterũ, qui ab Anabaptistis atrocibus conuicijs lacessitus, quòd paruulos affirmaret baptizandos sinè scripto verbi Dei testimonio, audi q̃ acutè eos refellat: Vos anabaptistæ, inquit, libello Germanicè scripto, verbi Dei testimonium requìritis, quo vobis paruulos esse baptizandos comprobem? Vos potiùs, vos ipsi (inquam) adferte scripturam, quæ paruulos non esse baptizandos doceat.

Iam tuũ schediasma Smideline audiamus, quod ità habet: Fides nõ est opinio, sed certa fidutia, q̃ nõ humana authoritate nitit̃, sed solo Dei verbo, quod cùm deest, opinio dicitur, non fides, hominis assensus. Necessariò igitur consequitur, Catholicam & vestram de baptismo paruulorum assertionem, non fidei esse, sed solius opinionis: cùm nec Philippus, nec Luterus expresso DEI verbo eum cõfirmare possint. Existimo, Christiane Lector, Smidelini sycophantias pro instituti nostri ratione satìs luculentèr detectas.

Nunc videamus, quàm verè dixerit Bredenbachius, Luterũ ne ipsis quidem Apostolis parcere, quod impudentèr negat Smidelinus, & clarissimè ab ipso Bredenbachio demonstratum, multò impudẽtiùs dissimulat. Quid homo vanissime respõdes ad hoc, quòd Luterus libros Machabæorum tot iam seculis à grauissimis authoribus (vtì hoc declarauit Bredenbachius) pro Canonicis & authẽticis reputatos proteruè reiecit, eô quòd lib.2.cap.12.doctrinę suæ aduersatur? Quid quòd ipsius D. Iacobi Apostoli epistolam Apostolica doctrina refertissimam, à te quoq; tanquàm Apostolicã adductam, non est veritus ignominioso vocabulo appellare stramineam? Nec his contentus, in ipsos insupèr Euangelistas sibi sumit censuram, vt Ioannem quidem vsque ad cælos extollat, (quod quidem

dem meritò faceret, si ea sententia & ratione faceret, qua id cũ Ecclesia facit|August.lib.1.cap.4.& duobus sequentibus de consensu Euangelist.)cæteros verò tres, Matthæum, Lucam & Marcũ, ità deijcit, vt longè infra Petri & Pauli epistolas: tandemq; concludat, Euangelium Ioannis & huius epistolam primam, & Pauli tres epistolas ad Roman. Galatas & Ephesios, & priorem Petri esse eos libros, qui nobis Christum describant, & omnia doceant, quæ nobis necessaria & salutaria sunt, etiamsi nullum prætereà librum, nullam prætereà doctrinam neq; videamus, neq; audiamus. Eccè hanc tam impudentem, impiam & blasphemam censuram tuus Luterus de Apostolis & Euangelistis proferre non erubuit, cùm vniuersus veterum Patrum senatus & tota ecclesia D. Iacobi epistolam & libros Machabæorum pro sacris & Canonicis agnoscat, Euangelistarum quoq; historiæ Euangelicæ, cùm ex vnius spiritûs sancti inspiratione omnes sint conscriptæ, non possunt non omnes eandem verbi Dei authoritatem apud pios & fideles inuenire. Hanc tam blasphemam Luteri censuram cùm nullo modo excusare se posse agnosceret Smidelinus, tacito gradu eam præteruehi maluit, quàm periculosam sibi & causæ suæ camerinam commouere. Sed hanc eius imposturam nos neutiquàm dissimulare oportuit. Animaduertit pius lector, quibus artibus hæretici simpliciũ animos soleant inescare, quibus solenne est illud Poetę:

Dolus an virtus, quis in hoste requirat?

Quæ nunc enumerat Smidelinus Luteranæ doctrinæ axiomata, plurimi eruditione & pietate præstantes viri Catholici, solidissimè confutârunt, quibus aduersariorum nullus ne iota quidem respondit: ijs igitur omissis, (quãdoquidem duntaxàt recẽset ea Smidelinus) ad reliqua transgrediemar, vt aliquandò ex hisce nenijs eluctemur.

Cap. 14.

An omnia fidelium opera sint peccata, vt vult Smidelinus.

Opera bona fidelium, inquit Smidelinus, cùm non sint in se p-fecta, imperfectio autẽ peccati nota sit, rectè dicitur, in ope bono iustum peccare &c.

Quem-

Aug. li. de hæres. hæresi 82.

Quemadmodùm hæretica temeritate Iouinianus asserebat, nõ posse hominem baptismate regeneratum peccare: ità in om̃i opere quantumlibèt bono non posse hominem non peccare, error est & hæresis Pelagij, iam olìm à synodo Palæstina damnata, referẽte Augustino (de peccato originali lib. 2. cap. 11. contra Pelagium.) Nunc quia, inquit, anathematizauerit Pelagius incertum stultiloquium, rectè respondens hominem cum adiutorio Dei & gratia posse esse ἀναμάρτητον, id est, sinè peccato &c. Quòd si tuam ex Pelagio sententiam pertinacitèr defendere voles Smideline, infinitis sacrarũ scripturarum testimonijs facilè contrarium docuero. Sed videris ipse & Luteri & tuam doctrinam hac in parte refellere, quum statìm ità subiũgis, Hanc imperfectionem autem esse venialem, quia opera fiunt in fide Christi, propter quem nunc cum persona etiàm opera placent.

Si propter Christum opera vnà cum persona Deo placent, peccati nomine censeri non possunt, cùm non placeat Deo peccatum quantunuìs veniale. Quid quòd & ipsa vestra Confessio Augustana Carolo Cæsari exhibita, expresse pronũciat opera necessaria ad salutem? Philippus quoq; in Locis, cap. de operũ præmijs: In recõciliatis, inquit, bona opera cùm placeãt Fide propter mediatorem, merentur præmia spiritualia in hac vita, & post hanc vitam, sicut clarè ostendit parabola de negociantibus: Habenti dabitur &c. & 1. Tim. 4. dicitur: Pietas habet promissiones præsentis & futuræ vitæ &c. Marc. 10. Recipient centuplum in hac vita, &c. Quibus scripturarum testimonijs affirmare audet, (plurimos intereà suorum symmystarum oppugnans) bona opera plurima Dei dona & hîc & post hanc vitam mereri. Quæ si vera sunt, opera bona vtiq; peccata esse nõ possunt, cùm teste Apostolo, stipẽdium peccati sit mors. Georgius Maior quoq; in libello contra Missam edito, opera bona ad salutem necessaria affirmat. Sed & Luterus tuus quomodò de operibus senserit, audiamus: Si, inquit, rectam haberes fidẽ, nihil posset inesse vel accidere tibi, quin totũ placeret Deo, bonumq; ac meritorium esse oporteret. Ità enim ait S. Paulus Rom. 8. Scim9 quoniam omnia cooperantur in bonum sanctis Dei. Multi quidem clamant, bona opera nihil promereri. At multo satiùs esset, vt impelle-

Rom. 6.

In lib. de bon. operi.

In lib. Visit.

pellerentur homines ad bona opera facienda, omitterenturq́; acutæ disputationes istiusmodi. Vides igitur nunc Smideline, te in hac doctrina nec tibijpsi constare, nec vestro Euangelio, (eo enim loco Augustanam habetis confessionem) nec doctori & magistro tuo Lutero consentire. Vt autem quiuis intelligat, quàm absurdum sit illud tui Luteri παράδοξον, sanam Euágelij & Orthodoxorũ Patrũ doctrinam succinctè & luculentèr referemus. Et in primis quidem illud positum volumus lógè differre, Iustum neminem carere peccato, &, In omni opere bono iustum peccare. Non est homo iustus in terra, qui faciat bonũ, & non peccet, inquit Ecclesiastes, & Psalmista: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. & Ioannes: Si dixerimus quia peccatum non habemus, &c. Cæterùm in omni opere bono iustum peccare, id verò nec scripturis, nec rationibus vllis vllo modo consentaneum est. Peccatum vtiq; nihil verè dici potest, nisì quod ex volũtate procedit. Vndè Augustinus tum alibì, tum contra Fortunatum disputat: Ego, inquit, dico peccatum non esse, nisì proptia voluntate peccetur. Et hinc esse præmium, quia propria voluntate recta facimus. Et paulò superiùs: Qui nó voluntate peccant, non peccant. Eundem in modum D. Ambrosius lib. 1. de Iacob & vita beata, cap. 3. Nemo tenetur ad culpã, nisì voluntate propria deflexerit, vndè Dominus in Euangelio: Quæ de corde (id est, voluntate) exeunt, illa coinquinãt & purificant hominem. Quandò igitur homo constantem & firmam habet voluntatem non peccandi, omninò dicendus est in operibus bonis quę facit, nullum peccatum admittere. Dicimus, inquit Hieron. posse hominem non peccare, si velit, pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea, quandiù intentus est animus, quandiù chorda nullo vitio laxatur in cithara. Quòd si paululùm remiserit, quomodò qui aduerso flumine lembum trahit, si remiserit manus, statìm retrolabitur, & fluentibus aquis, quò non vult, ducitur: sic humana conditio si paululùm se remiserit, discit fragilitatem suam, & multa se non posse cognoscit. Hæc Hieronymus.

In lib. de bonis operib. Et alibì.

Eccle. 7.
Psal. 142.
1. Ioann. 1.

Matt. 15.

Lib. 3. adue. Pelagian.

Ex quibus patet, quòd quandiù fuerit animus diuinis rebus intentus, nec se remiserit, sed pro viribus gratia cooperante seipsum ad Deum erigit, non peccat, hoc est, in illo opere peccato caret.

Ibid. Iustitia, inquit Hieronymus, labore & industria ac diligẽtia & sempèr super omnia Dei clementia custoditur, vt nostrum sit rogare, illius tribuere quod rogatur: nostrum incipere, illius perficere: nostrum offerre quod possumus, illius implere quod non possumus. Laudat & coronat in nobis Deus hanc volũtatem, inquit, ibidèm paulò pòst Hieronymus, quæ obtulit omne quod potuit: hunc laborem, qui contendit vt faceret: & humilitatem, quę sempèr respexit ad auxilium Dei. Sed nunc Euangelicis & Apostolicis testimonijs doceam⁹, opera bona omñi prorsùs peccato carere posse. Christus Dominus apud Matthæum inquit: Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Si totum actionis corpus lucidum erit, certè nullam tenebrarum, id est, peccati partem habebit. Petrus apostolus cùm insignes aliquot virtutes enumerâsset, subiungit: Hæc enim facientes, non peccabitis aliquãdò. Quod sanè neutiquàm dixisset, si nullo prorsùs opere peccare non possunt. Paulus quoq; monet iustos, vt ità vigilent, vt non peccent: Euigilate, inquit iusti, & non peccetis: non quòd rem impossibilem hortetur Apostolus, cùm nemini ferè contigerit omnem vitam transigere sinè vllo peccato, sed vt pro viribus à peccato abstineamus & caueamus, implorata inprimìs gratia diuina. Adstipulatur Iacobus: In multis, inquit, offendimus omnes: hoc est, nemo tanta circũspectiõe viuit, quin offendat in pluribus: vbì de venialibus loquitur. Quòd si nullum opus peccato carere posset veniali, eadem facilitate dixisset, In singulis offendimus omñes. Et Ecclesiast. 24. Qui operantur in me (Christo,) non peccabunt. Ioãnes quoq;: Filioli mei, inquit, hæc scribo vobis, vt non peccetis. Quòd si omnia bona opa fidelium sunt veniale peccatum, quomodò ex eis iustificabuntur? Iustificari autem nos ex operibus, expresse docet Iacobus. Vbì em̃ docuisset, Abraham non ex fide tantùm, sed ex operibus iustificatum: subijcit, Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm? Potus aquæ frigidæ in nomine Christi datus sitienti, non perdet mercedem suã, inquit Dominus apud Matthæum. tantum abest, vt quis in eo peccet. Et in nouissimo die cùm sederit Dominus in supremo maiestatis suæ tribunali, testatur se electis regnum præparâsse à constitutione mundi, propter opera mise-

Matt. 5.

2. Pet. 1.

1. Cor. 15.

Iac. 3.

1. Ioan. 2.

Iac. 2.

Matt. 10.

Matt. 25.

se-

sericordiæ sibi in membris suis minimis exhibita: quem locum si cum Sarcerio hac stropha coneris eludere, quòd non ideò præparauerit electis regnum Deus, quia hæc opera fecerint, sed quia electi fuerunt, hæc opera fecerunt: relegabo te ad ipsum Bredenbachium, qui in commẽtarijs suis in Matthæum hanc sophisticen satìs luculentèr confutat. Apostolus apertè testatur, nos per opa bona Deo reddi chariores: Vt ambuletis, inquit, dignè Deo per om̃ia placentes, in omni opere bono fructificantes. Et angelus Tob. 14. fatetur operibus præcedentibus ipsum Deo acceptum fuisse. Quibus omnibus testimonijs luculentèr euincitur, opus bonum non solùm ἀναμάρτητον esse, sed & mercedem à Deo mereri, quod suprà etiàm ipsius Melanchthonis testimonio probauimus.

Vide Matt. Bred. in 25. cap. Matth.

Col. 1.

Porrò quòd ait Smidelinus, imperfectionem esse peccati notã, non simplicitèr verum est. Fatetur Paulus se & perfectum & imperfectum esse. Nõ quòd iam acceperim, inquit ad Philippeñ, aut iam perfectus sim. Sequor autem, si quo modo compræhẽdam &c. ego me non arbitror compræhẽdisse. Et post pauca subijcit: Quicunq; ergò perfecti sumus, hoc sentiamus &c. Ex quo perspicuum est, inquit Hieronymus, duas in scripturis sanctis esse perfectiones, duasq; iustitias. Primam perfectionem & incomparabilem veritatem perfectamq; iustitiam, Dei virtutibus coaptandam. Secundam aũt, quæ competit nostræ fragilitati. Et Augustinus: Virtus quæ nunc est in homine iusto, perfecta hactenùs nominatur, vt ad eius perfectionem pertineat etiàm ipsius imperfectiõis & in veritate cognitio, & in humilitate confessio. Tunc enim est secundùm hãc infirmitatem pro suo modulo perfecta ista parua iustitia, quãdò etiàm quid sibi desit intelligit. Ideoq; Apostolus & perfectum & imperfectum se dicit. Imperfectum scilicet, cogitando quantum illi ad iustitiam desit, cuius plenitudinem adhuc esurit & sitit: Perfectum autem, quòd & suam imperfectionem confiteri non erubescit, & vt perueniat, benè procedit. Cui pulchrè adstipulatur Hierony. Hæc est vera hominis sapientia, imperfectum esse se nôsse, atque vt ità loquar, cunctorum in carne iustorum imperfecta perfectio est. Hæc ille.

Phil. 3.

Ibid.

Li. 1. aduers. Pelag.

Li. 1. aduers. Pelag.

Quòd si omne bonum opus esset veniale peccatum, quomodò

aut quandò adimpleri posset lex Christi, quam tamen certò cōstat impleri posse, cùm alioquì Deus iniustus censeri possit? Qui proxi-
Rom. 12. mum diligit, legē impleuit, inquit Paulus. Legis enim impletio est dilectio. Hanc autem dilectiōem seu charitatem in multis esse, du-
Roma. 5. bitare non potest, qui Paulo fidem habet. Charitas Dei, inquit, diffusa est in cordibus nostris per Spiritū sanctum, qui datus est nobis. Quo autem pacto, hac charitate ornati, legem Dei impleamus,
Gal. 6. idem commonstrat Paulus, Alter alterius, inquiens, onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. De cuius impletione copiosè disserit Augustinus contra Cælestium libro de perfectione iustitiæ, vbì pulchrè docet, qua ratione homo quotidianis peccatis obnoxius, iustus dici & censeri queat. Hæc est nostra in ipsa peregrinatione iustitia, inquit, vt ad illam perfectionem plenitudinemque iustitiæ, vbì in specie decoris eius, iam plena & perfecta charitas erit, nunc ipsius cursûs rectitudine & perfectione tendamus, castigādo corpus nostrum, & seruituti subijciendo, & eleemosynas in dandis beneficijs, & dimittendis quæ in nos sunt commissa peccatis, hilaritèr & ex corde faciendo, & orationibus indesinentèr insistendo, & hoc faciendo in doctrina sana, qua ędificatur fides recta, spes firma, charitas pura. Hęc est nunc nostra iustitia, qua currimus, esurientes & sitientes ad perfectionem plenitudinemque iustitiæ, vt ea
Psalm. 14. posteà saturemur. Et paulò pòst: Ingredi sinè macula non absurdè
Quis ingrediatur sinè macula. etiàm ille dicitur, non qui iam perfectus est, sed qui ad ipsam perfectionem irrepræhensibilitèr currit, carens criminibus damnabilibus, ipsa peccata venialia non negligens mundare eleemosynis. Et rursùs interiectis nonnullis: Quanuìs & nunc omnis qui proficit, recta intentione proficiens, recedit ab omni peccato: & tanto fit indè longinquior, quanto plenitudini iustitiæ perfectionique propinquior. Aliud est ergò, recedere ab omni peccato, quod nunc in opere est: aliud, recessisse ab omni peccato, quod in illa perfectione tunc erit. Sed tamen & qui iam recessit, & qui adhuc recedit, non est negandus facere bonum &c. Et in eodem libro,
Iustus quis. Iustus dicitur in scriptura, qui perfectioni iustitiæ plurimùm accessit, vt Iob &c. Hæc de iustitia Christiana breuitèr dicenda putaui, nè pius Lector viam mandatorum Dei currens, animum despōdeat,

deat, audiens blaſphemam illam hæreticorum doctrinam, Iuſtum etiàm in omni opore bono peccare. Faciunt hoc conſultò hæretici, vt ſuis peccatis præſidium quærant. Quòd ſi in omni opere bono iuſtus peccaret, nullo modo peccatum euitari poſſet, quod apertè confutat Auguſtinus: Reſpondemus, inquit, vitari poſſe peccatum, ſi natura vitiata ſanetur gratia Dei per Ieſum Chriſtum &c. Pęter-eà ſi opus bonum benè & ſinè peccato fieri nõ poteſt, vt quid hortatur nos ſcriptura, Iuſtè id quod iuſtum eſt perſequere? Enormitèr igitur peccat Smidelinus, dum fideles in operibus bonis peccare affirmat. Proindè nos ab Apoſtolo edocti, operemur bonum, dum tempus habemus, non deficientes. Non terreant nos hæreticorum blaſphemiæ, nõ puſillanimes reddat carnis infirmitas, quia ſpiritus Dei habitans in cordibus noſtris, adiuuat infirmitaté noſtram, atq; adeò omnia nobis Deum diligentibus cooperantur in bonum. Omnia quæcunq; fecerimus, aut paſſi fuerimus propter dilectionem Dei, omnia nobis ad mercedem creſcunt, inquit ibidèm Hieronymus, non ad peccatum, vt impiè aſſerit cum Pelagio Smidelinus.

Deut. 16.
Gal. 6.
Rom. 8.

Cap. 15.

Luterus qualis fuerit in principes Germaniæ &c. Item non omnia quæ Sacramentum Euchariſtiæ concernunt, ab Euãgeliſtis expreſſa eſſe: & quàm apertam calumniam hìc ſtruxerit Smidelinus.

COmmunióem ſub vtraq; ſpecie, ideò ſuſpectam eſſe debere autumat, quia à Lutero pertinacitèr vrgetur, qui ſit hæreticus: cur non eadem ratióe & diuinitas filij, quia à Lutero vrgetur cõtra Iudæos ptinaciſſimè, ſuſpecta eſt? Smid.

Communionem ſub vtraque ſpecie pertinacitèr (vt vocabulo vtar Smidelini) vrgere, eſt Vuicleffiſtarum Huſſitarumq; hæreſim ante 130. annos exploſam, reſuſcitare. Hoc quia pertinacitèr fecit Luterus, meritò eum ſuſpectum habet Bredenbachius. Si verò diuinitatem filij vrget contra Iudæos, in ea parte concordes ſibi habet Catholicos. Neque enim neceſſum eſt, vt ſcabies hæretica ex Bred.

omnibus totius corporis membris protuberet, cùm vel periculosissimis morbis laborantes, sæpenumerò magnam corporis partem sanam habeāt, habetq; locum plerunq; in hæreticis illud Dauidis:
Psal.54. Inter multos erant mecum. Sed iam quæ his subiunxerat Bredenbachius refutâsse te oportuit Smideline, nempè quòd Luterus, qui doctorem se Euangelicum profitetur, contra Euangelicam mansuetudinem & longanimitatem, tanto cum fastu & stomacho atrocissima conuicia, sannas & ronchos palàm & pasśìm euomuit in illustrissimum & pientissimæ memoriæ Principem Georgium Saxoniæ ducem, quem damnato nomine in scriptis suis appellauit Apostolum Antichristi, quòd doctrinam eius nollet recipere. Quin & Henricum Octauum Angliæ regem, priusquàm sustineret admittere doctrinam Luteri, perstrinxit libro tam acerbo atq; atrocitèr scripto, vt etiàm illi qui iam concesserant in eius dogmata viri modestiores, indignè ferrent, quòd tantum regem ità tractâsset. Hanc eius petulantissimam & planè Antichristianam & barbaricam conuiciandi libidinem, nō ex Euangelico, sed sathanico pectore profectam, quis non intelligit? cùm & Paulus Apostolus impium reueritus sit Pontificem.

Smid. Quæ de cōsecratiōe affert dubia, dum Apostolicis scriptis ignorata inculcat, seipsum vanitatis arguit.

Bred. Recitatis Euangelistarum verbis, subiungit Bredenbachius, nō exprimi ab Euangelista, dixisse Christum expresśè ad Apostolos, Vos consecrate hunc panem & calicem, & populo tradite illū edēdum atq; bibendum, nisì quantùm ex verbis, Hoc facite, colligi potest. Item quo ritu ipsi debeant facere, & vtrùm vnusquisq; eorum per semetipsum panem hunc & calicem consecrare, atq; ità edere ac bibere debeat, an verò de manu sacerdotis consecratum sumere: hoc, inquam, neq; Euangelistas, neq; Paulum scribere, Si quòd hæc scripsit Bredenbachius, vanitatis arguitur à Smidelino, quis non videt ipsum vanissimè calumniari? Doceat igitur, vbì hæc ab Apostolis vel Euangelistis oommemorentur: Arguat prætereà va-
Epist.118. nitatis Diuum Augustinum Ianuario scribentem: Et ideò, inquit, non pcepit quo deincèps ordine sumeretur, vt Apostolis per quos Ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum: Nam si hoc ille mo-

monuisset, vt post cibos alios semper acciperetur, credo quòd eũ morem nemo variàsset. Cùm verò ait Apostolus, de hoc Sacramẽto loquens: Propter quod, fratres, cùm cõuenitis ad manducandũ, inuicèm expectate: si quis esurit, domi manducet, vt non ad iudicium conueniatis: statìm subtexuit, Cætera autem, cùm venero, ordinabo. Vndè intelligi datur, inquit Augustinus, quia multũ erat, vt in epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem vniuersa per orbem seruat ecclesia, ab ipso ordinatũ esse, quod nulla morum diuersitate variatur. 1. Cor. 11.

Subnectit superioribus Smidelinus: Et hoc nomine pessimè de scholasticis meretur, de quo necdùm certi aliquid statuerunt. Smid.

Quibus sanè verbis vel Theologicarum rerum imperitum, vel struendæ calumniæ admodùm peritum se declarat. Sed faciamus huius vel imperitiæ vel malitię gratiã Smidelino, qui à teneris Luteranæ doctrinæ perdiscendæ vsqueadeò intentus fuit, vt scholasticæ Theologiæ cognoscendę vacare neutiquàm potuerit. Cæterùm qui legerunt librum 4. Sententiarum, & in eundem commentatores scholasticos, non ignorant, quàm exactè omnia sacramentum hoc concernentia iam olìm tradita sunt & explicata, non solũ à scholasticis, verùm etiàm patribus Ecclesiæ primitiuæ & sanctis Concilijs. Illud autem obitèr hîc pio lectori obseruandum relinquo, quàm bona fide hîc agat aduersarius, dum ea quæ Bredenbachius de Euangelistis & Paulo recenset, videlicet nõ expressum ab ijs ritum consecrandi &c. ipse ad scholasticos violentèr rapit, quasi ab his nihil horum sit euidentèr tractatum. O integritatem Euangelicam. Si hoc non est, violentèr calumniam fabricare: ne ipse quidem ὁ διάβολος calumniatoribus accensendus est. Bred.

Cap. 16.

Non arrogant sibi Catholici potestatem, quasi ex substãtia panis & vini conficiant ipsi corpus & sanguinem Domini, vt calumniatur Smidelinus, sed hæc transmutatio fit virtute verborum Christi, vtì fusè declaratur. Refelluntur præter-

tereà cauilli Smideliniani contra Reuerẽd. D. Georgiũ Lautherium contra veritatem transſubſtantiationis.

Smid.

DE conſecratione ſcimus creaturam non poſſe facere ſacramentum. Chriſtus autem ſuo verbo conſecrauit panem & vinum, vt diſpenſationi corporis & ſanguinis ſui ſeruiant. Dicuntur autem & miniſtri cõſecrare panem & vinum, quandò annunciatione mortis Domini, q̃ in verbis Cœnæ breuiſſimè compræhenſa eſt, panem & vinum in vſum deſtinãt, vt myſterio diſpenſationis corporis & ſanguinis Chriſti famulentur. Conſecratio autem Papiſtica eſt merè magica, qua opinantur creatores illi ſeſe muſſitatione magica verborum Chriſti, quæ ꝓphanant, ex ſubſtantia panis & vini corpus & ſanguinẽ Chriſti conficere. Et infrà: Papiſtæ magia excæcati, hæc quinq; verba Canonis pro ſubſtantialibus conſecrationis ſuę habent: Hoc eſt enim corpus meus. Hæc ſi ſacrificulus omittat, nullo modo conſecrare dicitur.

Sic Smidelino loqui placuit.

Bred.

Poſſem hanc Smidelini blaſphemiam ſinè vllo negocio in ipſius iugulum retorquere, ſi vel Luteri, (cuius ſe diſcipulum profitetur) vel Philippi, vel Cõfeſſionis Auguſtanę verba proferamus. Sed præferamus hiſce magiſtris Orthodoxos Catholicæ Eccleſiæ Doctores, atque ex his primùm proferamus laudatiſſimum Præſulem D. Ambroſium. Hic lib. 4. cap. 5. de ſacramentis (qui libri etiàm ipſi Philippo probantur, vt alicubì demonſtrat Ioannes Hoffmeiſter in iudicio articulorum Confeſſ. Auguſt. art. 10.) euidentèr declarat non magicis præſtigijs, ſed vi verborum Chriſti, ſacerdotem conſecrare panem & vinum in carnem & ſanguinem Domini. Ergò, inquit, author Sacramẽtorum quis eſt niſi Dominus Ieſus? De cælo enim iſta ſacramenta venerunt. Conſilium enim omne de cælo eſt. Verè autem magnum eſt & diuinum miraculum, quòd populo Deus manna pluit de cælo, & non laborabat populus, & manducabat. Tu fortè dicis: Meus panis eſt vſitatus. Sed panis iſte, panis eſt ante verba ſacramentorum: vbì acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti. Hoc igitur adſtruamus: quomodò poteſt, qui panis eſt, corpus eſſe Chriſti? Conſecratione. Conſecratio igitur quibus verbis

verbis fit & quibus sermonibus? Domini Iesu. Nam per reliqua oĩa quæ dicuntur, laus Deo defertur: oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris: vbì venitur vt cõficiatur venerabile sacramẽtum, iam non suis sermonibus sacerdos, sed vtitur sermõibus Christi. Ergò sermo Christi hoc conficit sacramentum. Et paulò pòst: Ergò tibi vt respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem: sed post consecrationem dico tibi ꝙ iam Corpus est Christi. Et cap. sequenti: Vis igitur quia rebus cælestibus consecratur? Accipe quæ sunt verba, dicit sacerdos, Fac nobis, inquit, hanc oblationem asscriptam, rationabilem, acceptabilem. Quod est figura corporis & sanguinis Domini nostri IESV CHRISTI. Qui pridiè quàm pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem, respexit ad cælum, ad te sancte pater omnipotens æterne Deus, gratias agens, benedixit, fregit, fractumq; Apostolis suis tradidit, dicens: Accipite & edite ex hoc omẽs: Hoc enim est corpus meũ, quod pro multis confringetur. Similitèr etiàm calicem, postquàm cœnatum est, pridiè quàm pateretur, accepit: respexit ad cęlum ad te sancte pater omnipotẽs æterne Deus, gratias agens, benedixit, Apostolis & discipulis suis tradidit, dicens: Accipite & bibite ex eo omnes: Hic est enim sanguis meus. Vide, omnia illa verba Euangelistæ sunt vsque ad, Accipite siue corpus siue sanguinem. Indè verba sunt Christi, Accipite, bibite ex eo omnes, hic est enim sanguis meus. Vide singula. Qui pridiè, inquit, quàm pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem. Antequàm consecretur, panis est: vbi autẽ verba Christi accesserint, corpus est Christi. Deniq; audi dicẽtem: Accipite & edite ex eo omnes. Hoc est corpus meum. Et ante verba Christi, calix est vini & aquæ plenus: vbì verba Christi opata fuerint, ibì sanguis efficitur, qui plebem redemit. Hæc Ambrosius, qui & alijs in locis passìm eadem inculcat. sed audiamus eo vetustiorem D. Irenæum libro 5. Quandò, inquit, mixtus calix & factus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi. D. Iustinus Martyr similia refert. Neq; enim hæc, inquit, vtì communẽ vsitatumq; panem, vsitatamq; potionem capimus: sed quemadmodũ per Dei verbum, homo factus Iesus Christus conseruator noster & carnem & sanguinem pro salute nostra habuit, sic etiàm cibum, qui Apolog. 2. ad Anton. Imp.

per preces sermonis, quem ab eo accepimus, cõsecratus est, & quo sanguis carnesq; nostræ per transmutationem aluntur, Iesu Christi, eius qui homo factus, & carnem & sanguinem esse docti sumus. Apostoli enim in Commentarijs suis, quæ Euangelia dicũtur, ità sibi Christum præcepisse tradiderunt, eum accepto pane, cùm gratias egisset, dixisse: Hoc facite in meî memoriã: Hoc est corpus meum. Dixisse etiàm, accepto poculo, cùm gratias egisset, Hic est meus sanguis: sibiq; solis dedisse. Hæc ille, quibus luculẽtissimè accedit Hieronymus: Clerici, inquiens, Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt. Idem alibì: Ad sacerdotũ preces, ait, Christi corpus sanguisq; cõficitur. Audiamus & Chrysostomum Homil. de proditione Iudæ: Non, inquit, homo est, qui proposita in consecratione mensæ Domini, corpus Christi facit & sanguinem: sed ille, qui crucifixus est pro nobis, Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & DEI virtute consecrantur & gratia. Operatur hîc sermo Christi, sicut Dei sermo operatus est in principio: tunc quidem, vt quæ non erant, essent, quandò dixit & facta sunt, Fiat lux, & facta est lux. Hic verò, vt ex eis, quę sunt, aliud quid fiat. Operatur, inquam, hîc sermo Christi, HOC EST CORPVS MEVM, sicut operatus est quandò dixit: Crescite & multiplicamini, & germinet terra herbam virentem. Quoniam sicut vox illa q̃ dixit, Crescite & multiplicamini, & replete terrã, (inquit Chrysostomus homil. de proditione Iudæ) semèl quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem operante natura: ità & vox illa, HOC EST CORPVS MEVM, &c. semèl quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ vsq; ad hodiernã diem, & vsq; ad eius aduentum, præstat sacrificio firmitatem &c. Porrò nè quemadmodùm Capharnaitæ dicebãt, Durus est hic sermo: quomodò potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum, ità Smidelinus obstrepat, quomodò panis in corpus Christi commutari potest? aduertat ea, quæ habet D. Ambrosius cap. 9. De mysterijs init. & lib. 4. cap. 4. de sacramentis, quæ hîc nos breuitatis causa prætermittimus. Blasphema igitur est sycophantia Smidelini, qua calumniatur vniuersum sacerdotum ordinem, creatores eos appellans, quòd arbitrentur sese mussitatiõe magica (vt ait)

Epist. 1. to. 1.

Epist. ad Euag. tom. 2.

Cyril. li. 4. in Ioã. ca. 13.

Damasc. li. 4. cap. 14.

Ioã. 6.

verborum Christi, ex substantia panis & vini corpus & sanguinem Christi conficere: immò in ipsum Smidelinum eiusque symmystas hæc veriùs competunt, qui in confessione sua edita anno 31. asserũt, tunc demùm esse in Sacramẽto corpus Domini, si sumatur: alij rursùs, si sumens firmam habeat fidem. Quid hoc aliud est dicere, quàm pendére ex arbitrio hominis, esse vel non esse istic corpus Dominicum? Suos igitur communicantes, veriùs creatores appellitet, qui sua sumptione dicuntur efficere, vt sub speciebus panis & vini cõtineatur corpus Domini. Docuit hoc Ioach. Vuestphalus in sua responsione contra Caluinum, & multi alij. Videat prætereà Smidelinus, quàm hîc sit suî immemor, qui suprà Augustinum adduxit, docentem, Sacramenta non pendére ex persona administrantis, sed verbo Domini: adeò nulla in re sibi constat obturbator. Cùm igitur iam tantam tantorum testium nubem produxerimus, & longè plura proferre potuerimus, facilè animaduertit æquus & pius lector, quam causam foueat Smidelinus, quem nõ pudet in diuinissimum Christi corpus & sanguinem tam palàm impias & blasphemas voces expuere. Sed vt manifestior euadat scurrilis & antichristiana hominis impietas, ipsius Augustanæ confessionis verba de hoc articulo referemus, vt vel suorũ testimonijs impietatis & blasphemiæ arguatur. Sic habet articulus 10. Confessiõis Augustanę, anno 1530. Carolo Cæsari exhibitæ.

De cœna Domini docent, quòd corpus & sanguis Christi verè adsint, & distribuantur vescentibus in cœna Domini, & improbãt secùs docentes.

Ad hanc sententiam comprobandam (quæ sanè nulla in parte Catholicæ doctrinæ aduersatur, si credimus erudito illi Hoffmeistero) adducit apologia Confessionis Cyrilli sententiam, & Græcorum ecclesiam in testem vocat. Quis autem nesciat Cyrilli sententiam in hoc Augusto & sacrosancto negocio? Audio, inquit, quòd dicunt illi mysticam benedictionem, si ex ea remanserint in sequentem diem reliquiæ, ad sanctificatiõem inutilem esse: sed insaniunt hæc dicentes: nõn enim alius fit Christus, neque sanctum eius corpus mutabitur, sed benedictionis virtus & viuifica gratia perpetuò manent in illo. Videatur idem Cyrillus in oratiõe quin-

Ad Calosirium Episco.

ta myſtagogica. Collegit prætereà Philippus ipſe patrum ſententias ſuper Euchariſtia. Idem videlicet, panem in corpus Chriſti cõuerti, manentibus ſolis ſpeciebus, aſſerit Luterus in libro contra Zuinglium. Tranſmutatur panis, inquit, &c. Atq; itẽ Bucerus pòſt

Tabula 2. Luterizans in commentarijs in Matthæum, vt demonſtrat in tabulis ſuis D. Vuilhelmus Lindanus. Horum doctrinam cùm defendendam ſuſceperit Smidelinus, pluſquàm paganica impietate & gladiatoria leuitate in arduo & grauiſſimo negocio protinùs à ſuis ſymmyſtis deficit: Sic enim paulò pòſt ſentẽtiam ſuam de myſterio diſpenſationis corporis & ſanguinis, ſuprà obſcurius poſitã, declarat:

Smid. Panem & vinum conſecrare, inquit, eſt in eum vſum transferre, non vt ipſorum ſubſtantia & natura mutetur, ſed vt ſeruiant diſpẽ-

Bred. ſatiõi veri corporis Chriſti &c. Sed quòd in hoc χρινομένῳ à ſuis magiſtris deſciſcat, nimìs illi fortaſsè vitio vertendum eſt, quòd illi ipſi anno ſequenti, nempe 31, & rursùs anno 56. nouam confeſſionem cudentes, ſuam de euchariſtia ſentẽtiam mutauerint. Si Apoſtoli non habuerunt, nec vniuerſa eccleſia habet poteſtatem condendi leges morum & bonorum operum, aut ſtatuendi articulos fidei, (quod ſuprà à nobis probatum, à Smidelino omnibus neruis impugnatum eſt) qua fronte ſibi vendicant illi in re tanti momenti nunc conſtituenda, nunc mutanda, nunc abroganda tantam authoritatem? An ſibi licere volunt, quod Apoſtolis & Eccleſiæ non licere contendunt? Illi ſuæ fidei normam cudent atq; recudent, figent atq; refigent, ſursùm deorſumq; iactabunt, & eccleſia Catholica Chriſti ſponſa non habuit poteſtatem condendi leges morũ, & conſtituendi articulos fidei? Vide quæſo pie lector, quàm turpiter, quàm enormitèr vbiuìs locorũ impingãt, qui pluſquàm Thraſonica iactantia ſibi ſolis veram verbi Dei lucem, veram eccleſiam & ſpiritum Euangelicum vaniſſimè vendicant. Verùm quid ais fœtiſſime propugnator? Negas conſecratione, panis & vini naturã mutari? Quid ergò tibi ſapiunt ea, quę hactenùs ex Patribus adduximus: Quid? an ſomniare tibi videtur beatiſſimus epiſcopus & inuictiſſimus Martyr D. Cyprianus, cùm expreſſiſſimis verbis inquit: Panis iſte cõmunis in carnem & ſanguinem mutatus, procurat vi-

Euãgelici quantũ ſibi falsò arrogent.

tàm: Et paulò pòst: Panis iste quidem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro? An tibi panē pinsere videtur D. Ambrosius, dùm clarissimis verbis disertissime dicit Quantis igitur vtimur exemplis, vt probemus hoc non esse quod natura formauit, sed benedictio consecrauit: Maiorem enim esse vim benedictionis quàm naturæ, quia benedictione ipsa natura mutatur? Et enumeratis exemplis de virga in colubrum, de aqua in sanguinem commutata, de diuiso mari rubro, de Iordane retrorsùm conuerso, de petra aquam producente, de aquis amaris in dulces conuersis &c. Quòd si tantum, inquit humana valuit benedictio, vt naturam conuerteret, quid dicimus de ipsa consecratione diuina, vbì verba Domini saluatoris operant̃? Nam sacramentum istud quod accipis, Christi sermone cōficitur. Quòd si tantum valuit sermo Heliæ, vt ignem de cælo deponeret: non valebit Christi sermo, vt species elementorum mutet? De totius mundi operibus legisti, quia ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Sermo igitur Christi, qui potuit ex nihilo facere aliquid quod uon erat: nō potest ea quę sunt, in id mutare quod non erant? Non enim minus est dare, quàm mutare nouas naturas rebus. Et paulò pòst, Christi ex virgine nati exemplum adducens, ait: Si ordinem quęrimus, viro mixta fœmina, generare consueuerat. Liquet igitur quòd præter naturæ ordinem virgo generauit: & hoc quod conficimus corpus, ex virgine est. Quid hìc quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cùm præter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex virgine? Hæc atq; his lōgè plura istic D. Ambrosius. In eandem sententiam D. Chrysostomus in serm. de Encænijs ait panem absumi. Et in Liturgia, Surgens, inquit, sacerdos, obsignat sacra dona, & dicit: Et fac panem quidem hunc preciosum corpus Christi tui. In calice verò hoc, preciosum sanguinem Christi tui, μεταβαλὼν, transmutans spiritu tuo sancto. Sic ad verbū in Liturgia sua D. Basilius.

Amb. ca. 9. dn his qui myst. init.

Exod. 7.

4. Reg. 2.

Psal. 148.

D, Augustinus: Serm. 28. de verbis Domini: Iam non panis, sed corpus Christi dicitur.

Ioannes Damascenus expresè dicit, Panem & vinum μεταποιοῦθαι ὑπερφυῶσ, transmutari supernaturalitèr in carnem & sanguinem

Domini. Hesychius lib. 6. in Leuit. cap. 22. fieri translationē & cōmutationem dicit. Sic & Theophylactus in 14. cap. Marci ait: Panem transelementari in carnem Domini. Et in Matthæum, ineffabili operatione transformari, etiamsi nobis videatur panis. Rursùs in 6. cap. Ioannis: Attende quòd panis qui à nobis in mysterijs mā- ducatur, non est tantùm figuratio quædam carnis Domini, sed caro ipsa Domini. Non enim dixit, Panis quem ego dabo, figura est carnis: sed, caro mea est. Transformatur enim arcanis verbis panis ille, per mysticam benedictionem & accessiōem sancti spiritûs, in carnem Domini. Et nè quem conturbet quòd credendus sit panis caro. Etenim & in carne ambulante Domino, & ex pane alimoniā admittente, panis ille qui manducabatur, in corpus eius mutabat, & similis fiebat sanctæ eius carni, & in augmentum & sustentationem conferebat iuxta humanum morem. Igitur & nunc panis in carnem Domini mutatur. Et quomodò, inquit, non appáret nobis caro, sed panis? Vt non abhorreamus ab eius esu. Nam si quidē caro apparuisset, insuauitèr affecti essemus erga communionem. Nūc autem condescendente Domino nostræ infirmitati, talis appáret nobis mysticus cibus, qualibus alioquin assueti sumus. Hæc ille.

cap. 26.

Lib. 1. de diuin. offic. cap. 18.

D. Isidorus episcopus Hispalensis, ante nongentos & ampliùs annos inter cætera sic inquit: Hæc duo (panis & vinum) sunt visibilia: sanctificata tamen per spiritum sanctum, transeunt in sacramētum diuini corporis.

Prodi nunc in medium Smideline, dicas Papistas magia excæcatos: appellites eos creatores, qui arbitrentur se mussitatione magica verborum Christi, ex substantia panis & vini cōficere corpus & sanguinem Christi. Nega iam, si audes, panis & vini naturam mutari. Pudeat tandèm prȩconē Euangelicum tam apertæ blasphemiȩ, tam perniciosæ, execrabilis & hæreticȩ doctrinȩ. Pudeat vos vestræ Confessionis, quam principibus, rerum politicarum curis & gubernatione plerunq; præpeditis, vt veteris Ecclesiæ doctrinam & rerum Theologicarum difficultates non sempèr liceat operoso scrutinio discutere, pro puro puto Dei verbo tam audactèr obtruditis. Pudeat, inquam, te tuosq; symmystas, dum in ea quam fabricâstis confessione palàm reijcitis, mutationem panis & vini in cor-

pus & sanguinem Domini: Non videtur, inquit Cōfessio, (hæc mutatio) certo verbo Dei tradita, & appáret veteri Ecclesię ignotá fuisse. Adeò sanè ignota non fuit, vt nunquàm de ea dubitatum fuerit. Adeò, inquam, ignota non fuit, vt tot tamq; illustres, tanta antiquitate, religione ac doctrina venerandi Patres, quos nūc adduximus, & longè plures adducere potuissemus, tam expressis & irrefutabilibus sententijs, hanc mutationem adstruxerint. Totis mille annis, nullo vnquàm hæretico contradicente, credita est per vniuersam ecclesiam hęc mutatio, quam nunc à quadringētis annis vocamus Transsubstantiationem, quam Damascenus ante tot secula palàm appellauit μεταστοίχωσιν, hoc est, transelementationem: alij patres μετουσίαν, alij alijs synonymis expressissimè contestati sunt. Porrò cùm primùm de hac μετουσίᾳ & transelementatione dubitari cœpit ante annos quingentos per Berengarium, referēte Guitmundo episcopo Auersano, itemq; ante annos quadringentos per hęreticos Petrobrussianos & Heinricianos, teste venerabili Petro Abbate Cluniacēsi, quatuor Concilijs damnata est hæresis de manente panis natura. Damnata, inquā, est, in celeberrima illa & οἰκουμενικωτάτῃ frequentissimaq; synodo Lateranensi, sub Innocentio III. habita, in quam conuenerunt Patriarchæ Constantinopolitan. Ann. 1215. & Hierosolymitanus, Metropolitani septuaginta, Episcopi quadringenti, duodecim Abbates, Priores conuentuales octingenti, Gręci & Romani Imperij legati, Regum Hierusalem, Francię, Hispanię, Anglię & Cypri oratores &c. Vis audire quid tantum, tam sacrum, tam augustum vniuersi orbis Concilium cōcordibus suffragijs definiuerit? Vna est, inquit, fideliū vniuersalis ecclesia, extra quam nullus omninò saluatur. In qua idem ipse sacerdos & sacrificium Iesus Christus, cuius corpus & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis & vini veracitèr continētur, transsubstātiatis pane in corpus, & vino in sanguinem potestate diuina.

In concilio Constantiensi damnatę sunt hęreses Ioannis Huss An. 1415. & Vuicleff, qui inter cęteros errores, transsubstantiationem quoq; negârunt.

In concilio Florentino expressis verbis patres tradiderunt: Sa- An. 1439. cerdos, inquiunt, in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramen-

mentum. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem cõuertuntur, ità tamẽ, quòd totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie vini.

An. 1551. sess. 3. can. 2. In concilio Tridentino hũc canonem Patres vnanimitèr statuerunt: Si quis dixerit, in sacrosanctæ Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis & vini, vnà cum corpore & sanguine Dñi &c. anathema sit. Damnata igitur est hæc vestra, Smideline, sentẽtia, quam ex Berengario, Petrobrussianis, Vuicleffistis, & Hussitis hausistis, & iam olìm sepultam, ex inferis reuocâstis: qua nobis & vniuersæ ecclesię artocream potiùs, quàm solum viuificum Christi Domini corpus, sub speciebus panis & vini iuxta Ecclesiæ doctrinam, in Eucharistia præberi contenditis.

Obiectio. Dices, Eucharistiam non minùs post, quàm ante consecratiõem appellari panem à Christo & Apostolis. (Nam hoc Achillæũ, vt arbitraris, argumentum obijcis clarissimo viro D. Georgio Lautherio, Aulæ Monaceñ ecclesiastæ, in antididagmate tuo Germanico de Missa, in cuius libelli tui lectionem incidi, dum vltima pars mei huius Anthyperaspistæ excuderetur) ergò, inquis, est panis. Quid autem? Hóccine tibi in biblicis scripturis tantoperè, vt putas, versato est inauditum, vt res à præexistente materia suam denominationem sortiatur? Ingredere vel ipsum duntaxàt limen sacaorũ bibliorum, ipsius inquam Genesios principium: Hoc nunc os ex ossibus meis, dicebat Adamus de Eua, cùm tamen iam non os aut costa, ex qua formata erat, sed mulier esset. In Exodo legimus: Apprę- Exod. 3. hende virgam, id est, serpentem, qui antè fuerat virga. Item, Deuorauit virga Aaron, virgas eorum. Apud Euangelistam legis, cæci vi- Matt. 11. dent, claudi ambulant, id est, illi qui fuerant cæci aut claudi. Itęm apud Ioannem aqua in vinum versa, appellatur aqua. Deindè panis Ioan. 2. idcircò vocatur, quia speciem & similitudinem panis obtinet. Genes. 18. Abraham vidit tres viros. Viri appellantur, quia videbãtur esse viri. Act. 1. Adstiterunt duo viri, id est, angeli. Deniquè appellatur panis, quia corpus Christi in scripturis appellatur panis. Sic Ieremiæ 11. Mittamus lignum in panem eius, id est, corpus iuxta Hieronymum.

Per-

Pergit argutari Smidelinus: Quicquid frangitur, est substantia: Smid.
Non autē frangitur substantia corporis Christi, Ergò panē oportet esse & manere verum, qui in sacramento frangitur, de quo dixit Apostolus: Panis quem frangimus &c.

Excepta Apostoli sentētia deprauatè adducta, negamus tibi Smideline vniuersam tuæ argutationis compagem. Maior enim ꝓpositio, ex ratiōe ingenij humani petita, etsi in rebus naturalibus vera sit, in rebus tamen fidei necessum est omnes humanæ ratiocinationis argutias consilescere. Fides enim nō habet meritum, vbì ratio humana præbet experimentum. Quod non capis, quod nō vides, animosa firmat fides. Demus Deum aliquid posse, quod fateamur nos inuestigare nō posse, inquit D. Augustin. Idem alibì docens, cur Domin⁹ absens voluerit esse à nobis visibili corpore, cùm tamen ipsius carnem manducemus, ait: Absentia Domini non est absens. Habeto fidem, & tecum est quem non vides. Et post pauca: Ideò Dominus noster absentauit se corpore ab omni ecclesia, & ascendit in cælum, vt fides ædificetur. Si enim nō nôsti nisi quod vides, vbì est fides? Si autē credis & quod non vides, cùm videris, gaudebis. Aedificatur fides, quia redditur species, veniet quod videmus. Veniet, fratres, veniet: vide quomodò te inueniat. Certus esto, veniet: non solùm veniet, sed etsi nolis, veniet &c. Hæc ibì D. August. Nec fortassis indignū obseruatu fuerit, quod discipuli isti duo, de quibus sermōem hîc instituit August. quandiù Christum Dominum in carne præsentem habebant, ipsum Dominū non cognouerunt. Verùm vbì fides diutina Christi institutione & colloquio, ac virtute sacramenti in animis ipsorum resuscitata est, statìm euanuit ab oculis eorū: nimirùm abesse volebat corpore, qui iam tenebatur fide: noluit videri oculis corporis, qui iam cernebatur oculis cordis. Voluit hæc ab eis videri per fidem, qui remotis ænigmatis, in patria claram eius habituri erant visionem. Paulus Apostolus cùm fidei Christianæ mysteria percepturus esset ab Anania, corporali cęcitate ꝑcussus est, fortè q̃a in fidei mysterijs hauriēdis corporeos sensus & ratiocinatiōes humanas in obsequiū fidei captiuare oporteat. Cessent igit̄ & obmutescāt in hoc diuinissimo & inscrutabili mysterio homūciōis argutatiūculę. Sileat ista Caphar-

Bred. — Epist. 2. Sermo. 140. de Tempo. — Luc. 24. — Act. 9.

Ioan.6. naitarũ litigiosa vox, Quõ? In quẽ locũ Cyrillus: Anim⁹ malignus, inquit, quæcunq; nõ intelligit, statim tanq̃ friuola falsaq; per arrogantiam eijcit, nulli cedens, nec aliquid supra ipsum esse existimãs, quales Iudæos fuisse comperiemus. Nam cùm oporteret eos, qui diuinam virtutem saluatoris ac potestatem signorum miraculo pceperunt, sermonem eius libentèr suscipere, & si qua difficilia videbantur, eorum solutionem quærere, contrà omninò faciunt: Et quomodò potest hic carnem suam nobis dare? de DEO non sinè magna impietate conclamant: nec in mentem venit, nihil esse impossibile apud Deum. Nos verò magnum à peccatis aliorum profectum faciamus, & firmam fidem mysterijs adhibentes, nunquàm in tam sublimibus rebus illud, Quomodò, aut cogitemus, aut proferamus. Iudaicum enim hoc verbum est, & externi supplicij causa.

Luc. 1.

Ioan.3. Ideò cùm Nicodemus etiàm diceret, Quõ hæc fieri possunt? meritò audiuit, Tu es magister in Israël, & hæc ignoras? Aliorũ igitur culpa perdocti. quum Deus operetur, non quæramus quomodò, sed operis sui viam atq; scientiam illi soli concedamus. Non sunt

Esa.55. consilia mea, inquit, vt consilia vestra, & sicut viæ vestræ, viæ meæ sunt, sed sicut exaltatur cælũ à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Quomodò igitur summis cruciatibus digni non erunt, qui rerum omniũ opificem Deum ità contemnunt, vt, Quomodò, in operibus suis dicere audeant? quem totius sapientiæ largitorem esse non ignorant, quem omnia posse scriptura nos docuit. Si verò tu ô Iudæe (ô Smideline) etiàm nunc clamas, Quomodò? hanc tuam imperitiam ego quoq; sequutus, libentèr quomodò ex Aegypto exiuisti, rogabo, quomodò in serpentem Mosaica fuit virga conuersa? quomodò lepra manus affecta, vno momento temporis in pristinum statum restituta iterùm fuit? quomodò in naturam sanguinis aquæ transiẽrunt? &c. Innumerabilia sunt, in quibus si Quomodò quæris, vniuersam tibi scripturam euertere necessum erit &c. Hæc & his plura ibì D. Cyrillus. Refert venerabilis vir D. Petrus Abbas Cluniaceñ, (In tract. de sacrif. Missæ, & veritate Transsubstantiation.) de primo post Capharnaitas sacramentariorum patre Berengario, quòd fortè Andegauis aliquandò constitutus, de corporis Christi sacramen-

mento cum quibusdam agens, dixerit: Si corpus Christi tantæ fuisset magnitudinis, quantæ turris hæc, quæ in cõspectu nostro immensa mole attollitur, à tot totius orbis populis comestũ, ante multa annorum spatia defecisset. Quãtum peruersus, tãtum peruersa locutus, inquit ibidèm venerabilis abbas Petrus.

Ex huius Berengarij & Capharnaitarum schola prodeunt nobis illa portentosa huius seculi monstra, Caluinus, Beza, Bucerus, vituli, bestiæ, feles, Musculi, Sneppij, Coruini, Brentij, Oecolampadij, Zuinglij, & id genus philosophi vel solis nominibus horridi & inauspicati. Quorum catalogo an noster misoliturgus accensendus veniat, ipse viderit. Quæ autem (malùm) vesania, quæ vecordia, quæ mentis cæca præcepsq; malitia, vt quod nolis tibi à iumento tuo fieri, id tu facere Deo non erubescas? Doceat te asinus tuus, quid te velit facere Dominus Deus tuus. Non disputat de cogitationibus tuis, non de verbis tuis, non de operibus, non de cõsilijs tuis. Iudicat, non intellectu, sed natura dictante, tibi aliquid concessum esse, quod sibi penetrare non liceat. Et idcircò quanuìs nihil horum intelligat, non tamen obmurmurat, non recalcitrat, non sibi vniuersa rationibus pandi expostulat, sed tuo obediẽs imperio, quicquid iubetur, exequitur. Ad eundem modum in sublimibus fidei sacramentis eorumq; mysterijs vt nos faciamus oportet, nè diuinam maiestatem & cælestia mysteria argutationibus humanis curiosiùs perscrutemur: alioquì enim iumentum eius esse nõ poterimus, de quo dicit Psalmista: Vt iumentum factus sum apud te. Nisì crediderimus, nõ intelligemus, inquit Propheta: & animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritûs Dei. Hæc semèl dicere visum est contra subtiles istas horum philosophorum argutias, cõtra nimiam istam prudentiam carnis, contra nouos & nupèr renatos Capharnaitas, qui ad montem Dei animales affectus, ad locũ sanctum non calceos duntaxàt, sed & pedes lutulentos adferunt, qui in mysteria fidei ratiunculis humanis stulta, præcipiti & parùm christiana φιλαυτίᾳ velutì in margaritas irruunt. Psal. 71. Esa. 7. 1. Cor. 2.

Nunc ad argutum illud & ex intima philosophia, vt putat, selectum Smidelini argumentum redeamus. Ad Maiorem igitur nunc respondimus, eam scilicet, cùm ex ratiocinatiõe humana sit desum-

pta,nullum prorsùs locum in diuinissimo sacramento,omnem humanæ mentis captum excedente,sortiri posse.

Superest vt minorem examinemus, quæ sic habet: Non autem frangitur substantia corporis Christi. Et hæc propositio licèt minoris locum obtineat, non minorem tamen, sed penè maiorem continet falsitatem paritèr & absurditatẽ. Audiat Smidelinus quid de fractione corporis Christi dicat Apostolus.1.Cor.11. inquit inter cætera: λάβετε, φάγετε: τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον. Accipite, comedite: Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur. Sic enim habent exemplaria Græca: sic prætereà D.Ambrosius & Beda legunt, hic Lucam, ille Paulum exponens. Nec tamen absurdum videtur, quod ex Theophylacto & Chrysostomo colligit Erasmus, fractionem panis pro distributione accipiendã. Vt sit sensus Apostoli, panis quem frangimus, hoc est, quem distribuim⁹ &c. Sed neq; frangendi verbum nulla ratione cõuenit corpori Dominico, vtì nunc ex Græcis exemplaribus docuimus, & non ineptè demonstrat Erasmus. Frangendi verbum, inquit, haud malè cõuenit corpori Dominico. Frangitur panis triticeus, vt multis vitã cõferat: frangi dicitur & corpus Domini, quòd vitam ex æquo conferat omnibus dignè sumentibus. Idem panis inter multos distributus, concordiæ symbolum est: idem corpus pro omnibus immolatum, amicitiæ signum est &c. Frangitur igitur, datur & offertur Christi corpus in sacrificio altaris. Nec est quod hoc dictum nobis calumnietur Misoliturgus, & protinùs traditores & carnifices (vt loquitur Caluinus) appellitet sacerdotes Catholicos. Quoniã eñ dixit Christus ad Apostolos, Hoc est corpus meum quod pro vobis datur &c. mox verò subiungit, Hoc facite in meam commemorationem, satìs ostendit nos mysticè corp⁹ daturos, traditūros, oblaturos, sanguinemq; effusuros, quod re ipsa apertè & sinè mysterio ipse erat posteà facturus, & iam tum in ipsa cœna faciebat, faciendumq; præcipiebat sub speciebus panis & vini. Neq; dubitatum vnquàm est à Catholicis, sanguinẽ Christi in altaris sacrificio (non quo ad cruentam passionem, sed quo ad ipsius cruentæ passiõis efficientiam) verè fundi, & corpus verè frangi & offerri. Nisì quòd in sacrificio altaris mysticè & tanquàm in exemplari & imagine, &

In annot. in 1.Cor.11.

loco citato.

san-

sanguis Christi funditur, & frangitur corpus. Vndè Augustinus (de consec. dist. 2. cap. cùm frangitur:) Cùm frangitur hostia, inquit, quid aliud quàm Dominici corporis in cruce immolatio designatur? Et Berengarius cùm coràm centum quatuordecim episcopis hæreses suas de hoc Sacramento publicitùs reuocaret, inter cætera sic confessus est: Profiteor, inquit, panem & vinum quæ in altari ponuntur, post consecrationem uon solùm sacramentum, sed etiã verum corpus & sanguinẽ Domini nostri Iesu Christi esse, & sensualitèr non solùm sacramentum, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri &c.

De cõse. dist. 2. Ego Berẽgarius.

Idem est, (tametsi prima frõte dissonum videatur) quod Ecclesia canit in prosa (vt vocant) venerabilis Sacramenti: Fracto demùm sacramento, nè vacilles, sed memento tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur: Nulla rei fit scissura, signi tantùm fit fractura, qua nec status, nec statura signati minuitur. In quem prosæ locũ ità commentatus est Iudocus Clichtouæus: Nulla rei fit scissura, hoc est, res ipsa sub specie panis contenta, sacrum est Christi corpus, signatum & exhibitum per species illas sensibiles: illud autem, quia immortale & impassibile, nullam discissionem aut diuulsionẽ pati potest. Quarè per hostiæ consecratæ in diuersas partes dissectionem, neq; in corpore Christi fit aliqua distractio, neque habitûs ipsius aut integritatis aliqua imminutio. Sed signum ipsum, scilicet species illa panis, ratione suæ quantitatis superstitis, frangitur in partes & diuellitur. &c. Itaq; quod in hac prosa dicitur de scissura & fractura, sic accipiendum est, vt illud Apostoli, Christus semèl mortuus, ampliùs nõ moritur, scilicet visibilitèr & (vt sic dicã) cruciabili cruẽtoq; modo. Quæ verò ex doctrina Ecclesiæ Catholicę, & adductis suprà locis de fractiõe, datiõe, traditiõe, oblatiõe, atq; adeò etiàm ipsa morte, Christi siue corporis eius suprà diximꝰ, ea mysticè intelliguntur (neq; enim tam crassi sumus, vt in sacrificio Missæ dicamus Christum denuò tormentis, cruci & morti subijci, quanuìs illud plerique barbarorum philosophorum, Catholicæ Ecclesiæ sacerdotibus violentèr impingant) & in imagine: nõ tamen per nudam vmbram, quęq; nihil cum ipsa veritate habeat commune, cuiusmodi fuerunt typica veteris legis sacrificia, in qui-

Rom. 6.

bus nuda & sola fuit significatio, nulla rei veritate suffulta. Nostrũ verò & ecclesiæ Catholicæ sacrificium, quod appositissima voce θυσίαν ἀναίμακτον, sacrificium siue hostiam incruentam vocârunt Græci patres, non nudas rerum vmbras complectitur. Hoc sacrificium, inquit D. Chrysostomus, (hom. 17. ad Heb.) exemplũ est illius: est idipsum, & sempèr idipsum. Corpus Christi, inquit D. Augustinus (de consec. dist. 2. c. vtrum) et veritas & figura est: veritas, dũ corpus Christi & sanguis virtute spiritussancti in virtute ipsius ex panis & vini substantia efficitur: figura verò est id, quod exteriùs sentitur &c. Docetur ibidèm, quomodò corpus Christi fideliũ dẽtibus comedatur & frangatur: quod etsi durum sit in auribus Capharnaitarum & sacramentariorum, quomodò tamen non à vero sit alienum, luculentèr ibidèm declaratur. Sic baptismus imago est spiritualis ablutionis, quæ per Christi sanguinem facta est in cruce. sed hæc imago ità rei veritatem habet coniunctam, talemq; præstat effectum, àc si Christus ipse nunc pro baptizato sanguinem funderet. Atq; hoc est quod Catholici docemus, Christi Domini passionem, vnicum esse generalem vberrimumq; fontem omniũ gratiarum, remissionum, veniarum, indulgentiarum, deniq; omnis gratiæ, salutis, om̃isq; boni, cuius participes reddũtur om̃es, quotcũq; corpori Christi, q̃ est Ecclesia Catholica, velut viua membra inserti sunt, & in eodem corpore (quod horum omnium bonorum influxum & deriuationem à capite suo Christo habet) piè fideliterq; sese continẽt. Hinc verè Catholiceq; docemus, sacramẽta nõ tantùm signa esse gratiæ diuinæ, verùm etiàm canales & vasa, per quæ placuit Christo Domino hãc suorum bonorum vbertatem in nos transfundere, quę qui per fastum, hæresim & rebellionem contemnit, ipsius Christi beneplacito repugnat, eiusq; gratiam respuit, qui in ecclesia sua non solùm Euangelij annunciationem, ministeriorum functiones, reipubl. administratiõem, verùm etiàm ipsam gratiam, salutem & spiritussancti charismata, certa norma, lege, via & ordine vult geri, peragi & distribui. Hunc ordinem prophanis atque adeò sacrilegis ausibus conscindunt, disrumpũt, & dissipãt, qui hierarchiam ecclesiasticam, leges & normas cultûs diuini, ritũ & administrationem sacramentorum, ipsum deniq; ecclesiæ sacrificium

ficium, eiusdemque iura, leges & cæremonias tot seculis ad nostra vsq; tempora vsurpatas, tam impiè ludificantur, conuellunt, luxāt, peruertunt, atque ità iam luxata, conuulsa, peruersa & dissipata, lutulentis quorumlibet idiotarum scurrarumq; pedibus conculcanda, purulentisq; & blasphemis linguis cōspuenda prostituūt. Hinc enim illa Babylon & confusissima rerum omninm vastatio in multis Germaniæ aliorumq; regnorum vrbibus & prouincijs conspicitur: hinc Ecclesiastici ordinis perturbatio, hinc principum magistratusq; contemptus, hinc propter hunc contemptum calamitosissima illa Rusticorum clades, hinc florentissimarum quōdàm nationum tumultuariæ depopulationes, hinc iam nupèr in Belgio sacra sacrosancti Euangelij annunciatio sutoribus, lanijs, tonsorib9, atq; adeò infamib9 profugis & stigmaticis, dūmodò garrulis rabulis & loquutuleijs improbissimè calamitosissimeq; publicitùs vsurpata, atque ità vsurpata, vt etiàm contra naturam & mansuetudinē Euangelij populus in procinctu & armis, cum gladijs & fustibus & nullo non telorum genere frendens, ferociens & spirans minarum, cæco, promiscuo, turbulentoq; agmine, non ad basilicas, sed ad lucos, syluas, nemora, suburbana prata, pascua, rura, ad rusticam syluestremq; concionem prorueret, vt cerdonem, fartorem, lictorémve quempiam de rebus diuinissimis, de noua & vniuersali totius Imperij & Ecclesię Romanę reformatione, de doctrinæ Ecclesiasticę repurgatione, de abusibus rerum sacrarum tollendis, immò vt verum dicam, de scrinijs ecclesię compilandis, vrbibus incendendis, templis depopulādis, opibus & prędijs ecclesiasticis diripiendis ac diribēdis, ex fago aut quercu querceā concionē prophana lingua declamitantē audirent. Quid hoc furoris est? quę hęc mentis nostrę cæcitas, quòd tam inueteratum in Religioēm, in eam ecclesiam, in illam matrem, quę nos in spiritu & aqua regenuit Christo, in ipsum Christum, qui hanc audiri grauissimè præcepit, deniq; in ipsas animas nostras, quas certo certius est in æternum perire, & perpetuo iucundissimoq; ipsius Dei & totius diuinæ sanctęq; societatis consortio irrecuperabilitèr priuari, pœnisque & tormentis infernalibus in æternum, in æternum, inquam, mancipari: quod, inquam, est tam inueteratum, tam indelebile, tam acerbum in Ecc-

clesiam hâc in Christum ipsum, in ipsas animas nostras, in nosipsos odium, quæ tam irreconciliabiles inimicitiæ, quod tantum, tamq́; implacabile dissidium, vt errores, hæreses, schismata, discordias & contentiões hasce nostras, tam perniciosas, tam deformes, tam ab omni mansuetudine, humanitate, pietate, atq; adeò ipsa ratiõe alienas, diutiùs foueamus, in mutuam perniciem conspiremus, & plusquàm parricidialibus odijs non in Deum, non in matrem ecclesiam, non in Religionem duntaxàt, sed in nosipsos, in nostra ipsorũ viscera, in sanguinem & animas nostras truculentissima ferocia, omnemq́ue ferocissimarum ferarum rabiem quantunlibèt immanem superante, ferociamus ac desæuiamus? Appellarem hîc rursùs tuam ipsius conscientiam Smideline, obsecrarem te vnà cum Apo-
1. Cor. 1. stolo per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt non sint in nobis schismata, sed vt omnes idipsum tandèm sentiamus in vinculo pacis: offerrem tibi mutuarum (si ità libet accipere, quandoquidem multi eas à te acceperunt) iniuriarum ἀμνηστίαν, rogarem vberiùs, orarem ardentiùs, obsecrarem religiosiùs, vt tandèm in tete descẽderes, rem vniuersam, & quidem tantam, recta veraq́; ratione perpenderes: quid dicam, quid rogem, quid obsecrem, seriò aduerteres, nisì iamdudùm tempus esset, calamo ad pacem & concordiam conciliandam non bellicum, sed amabile classicum canente, & pręexuberanti quodammodò desideratissimæ concordiæ desiderio, propositæ dissertatiõis terminos exuperante: nisì, inquam, iamdudùm tempus esset, receptui canere, rem vniuersam iusto Dei iudicio committere, atq; interìm orare, vt nobis om̃ibus largiatur mẽtem fide & religione Christiana dignam.

Erat animus plurib⁹ docere, quomodò vmbra fuerit in lege veteri, viuæ sint rerum imagines in Euangelio, clara limpidaq́; veritas in cælestibus, atque hac demonstratione fractionem corporis Christi, quæ fit in sacrificio altaris, latiùs enucleare: sed aliò me abripuit calamus, & poterit ęquè commodè fieri in argumento paulò pòst confutando, quod ex Chrysostomo Smidelinus se desum-
fol. 14. Im gegebericht võ der Meß. psisse gloriatur. Nunc facta eorum quę diximus, ἀνακεφαλαίωσι, Smideliniani argumenti vitrea compages dilucidiùs apparebit. Quicquid frangitur, est substantia: sed corporis Christi substantia non fran-

frãgitur, ergò in vsu huius sacraméti est & manet substantia panis. Cùm forma sit de esse rei, & arguméti huius forma nõ valeat, dicimus inprimìs, argumentum hoc legitima ratione non subsistere, cùm quatuor aut etiàm quinq; habeat terminos, & cõclusio ex p̃missis non rectè inferatur. Sed cõcedamus materialitèr (vt loquũtur scholæ dialecticorum) subsistere, Maior duplici ratione corruit: primò, quia (sicut alicubì dicit Augustinus) verba scripturę sacrę vtì non adstringũtur ad regulas Donati, ità res fidei, quas Apostolus vocat non apparentes, non subijciuntur rationibus naturalib⁹ & argutijs humanis. Hæc autem materia de qua nunc agimus, si vlla alia, certè maximè consistit in fide: estq; talis, in qua omnem maximè oportet captiuare intellectum in obsequiũ fidei: quod quoniam multi non fecerunt, circa fidem naufragauerunt. Heb. 11. 1. Tim. 1.

Deindè quid obstat, cur nõ pari ratione argumẽtari liceat Smidelino, in sacramento eucharistiæ saporem esse panis, ergò esse ibì & manere panem, quod est contra vniuersalis ecclesię fidem, quæ sempèr agnouit in hoc sacramento μετουσίαν siue μεταστοίχωσιν, vt Græci patres loquuntur, nos transelementationem & transsubstãtiationem plenarij & quidem plenissimi Lateranensis Concilij authoritate vocamus. Postremò, cùm tam multa sint in hoc inscrutabili Sacramento, quæ omnem etiàm angelicum, nedùm humanum captum infinitis parasangis excedunt, dicimus cum vniuersa ecclesia Catholica, nullam rei fieri fracturam, signi tantùm fieri fracturam, sicutì credimus etiàm saporem duntaxàt manere panis, nullã autem ipsius panis substantiam. Accidentia igitur hìc vt videntur, gustantur, tanguntur, ità & franguntur. Christus reuerà non frangitur, neq; diuiditur: nam diuisis speciebus, sub qualibet speciei parte totus est & indiuisus, adeoq; indiuiduus, quòd rursùs omnẽ humanæ mentis acrimoniam latissimè excedit, nisi quòd ratio homini non prorsùs irrationali facilè persuadet, omnipotẽti nihil, nihil inquam, esse difficile. Voluitq; pro sua inscrutabili sapientia & beneplacito in hoc sacramento nostram fidem potissimùm velut ad Lydium lapidem explorare. Et cùm sinè fide impossibile sit placere Deo, hinc veterator ille diabolus per suos pseudoprophetas, omnes omnium versutiarum argutiarumq; machinas admouet in Heb. 11.

hoc sacramento, vt quod Christus Dominus pro immensa bonitate sua in grandem adaugendæ fidei cumulum nobis donauit, illud ipse sathanico astu nobis peruertat in occasiõem & laqueum mortis, videlicet ratione & sensu humano, qui hîc in obsequiũ fidei, tanquàm dominæ subijci & captiuari debebat iuxta Apostolũ, 1. Co. 10. contra ipsam dominam fidem in rebellionem exuscitata.

Minoris propositionis ficulnenm robur iamdudùm eneruatum est, vbì docuimus, qua ratione etiàm verè, tametsi mysticè duntaxàt & impatibilitèr, vt sic dicam, corpus Christi non solùm frangatur, sed etiàm immoletur, & sumatur. Offertur em̃ & sumitur, sed sumptus non absumitur. Recipitur, non includitur, inquit (In sermõ. de cœna Domini.) D. Cyprianus: quod sancti martyris dictum, ille de quo suprà diximus parochus, cœnæ Luterocaluinianæ (dominiciam dicere non audeo) conuiuator, superioribus annis publicitùs eò torsit, quasi non liceat sacram Eucharistiam pro receptissima perpetuaq; ecclesiæ consuetudine (vtì luculentèr docuit D. Ioannes Gropperus) reponere & asseruare: cùm, qua ratione canit ecclesia, Sumptus non absumitur: eodem planè loquendi charactere dixerit S. Martyr, Recipitur, non includitur: hoc est, sumitur Christus à quolibet fideli, ità tamen, vt qui est infinitus, finito sumentis corpusculo non coarctetur: vtì tunc quãdò cum isto homine, amicam dissertationem scripto instituimus, (ad quam tamen licèt ab ipso desideratam, ne γρῦ quidem respondit) latiùs tractauimus.

Laboriosiùs fusiùsq; hæc prosequuti sumus, quàm plũbeus argumenti Smideliniani pugio merebatur: sed propter rem ac materiam per se sublimem, ex fundamentis (vt factum arbitror) singula visum est eruere, licèt multa ad rem ipsam maximè facientia, nè molesta sit prolixitas, prætermiserimus.

Eadem dexteritate nunc sanctum Martyrem & episcopum Ire- Im gegenbericht pag. 14. næum producit Smidelinus, in hęc verba: Quemadmodùm qui est à terra panis, percipiens vocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cælesti: Sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.

O Vulcaniam impudentiam: Túne audes sancti Martyris verba

ba in hæresios tuæ clypeum producere, quæ tuum errorem luculentissimè confutant? Quomodò vir sanctus de transsubstantiatione clariùs disserere potuisset, dum ait, Eum qui à terra est panis, vbì percepit vocationem Dei, (id est, cōsecrationem) iam non cōmunem esse panem, sed eucharistiam? Quæ tanta horum verborũ lux, si tuis caligantibus oculis adhuc tenebricosa videtur, lege ea quæ paulò suprà commemorat idem Irenæus: Quomodò (inquit) constabit, cum panem in quo gratiæ actæ sint, corpus esse Domini sui, & calicem sanguinis eius &c? Audis hîc clarissima sancti Martyris verba, panem in quo gratiæ actæ sint, hoc est, consecratio facta, (sic enim hîc gratiarum actio sumitur) esse corpus Domini: nō dicit, vtì vos iam ab annis triginta loqui didicistis, Cū pane vel sub pane esse corpus Christi, sed panem corpus esse Domini sui. Idem posteà alijs verbis repetit, quę tu pro te, cùm vel maximè tuū errorem oppugnent, citâsti: Iam non communis (inquit) panis est, sed eucharistia. Et rursùs lib. 5. Quandò ergò & mixtus calix & fractus panis percipit verbum DEI, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi &c. Quid est fieri Eucharistiam, nisì quod lib. 4. dixit, eum panem in quo gratiæ actæ sint, Corpus esse Domini & calicem sanguinis eius? An luculentiùs vestrum errorem vir sanctus potuit refellere? Nota, mixtus calix.

Adde, quòd non vno, sed gemino vulnere te sauciat, Transsubstantiationis veritatem, simul cum Apostolico miscendi calicis ritu expressissimis verbis adstruens.

Nec est quod illud in tui erroris præsidium anxiè veneris, quod ait Irenæus, Eucharistiam duabus rebus constare, terrena & cælesti. Neq; enim ex sola terrena materia, neq; ex sola cælesti constare potest eucharistia, sed ex vtraq; simul. Terrena res in Eucharistia post cōsecrationem, sunt ipsæ externę species, id est, accidentia earum quæ antè fuerunt, creaturarum panis & vini, quę peracta cōsecratione tātùm symbola sunt, terrenum siue naturalem gustùm, odorem, colorem & id genus sensuum obiecta, retinentia: cælestis res est ipsum Christi Corpus & Sanguis, sub terrenis panis & vini speciebus verè pręsens. Atq; hoc est, quod Catholici iuxta vniuersalis Ecclesiæ doctrinam, verbis Augustini docemus, Verbū & ele-

mentum constituere sacramentum. Nullum enim sacramentũ sinè duabus hisce partibus legitimè subsistit. Sed cùm in sex reliquis ecclesiæ sacramẽtis, ipsius elementi nulla fiat transmutatio aut μετουσία, in hoc tamen augustissimo diuinissimoq; Eucharistiæ sacramento illud est peculiare, vt non ipsum elemẽtum, sed terrena elementi species, post adhibitum verbum, siue peracta consecratiõe, remaneant: quibus speciebus consumptis, desinit ibi esse sacramentum.

Im gegenbericht pag. 15. Adducit iam Gelasij Pontificis dictum, quod idem iam olìm à Luteranæ Zuinglianæq; sectæ coryphæis productum, grauitèr & solidè confutauit Card. Venerab. Ioannes Gropperus. Verba Gelasij quæ citant, inquit Reuerendus Gropperus (de Eucharist. art. 1. cap. 62.) hæc sunt: Non desinit substantia vel natura panis & vini: & certè imago & similitudo corporis & sanguinis Christi in actione mysteriorum celebratur &c. Verùm alia sancti viri verba, inquit Gropperus, quæ eodem habentur loco, ex quibus hæc iam recitata, intelligenda sunt, aduersarij tam Luterani quàm Zuingliani, quæ eorum errorem penitùs subruant, suo more dedita opera prætermittunt. Contra Luteranos enim, dicentes nullam fieri panis mutationem, itemq; corporis Christi veritatem solùm in vsu accipiẽtium esse, nec mox à consecratione illic adesse, scribit his verbis: Satìs ergò nobis euidentèr ostenditur, hoc nobis in ipso Christo Domino sentiendum, quod in eius imagine (putà sacramento) profitemur, celebramus & sumimus, vt sicut in hanc scilicet in diuiuam transeant spiritu sancto perficiente substantiam, permanentes tamen in suæ proprietate naturę: sic illud ipsum mysterium principale, cuius nobis efficientiam virtutemq; veracitèr repræsentant, ex quibus constat, propriè permanentibus, vnum Christum (quia integrum verumq;) permanere demonstrant.

Quorum sententia est, in Christi vna, vera & integra persona, vtranq; diuinam & humanam in incarnationis eius mysterio coniunctam naturã, in veris suis proprietatibus nihil mutatam ac impmixtam permanere. Principiò igitur hìc audis, sacramenta in diuinam transire substantiam, vbì duabus dictionibus tantundem exprimitur, quantum vna illa, transsubstantiantur, quod & D. Vuilh.

Lin-

Lindanus in Tabulis & Panoplia sua obseruauit. Deindè audis hæc in diuinam substantiam transsubstantiationem, nō in nostra sumptione sitam esse, sed per spiritum sanctum peragi ac perfici, quem in modum etiàm Augustinus loquitur, quem quidem Gelasius, nimirùm Afer Afrum, præcipuè charum & maximo in precio habuit. Quòd verò, vt antè dictum est, prætereà habet, nō tamen coniunctim, vt aduersarij eum citant, sed disiunctìm: Non desinit substātia vel natura panis & vini, id sanè meritò debet, adeoq; necessè est accipi (nè ijs, quæ antè ex ipso prolata sunt, pugnantia dixisse videatur) non de ipsa vera interna essentiali (vt ità dicam) essentia, quæ in re qualibet latet, & sensibus externis percipi non potest, sed de naturalibus prioris substantiæ vel naturę ꝓprietatibus, vt sunt magnitudo, calor, sapor, odor, & id genus qualitates, immò etiàm naturales panis & vini proprietates. Ad rectè igitur intelligendū Gelasium, sufficit nôsse, vocabulum substantiæ non vno modo sempèr accipi, nec vbiq; internam latentemq; rerum essentiam, sed sæpè etiàm naturalem modò proprietatem, idq; elegantèr denotare: quomodò hîc Gelasius verbum substantiæ per vocabulum naturæ, ipsi disiunctìm appositum, interpretatur, vt ei hîc substantia sit, subsistentia accidentium panis & vini: natura verò, naturæ ꝓprietas, quæ sanè in sacramento post consecrationem non desinit, desinente tamen essentiali illa & interna panis substātia, quā (vt Chrysostomus inquit) absumpsit vis diuini corporis. Hæc ferè ibì inter alia multa (ad quę lectorem auidū remittimus.) D. Ioannes Gropperus, ex translatione venerandi viri D. Laurentij Surij, viri de ecclesia catholica cumprimìs benè meriti Ex quibus euidentissimè relucet, quomodò nec hîc sibi suisq; symmystis dissimilis sit Smidelinus, qui sanctum pontificem hæreticis hisce paradoxis è diametro contrarium, tam impudētèr, tam veteratoriè & perfidè pro suis opinationibus stabiliendis torquere & mutilare non expauescat. Scilicèt operępretium est, eum qui semèl verecundię & honestatis fines transilierit, benè & gnauitèr esse impudentem: quanq̃ eiusmodi artes non impudentiæ tantùm, verùm simul etiàm extremę malitię nomen, & falsi crimen simul & pœnam merentur.

Superest locus ex Tertulliano obtorto collo contra transsub-

ſtantiationem contortus,quem ſolidè grauiterq; confutat domin' Gropperus in opere de euchariſtia art.1. cap. 39. ad quem auidum lectorem remittimus. Neq; enim licet his confutandis diutiùs immorari,quòd libellus Smidelini de Miſſa (in quo & tranſſubſtantiationem oppugnat) tunc demùm mihi oblatus ſit, cùm Typographus iam penè ad quartum huius noſtri Anthyperaſpiſtæ librũ excudendum accingeretur. Itaq; ſi quid minùs hîc abſolutum damus,id alibì,volente Deo,penſabitur.

Cap. 17.

In conſecratione cur aqua vino miſceatur: exploditurque de hac mixtione commentum Smidelini.

Smid. QVòd Chriſtus vinum aqua miſcuerit in cœna, præter myſterium quod Grammaticus adfert,nupèr in concilio Tridentino aliquis ex ſanctis Patribus probabilem attulit rationem. Virum enim qui hydriam portârit, aquam ad cœnam attuliſſe, qua, veriſimile ſit,Chriſtum miſcuiſſe vinum. Vinum enim in ijs locis forte eſt,& cùm Chriſto reſtaret prolixa concio,nè inebriatus ſuum officium non poſſet facere, aqua indubitatò vinum miſcuerit. Hiſtoriam & factum narro,pie ac Chriſtiane lector,nihil fingo. vide calefactor,tantum abeſt,vt tuæ ſententiæ contradicam,vt etiàm probationem fundamentalem paratus ſim tibi ſubijcere. Itáne defecêre vos probatiões,vt ad varias allegorias & blaſphemas cõiecturas confugere cogamini?

Bred. Quòd ait Smidelinus,nihil ſe hîc fingere,ſciat ſe illud iam olìm ſibi lucrifeciſſe,vt etiamſi vera dicat,nemo ei credat. Nam quem toties vaniſſimos fumos & improba mendacia publicitùs venditare non puduit,vtì hactenùs à nobis declaratum eſt,quid eſt,quod in narratione tam abſurda,quæ nihil vel probationis vel probabilitatis habet,fidem nobis extorqueat? An dignus eſt, cui etiàm impudentèr mentienti fides adhibeatur?

Qui ſemèl eſt læſus fallaci piſcis ab hamo,
Omnibus vnca cibis æra ſubeſſe putat.

inquit ille. Cur autem Smidelinus hoc perquàm lepidum,vt putat, commentum nobis tanquàm hiſtoriam obtrudit, quam ipſe explo-

ploratam nõ habet? Ait enim, aliquis ex sanctis Patribus: vndè patet, eum nec nomẽ, nec authorem, nec authoris personam aut qualitatem nôsse: aliquis enim, de incerto homine dicitur, vt docent Grammatici: aut igitur grammaticam ignorat Smidelinus, aut rem sibi prorsùs ignotam tanquàm certam historiam iactat. Vt intereà taceam, quàm nõ fiat vlli Christiano & Catholico verisimile, quẽquam ex episcopis aut assessoribus sacri Concilij tam improbę leuitatis aut crassæ ruditatis reperiri potuisse. Sed quid blaterat Bredenbachium illius aquæ & vini mixtionis adferre mysterium? cur blasphemo ore exclamat: Itáne defecère vos probationes, vt ad varias allegorias & blasphemas coniecturas confugere cogamini? Nõ Bredenbachius, sed vniuersa ecclesia, & orthodoxi Patres vniuersi, arcanum huius mixturę tradiderunt mysterium, & D. Cyprian' expressè ait, Christum hanc mixturam suo exemplo & magisterio docuisse. Exurgebant enim hæretici, qui in poculo sacramenti solam aquam offerebant, ob hoc Aquarij dicti, vt refert Augustinus (de hæres. hæresi 67.) & Isidorus. Aduersùs hos scripsit D. Cyprianus 3. epist. lib. 2. docens quòd neq; vinum solùm, neq; aqua sola offerri debeat, sed vinum aqua mixtum. Nam quemadmodùm vinum, quod ex multis acinis in vnum coalescit, continet Sacramẽtum corporis Christi mystici, quod ex multis membris coalescit in vnam ecclesiam: sic etiàm vnio vini & aquæ, continet sacramẽtum vnionis populi cum Christo, quia aqua populum signat, sicut ex Apocalypsi id docet Cyprianus, & Bredenbachius idem declarat. Et quemadmodùm aqua vino semèl mixta non potest separari, sic ecclesiam in Christo perseuerantem, nulla res (inquit) à Christo poterit separare. Cuius rei etiàm meminit Ambrosius lib. 5. de sacram. cap. 1. Scriptura dicit, inquit Cyprianus, vt quotiescunq; calicem in commemorationem Domini & passionis eius offerimus, id quod constat Dominum fecisse, faciamus. Sed vide frater Christiane, si quis de antecessoribus nostris vel ignorãtèr, vel simplicitèr nõ hoc seruauerit & tenuerit, quod nos Dominus facere & exẽplo & magisterio docuit, potest simplicitati eiusdem, indulgentia Domini, venia concedi: nobis verò non potest ignosci, qui nunc à Domino admoniti & instructi sumus, vt calicem Domini cum vino mixtũ, se-

Aqua vino miscenda in consecrat.

Lib. 2. epi. 3.

Lib. 8. etymol. cap. 5.

Apoc. 17.

lib. 2. epist. 3.

ſecundùm quod Dominus obtulit, offeramus. Hæc ille. Quid ad hæc reſpondes, Smideline? Fortaſsis cum tuo Philippo dices, Cyprianum commodiùs ſenſiſſe, quàm dixiſſe. Sed reliqui veteris ecclesiæ Patres eodem modo & dixerunt, & ſenſerunt: Alexãder, sextus poſt D. Petrum pontifex Romanus, in epiſtola 1. Non debet, inquit, vt à Patribus accepimus, & ipſa ratio docet, in calice Domini aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed vtrunq; permixtum, quia vtrunq; ex latere eius in paſſione ſua profluxiſſe legitur. Ipſa verò veritas nos inſtruit, calicem & panem in ſacramento offerre &c. Audis Smideline, vtrunq; & Alexãdrum Romanum, & Cyprianum Carthaginenſem epiſcopum, hanc mixturam aſſerere, eam à Domino inſtitutam, & ſibi à Patribus traditam. Vndè etiàm vides, multa habere eccleſiam ex inſtitutione & magiſterio Chriſti, quę nullis ſcripturis canonicis compręhẽſa ſunt. Plura teſtimõia ſi requiris, vide Concilium Carthagineñ 3. cap. 24. Et D. Auguſtinum in libro de Eccleſiaſticis dogmatib' cap. 75. Si tamen hic eſt Auguſtini, & non Gennadij, vt quidam volunt. In Euchariſtia, inquit, nõ debet pura aqua offerri, vt quidam ſobrietatis falluntur imagine, ſed vinum cum aqua mixtum &c. Iam ſi libet, exclames Smideline: Itáne defecêre vos probationes, vt ad varias allegorias & blaſphemas coniecturas confugere cogamini?

Philip. in li. de Eccleſia.

Cap. 18.

Chriſtum in cœna corporis & ſanguinis ſui oblationẽ docuiſſe, eademq; obtuliſſe Deo patri, vbì rursùs óbitèr confutantur pleraque ex libello Smidelini de Miſſa, aduersùs R. D. Georgium Lautherium.

Smid. PErgit in eodem tenore Smidelinus: Vaniſſimum etiàm commentum eſt, quòd blateras, Chriſtũ in cœna ſui corporis & ſanguinis oblationem inſtituiſſe.

Bred. Atquì hoc ipſum Bredenbachius plurimis vetuſtiſſimorum Patrum teſtimonijs ſolidiſſimè luculentiſſimeq; demonſtrauit. Sed audiamus quàm bellè ad hæc reſpondeat.

Smid. Sacrificij nomine, inquit, quomodò vſi ſunt veteres, ſępè dictũ eſt,

eſt,& non niſi ad munera,quæ pij offerebant,& preces eccleſię refertur.

Videatur ergò Tertullianus à Bredenbachio citatus,dum inqt, Non permittitur mulieri in eccleſia loqui,ſed nec docere, nec tingere,nec offerre,nec vllius virilis muneris,nedùm ſacerdotalis officij ſortem ſibi vendicare: Videtur,inquam,hîc loqui de ſolis piorum muneribus? Cur igitur ab hac oblatione prohibetur fœmina? cur ait Tertullianus,Sacerdotalis eſſe officij offerre? Cur Irenæus inquit,Chriſtum ſub forma panis & vini corpus & ſanguinem ſuũ obtuliſſe,ſuoq; exemplo nouam docuiſſe oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens,in vniuerſo mundo offert Deo? Sanè ſi nihil aliud quàm caſeos,capos & anſeres, vt paulò pòſt ait Smidelinus,docuit Chriſtus offerre: ſi tãtùm de piorum eleemoſynis loquitur,vt vult Maior,cur nouam vocat oblatiōem Irenæus, quã ab Apoſtolis acceptam eccleſia in vniuerſo mundo offert Deo? an non huiuſmodi oblationes habuit ſynagoga Iudaica? Sed audiam' etiàm Oecumenium claris ac diſertis rebus hanc Smidelini impoſturam detegentem. Hic explicaturus locum Apoſtolicum ad Hebræos 5. quonam ſenſu Chriſtus dictus ſit ſacerdos in æternum, inquit, οὐ γὰρ τὴν πρὸσ ἅπαξ γενομένην ὑπὸ θεοῦ θυσίαν, καὶ προσφορὰν εἴπεν ἂν εἰσ τὸν αἰῶνα, ἀλλ' ἀφορῶν εἰσ τοὺσ ναῦ ἱερουργοὺσ, δὲ ὧν μέσων χριστὸσ ἱεροοργεῖ καὶ ἱερουργεῖται, ὁ καὶ παραστοὺσ αὐτοῖσ ἐν τῷ μυστικῷ δείπνῳ τὸν τρόπον τῆσ τοιαύτησ ἱερουργίασ. Non de illa ſemèl immolata à Deo hoſtia,inquit, dixiſſet, in æternum. Sed ad ſacerdotes noſtri temporis adſpiciens,per quos medius Chriſtus ipſe ſacrificat & ſacrificatur: Qui Chriſtus,ipſe modum eis in myſtica cœna tradidit iſtiuſmodi ſacrificij. Euſebius quoq; Cæſareenſis in Euangelicis ſuis demonſtrationibus: Poſt omnia,inquit, quaſi mirabilem quãdam victimam ſacrificiumq; eximium Patri ſuo immolans, pro noſtra omnium ſalute obtulit,eiuſq́ue rei memoriam, vt nos ipſi Deo ꝓ ſacrificio offerremus,inſtituit. Eccè Smideline, non locuti ſunt patres, vbì de ſacrificio dixerunt, De capis, caſeis, & anſeribus reliquiſq́; piorum muneribus, ſed de ſacrificio corporis & ſanguinis Chriſti. Offerimus illi omnium Deo,inquit idem Euſebius,ſacrificium laudis,offerimus illud diuinum, ſacroſanctum, Deoq́ue dignißi-

Tertulli. de velād. virg.

li.4.cap.32.

li.1.cap. 10.

li.1. Euang. demō.ca.vl.

Malac.1. gnissimum sacrificium: offerimus nouo ritu secundùm nouum testamentum illam mundam hostiam &c. Et D. Iustinus Martyr, explicans hunc Malachiæ locum: De hostijs, inquit, quæ ipsi à nobis gentibus vbiq; offeruntur, id est, de pane Eucharistiæ & poculo similitèr Eucharistiæ tum producit (Malachias,) cùm ait, à nobis nomen Dei gloria affici, à vobis autem pollui &c. Quid solenne illud D. Andreæ Apostoli responsum commemorem? quo Tyranno Aegeæ, qui ipsum ad idolorum sacrificia adigere volebat, respondit, Ego omnipotenti Deo, qui vnus & verus est, omni die sacrifico non thuris fumum, nec hircorum aut taurorum sanguinem, sed immaculatum agnũ quotidiè in altari sacrifico, cuius carnes postquàm omnis populus credentium manducauerit, & eius sanguinẽ biberit, agnus qui sacrificatus est, nihilominùs integer perseuerat & vnus, & cùm verè sacrificatus sit, & verè eius carnes manducatę sint à populo, & verè eius sanguis haustus, tamen (vt dixi) integer permanet & immaculatus & viuus. Et D. Augustinus lib. 20. cap. 18. contra Faustum: Christiani celebrant memoriam eiusdem peracti (in cruce) sacrificij sacrosancta oblatione & participatione corporis & sanguinis Christi. Vides Smideline Christi corpus & sanguinem, & sacrificium esse, & cibum. Vides illud & offerri & participari, vt iam falsum esse liquidò appareat, quod tu ais, Christi corpus & sanguinem in cœna non nisi cibum & potum ad manducãdum & bibendum nobis proposita esse, non solùm (vt tu hîc annectis) vt fidem nostram alamus, sed vt vnum fiamus cum Christo, vt charitas Dei & omnia eius charismata in nobis augeantur, dum omniũ gratiarum fontem suscipimus. Vndè rectè canit ecclesia: O sacrũ conuiuium, jn quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Præthereà vt aduersùs omnia huius mundi pericula dæmonumque insidias & præstigias sit velutì scutum quoddam & præsidiũ, quod illustri & memorabili exemplo probat D. Augustinus: Vir Tribunitius Hesperius, inquit, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Zubedi appellatum, vbì cùm afflictione animaliũ & seruorum suorum, domum suam spirituum malignorũ vim noxiam perpeti cœpisset, rogauit nostros, me absente, presbyteros,

[Margin notes: Presb. & diacõi ecclesi. Acha. ad totius orb. christianos. — Mal. 1. — Eucharistię effectus. — li. 22. cap. 8. de ciui. Dei.]

vt aliquis eorum illò pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, obtulit ipsi sacrificium corporis Christi, orans quantùm potuit, vt cessaret illa vexatio: Deo protinùs miserãte, cessauit. Hęc Augustinus.

Notum est quod refert Ambrosius de fratre suo Satyro, & historiæ ecclesiasticæ, quo pacto Eucharistiam collo alligatam secum deferre soleant fideles aduersùs imminentes tempestates & pericula. Patet igitur iam abundè, Christum in cœna sui corporis & sanguinis oblationem instituisse, eamq; esse, quam antiquissimo vocabulo, Missam appellamus. Hæc est illa noua oblatio, quã ab Apostolis acceptam, vt inquit Irenæus, Ecclesia in vniuerso mũdo offert Deo. Hæc est illa oblatio munda, quam in spiritu præuidens Malachias, diù antè prædixit à gentibus offerendam: quem eius locum plurimi orthodoxi Patres de Missæ sacrificio exponunt, vti à Bredenbachio adductum est, & videre licet apud Iustinum martyrem in dialogo aduersùs Iudæos. D. Augustinus lib. 18. cap. 35. & libro 19. cap. 23. De Ciuitat. Dei. Euseb. Cæsareensis lib. 1. Euangelic. demõstrat. cap. vltimo. Si de sacrificio laudis & orationis accipi velit Smidelinus, quomodò eam dicet mundam oblationem, qui oĩa fidelium opera asserit immunda esse & peccata? Hæc est illa oblatio, de qua Martialis vnus ex Domini discipulis, & D. Petri indiuiduus comes, Sacrificiũ, inquit, Deo creatori offertur in ara, nõ homini neq; angelo, nec solùm in ara sanctificata, sed vbiquè offertur Deo oblatio munda, sicut testatus est, cuius corpus & sanguinẽ in vitam æternam offerimus. Refert hic & in verbis sequentibus, q̃ breuitatis causa prætermittimus, de duplici Christianorum sacrificio, altero merè spirituali & inuisibili, quandò scilicet fideles humili ac pio cordis affectu se suaque DEO commendant: altero, quod in ara sanctificata quotidiè offert Ecclesia, verum Christi corpus, sacrificium illud vnicum crucis repræsentando. Et vt virtutem huius oblationis insinuaret, subiungit per eam nobis vitam conferri, & mortem effugari: quæ nè quis putet hominũ commẽta, sic clausit suæ orationis periodum: *Hoc enim ipse Dominus Iesus iussit nos agere in suĩ commemorationem.* In eandem sententiam D. Cyrillus in quinta Catechesi mystagogica: Oram⁹, inquit,

In epist. ad Burdegalẽ cap. 3.

vt panem quidem faciat corpus Christi, vinũ verò sanguinẽ Christi. Omninò enim, quod attigerit spiritus sanctus, hoc sanctificatur & transmutatur. Deindè verò postquàm confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi ecclesiarum pace, pro tranquillitate mũdi, pro regibus, pro militib⁹, pro socijs, pro ęgrotis & afflictis, & in summa pro his omnibus qui egent auxilio. Indigemus autem omnes. Cùm hoc sacrificium offerimus, posteà facimus mentionem etiàm eorum, qui ante nos obdormiêrunt. Primũ Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, vt Deus ☞ orationibus illorum & deprecationibus suscipiat preces nostras. Deindè pro defunctis sanctis Patribus & Episcopis, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum iuuamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremendi, quod in altari positum est, sacrificij &c. Hæc ibì D. Cyrillus. Si his testimonijs Smidelinus adduci nequit, vt fateatur Christum in cœna corpus & sanguinem suum obtulisse, eiusq; oblationem Apostolis mandâsse, doceat, vbì & quandò Christus aliâs obtulerit secundùm ordinem Melchisedech, præterquàm in cœna. Sanè si non potest mentiri Dauid Propheta, asserens Christum esse sacerdotem in æternũ secũdùm ordinẽ Melchisedech, necessum etiàm est, eius sacerdotale sacrificium in pane & vino consistere, donèc ponat inimicos suos scabellum pedum suorum: & vt Paulus inquit, donèc veniat, 1. Cor. 11. Quod argumentum elegantèr tractat D. Ioannes Faber Hailbrũnensis, in tractatu in Ioëlem cap. 1. à nobis latinitate donato, docens, tam Græcos quàm Latinos patres, asserere, oblationem Melchisedech præfigurâsse sacrificiũ, quod Christus in vltima cœna instituit in pane & vino. Quid quòd & docti quidã & antiquissimi Iudæorum Rabbini, inter quos & Rabbi Moses Hadarsan, & Psal. 71. nonnulli alij istum Psalmi locum de oblatione Melchisedech, de sacrificio à Messia in pane & vino instituendo, exponunt? Atq; itẽ illud, Et erit frumentum in terra in summis montium, ad Messiæ sacrificium referunt. Nam cùm in eo Psalmo Propheta conditionem & statum Messiæ ad viuum exprimat inter munifica largifluaq; dona & charismata, quę per aduẽtum Messiæ humano generi

ri donanda erant, hoc vnum aiunt inter potissima numerari, videlicet sacrosanctum altaris frumentum, quod à Messia vt sacrificiũ mundissimum omnem pinguedinem gratiarum continens, ad refectionem spiritalem suorum fidelium instituendum erat, eoque memoratum Psalmi locum mysticè exponendo, hoc pacto legunt: Erit placenta super capita sacerdotum. Vulgata quidem lectio habet: Et erit firmamentũ in terra in summis montium ex translatiõe LXX. qui legunt ἔσται στήριγμα ἐν τῇ γῇ &c. Verùm alitèr habet textus Hebræus, Iœhi pissath bar baaretz baroësch harim, quod sic vertit Hieronymus: Erit memorabile triticũ in terra in capite mõtium. Rabbi quoq; Pinas filius Iairi, non obscurum de Christi sacrificio profert testimoniũ: Tempore Messiæ, inquit, omnia sacrificia cessabunt, sacrificium panis & vini nunquàm cessabit. In eandem sententiam scribit Rabbi Iohai, vt videre est apud Petrũ Galatinũ lib. 10. cap. 5. Porrò quod Smidelinus in antididagmate suo de Missa, ait Paulum ad Hebræos 7. docere, vbì Christus secũdùm ordinem Melchisedech obtulerit, nimirùm in cruce, satìs patet ex ipso D. Pauli, quod istic tractat, arguméto, quo proposito & scopo Paulus Christum illic dixerit sacerdotem secundùm ordiné Melchisedech. Facit ibì Paulus collationem veteris & noui testamenti, docens Christum esse verum sacerdotem, longeque præstantius esse Christi sacerdotium veteri illo legali & Aaronico sacrificio, quippè quod abolitum sit & translatum: Christi verò sacerdotium esse æternum. Itaq; Pauli mens fuit, Iudæis persuadere, Aaronica illa sacrificia, typica fuisse ac significatiua istius, quod Christus semèl in cruce peregit, sacrificij: cum quo quia idem est illud sacrificium, quod nunc, eodem Christo authore, in memoriam illius cruenti sacrificij incruento modo sub speciebus panis & vini offertur, nõ opùs fuit eo loci Paulum vberiùs mysticam huius sacrificij formam explicare Iudæis, quorũ plurimi vix sustinebant illud cruentum & semèl in cruce peractum sacrificium, pro vero & expiatorio sacrificio recipere: deindè qui ex Iudæis Christum confitebantur, imbecilles erant, vt inquit Paulus, & paruuli, ac lacte opùs habentes, quiq; docerentur elementa exordij sermonum Dei, eoq; inepti qui audirent Apostolum, de arcano hoc mysterio, quod in cœna

Im Gegenbericht von der Meß pag 37.

Heb. 5.

Christus Apostolos docuit, differentem. Deindè quotquot ex Iudæis crediderant in Christum, licèt eum ipsum verum esse Messiã crederent, non tamen adeò magnificè vt par erat, de illius Maiestate sentiebant. Quarè ostenso, illum Angelis, Prophetis, ipso deniq; Aarone & Mose maiorem esse ac digniorem, præclaram (vtì diximus) attexuit D. Paulus sacerdotij Christi & Leuitici comparationem, vt ineptam & falsam persuasionem de Christo conceptã, animis illorum eximeret. Existimabant enim, quandoquidem didicerant eum Messiam, & regẽ & sacerdotem esse, eapropter sacerdotium illius Leuitico illi simile esse debere, eoq; Christum oportere non modò sempèr viuere, (vtì annotat Chrysostomus) sed eãdem quoq; hostiam, ad illius Aaronici exemplum, subindè immolare. Istas peruersas de sacerdotio Christi opiniones, hac institutione Iudæis hîc eximit Apostolus. Quæ licèt prima suî specie quotidiano sacrificio repugnare videatur, nihil tamen minùs, quàm pugnare, ex ijs quæ mox dicemus, cognoscetur. Et inprimìs quidem ad Psalmi locum ab Apostolo adductum, explicandum accingemur: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinẽ Melchisedech. Quem si de solo illo sacrificio cruento, quod semèl dũtaxàt in cruce peregit Christus, accipiendum vult Smidelinus: fatendum est, ecclesiæ primitiuæ Patres hunc Psalmi locum non rectè intellexisse, vtpotè qui eum de mystico & incruento Christianorũ sacrificio, quod Christum ipsum in cœna instituisse docuimus, hactenùs intellexerint. D. Augustinus in hunc Psalmi locũ sic inquit: Nouerũt qui legunt, quid protulerit Melchisedech, quãdò benedixit Abraham. Et iam sunt participes eius. Vident tale sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarũ. Et rursùm alibì: Benedictus est (Abraham) à Melchisedech, qui erat sacerdos Dei excelsi. Ibì quippè primum apparuit sacrificium, quod nuncà Christianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleturq; illud, quod longè pòst factum, per prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat vẽturus in carnem: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech: Nõ scilicet secundùm ordinem Aaron, qui ordo fuerat auferendus, illucescentibus rebus, quæ illis vmbris prænotabantur. Et iterùm lib. 17. de ciuit. Dei cap. 18. multis agens de sacrificio altaris, adducit il-

Heb. 1. 3. 9. 10.

In cap. 8. ad Hebræos.

Psal. 109.

li. 1. cót. aduer. legis & pphe. ca. 20

lib. 16. ca. 22 de ciui. Dei.

lud Sapientis: Venite, mãducate de panibus meis, & bibite vinum Pro. 9.
quod miscui vobis. moxq; subiungit: Hîc certè agnoscimus Dei sapientiam, hoc est, verbum patri coæternum, in vtero virginali domum sibi ædificâsse corpus humanum, & huic tanquàm capiti mẽbra ecclesiam subiunxisse, martyrum victimas immolâsse, mensam in vino & panib⁹ præparâsse, vbi apparet etiàm sacerdotium secũdùm ordinem Melchisedech. Et paulò pòst: Participem autem fieri mensæ illius, ipsum est incipere habere vitam. Nam & in alio lib. Eccés. 8.
qui vocatur Ecclesiastes, vbì ait: Non est bonum homini, nisì quod manducabit & bibet, quid credibilius dicere intelligitur, quàm quòd ad participationem mensæ huius pertinet, quam sacerdos ipse Mediator noui testamenti, exhibet secundùm ordinẽ Melchisedech de corpore & sanguine suo? Id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificijs veteris testamenti. Quia pro omnibus illis sacrificijs & oblationibus corpus eius offertur, & participantibus ministratur. Hactenùs D. Augustinus. Videatur idem in Psalm. 33. Conciõe 1. alijsq; pluribus in locis.

D. Cyprianus religiosissimus episcopus & inuictissimus martyr, tam expresè hunc Psalmistæ & Apostoli locum de noui testamenti sacrificio, quod à Christo sub speciebus panis & vini in cœna institutum, toto terrarum orbe hactenùs obtulit atq; etiamnùm offert Ecclesia, tam inquam expresè de hac noua oblatione, vt inqt Irenæus (lib. 4. cap. 32.) exponit, vt mirer, qua fronte eum repudiaturus sit aduersarius, maximè verò cùm hac in re vniuersæ veteris Ecclesiæ sensum & consensum proferat. In epistola ad Cæcilium, multis exemplis docens, in sacrificio corporis & sanguinis Domini, nec calicem cum aqua sinè vino, nec vinum sinè aqua rectè offerri, inter cætera sic ait: In sacerdote Melchisedech sacrificij Dominici sacramentum præfiguratum videmus, secundùm quod scriptura diuina testatur, & dicit: Et Melchisedech rex Salem protulit panem & vinum. Fuit autem sacerdos DEI summi, & benedixit Gen. 14.
Abraham. Quòd autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat spiritussanctus, in psalmis ex persona patris ad filium dicens: Ante Luciferum genui te Iurauit Dominus, & non pœnitebit eũ, Psal. 109.
tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Qui

ordo

ordo vbiq; hîc eſt, de ſacrificio illo veniens & indè deſcendens, ꝙ Melchiſedech ſacerdos Dei ſummi fuit, quòd panem & vinum obtulit, quòd Abrahã benedixit. Nam quis magìs ſacerdos Dei ſummi, quàm Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ſacrificium Deo patri obtulit? Et obtulit hoc idem, quod Melchiſedech obtulerat, id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem. Et paulò pòſt: Vt ergò in Geneſi per Melchiſedech ſacerdotem benedictio circa Abraham poſſet ritè celebrari, præcedit antè imago ſacrificij, in pane & vino ſcilicet conſtituta. Quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui eſt plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimpleuit. Sed & per Salomonem ſpiritusſanctus typum Dominici ſacrificij præmonſtrat, immolatæ hoſtiæ panis & vini, ſed & altaris & Apoſtolorũ faciēs mentionem &c. Hæc ibì D. Cyprianus.

Mixtus calix

Pro. 9.

Quid nunc pergam recenſere D. Chryſoſtomum, D. Ambroſium, Epiphanium, Hieronymum, alioſq; complures? Melchiſedech Abrahæ obuiàm venit, inquit Epiphanius, & propoſuit ipſi panes & vinum, myſteriorum ænigmata præfigurans &c. Melchiſedech, inquit Hieronymus, pane & vino ſimplici puroq; ſacrificio Chriſti dedicauit ſacramentum.

Cõt. Melchiſedechianos.

Fuit igitur Chriſtus & eſt perpetuò ſacerdos ſecundùm ordinē Melchiſedech, iuxta Dauidem & Paulum Apoſtolum, quandò antiquatis & abolitis ſacrificijs Aaronicis, nouum æternumq; ſacrificium incruento modo in cœna inſtituit, vereq; obtulit ſecundùm ordinem Melchiſedech ſub ſpeciebus panis & vini corpus & ſanguinem ſuum. Fuit prætereà ſacerdos atq; etiamnùm eſt, ſecũdùm ordinem Melchiſedech, quãdò ſemèl cruento modo ſe obtulit in ara crucis.

Pſal. 109.
Heb. 7.

Dices: Atquì Apoſtolus prioris iſtius incruenti ſacrificij nō meminerit eo loci: ſed cùm ex Pſalmiſta docuiſſet, Chriſtum ſacerdotem eſſe ſecundùm ordinem Melchiſedech, non aliũ ſacrificij modum cõmemorat, quàm eum quo ſemèl ſeſe obtulit (in cruce.) Inprimìs reſpondemus, ea verba (in cruce) quæ Smidelinus inſerit, Apoſtolum hîc non habere: ait enim: hoc fecit ſemèl ſe offerendo. Fuit autem vna eademq; oblatio, tam in cruce quàm in cœna. Licèt

In libello de Miſſa. pa. 36. cont. D. Geor. Laut.

cet modus esset diuersus. Non igitur aduersatur huic mysticæ & incruentæ oblationi eo loci Apostolus. Quanquàm dubium non est, eum de cruenta oblatione loqui. Tum deindè scabrum & cornutum est argumentum: Apostolus eo loci non meminit oblationis mysticæ, ergò Christus nullam instituit mysticam corporis & sanguinis sui oblationem, videlicet negatiuum à pronunciatis. Cur autem Apostolus ibidèm non expressiùs tractauerit arcanũ illud ac tremendum incruẽtæ oblatiõis sub speciebus panis & vini mysterium, iam suprà diximus, & clariùs videre licet ex Hieronymo, Psal. 109. Chrysostomo, Epiphanio, Augustino & alijs patribus. Sic inquit Chrysostomus: Quarè dixit secũdùm ordinem Melchisedech? Et propter sacramenta, quòd ille quoq; panem & vinum Abrahæ obtulerit, & quòd hoc sacerdotium sit à lege liberum, & quòd neque finem, sicut dicit Paulus, neq; principium habeat. Hæc ille. Posteriorem hanc Chrysostomi rationem tractauit istic Apostolus, volẽs Hebræos à typicis & Aaronicis imperfectisque & iam tum abolitis sacrificijs abducere ad agnitionem veri, perfecti, perpetuiq; & incommutabilis sacrificij Christi, docens Melchisedechum eò, quòd In Psal. 108. sacerdos & rex Salem fuisset, & sinè patre & matre & ἀγενεαλόγητοσ, excelsiorẽ digniorẽmq; fuisse ipso Abrahamo, nihilo seciùs tamẽ, ipsum Melchisedechum fuisse typum & figuram Christi, eoque si vel ipsa figura sacerdotij Christi, dignior fuerit ipso sacerdotio Aaronico & legali, longè esse excellentius ipsum sacerdotiũ Christi, sacerdotio Aaronis. Hanc esse Apostoli sententiam, patet ex ipso textu & veterum commentarijs: tum deindè ex Epiphanio: Melchisedech, inquit, mansit sacerdos per omne tempus vitæ suæ, & adhuc in scripturis celebratur sacerdos, ità vt nemo ipsi successerit, aut ministerium sacerdotij in tempore ipsius subuerterit. Sic & Dominus noster non homo existens, sed ex Deo sanctus Deus, verbum, filius Dei, genitus sinè principio & sinè tempore, sempèr cum patre existens, natus propter nos ex Maria homo, & non ex semine viri. sacerdotium autem patri offert ex humana natura massa accepta, vt pro nobis sacerdos constitueretur secundùm ordinẽ Melchisedech, qui non habet successionem. Manet enim in perpetuum pro nobis dona offerẽs. Et primùm quidem semetipsum obtulit,

tulit, vt solueret sacrificium veteris testamenti, quum perfectius & viuens pro toto mūdo obtulerit, ipse victima, ipse sacrificium, ipse sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, ipse rex, ipse pontifex, ipse ouis, ipse agnus, omnia in omnibus pro nobis, vt nobis vita omnibus modis fieret, & sacerdotij sui immutabile firmamentum in secula efficeret, non ampliùs secundùm semen successiones diuidens, sed secundùm iustitiam seruari in spiritu sancto largiens. Hæc ille. In quibus Epiphanij verbis obseruandum est, cur Paulus volens Hebræos ab Aaronicis sacrificijs ad Christi sacrificium ꝑducere, vsurpauerit exemplū Melchisedech, nimirùm quia eo ipso ꝙ (vt Apostolus elegantèr exprimit) ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, καὶ ἀγενεαλόγητος, & per omē tempus sacerdos existens, ac ꝑtereà ipsis quoq; nominibus, vt habet Paulus, rex iustitiæ & rex pacis, ipsum Christum pręfigurauerit. Deindè notandum, quòd paulò pòst ab Epiphanio subnexum, à nobis suprà commemoratū est, nimirùm quòd Melchisedech proponendo panes & vinum, mysteriorum ęnigmata ꝑ-
Heb. 7. figurauerit. Quod etsi hîc non vsqueadeò expresserit Apostolus; nō tamen sequitur, si quo ad generationem & sacerdotij perpetuitatem Christus appareat similis ipsi Melchisedech, omnis idcircò alia similitudo exclusa sit, vtì elegātèr docet Melchior Canus (lib. 12. locorum Theolog.) Patet igitur nunc, quo proposito Paulus ex Dauide dixerit, Christum sacerdotem esse secundùm ordinem
In Psal. 109. Melchisedech, nimirùm (vtì ex Chrysostomo suprà diximus) propter sacramenta, quòd ille (Melchisedech) quoq; panem & vinum Abrahæ obtulerit, & quòd hoc sacerdotiū sit à lege liberum, ꝙq; nec finem nec principium habeat. Adfert hîc Chrysostomus duplicem causam, quarum posteriorem diximus ab Apostolo tractatam, priorem verò (quæ de mystica sacrificij in pane & vino consistentis, forma commemorat) Apostolum non expressisse. Huius silentij nunc nobis restat reddenda ratio. Non autem est alia, quàm ea quam suprà recensuimus, nempè quia cum Iudæis res erat Apostolo, non cum fidelibus, & id genus hominibus, qui tam arcanis mysterijs percipiendis forent idonei, Ipse enim Apostolus de nouo Christi sacerdotio dicturus, rei difficultatem procemio exag-
Heb. 5. gerat, dicēs: Super quo mult⁹ nobis sermo est, & ininterpretabilis, non

non quia Apoſtolus non potuerit id interpretari, (vt inquit Hieronymus) ſed quia illius temporis nõ fuerit. Hebræis enim, id eſt, Iudæis perſuadebat, non iam fidelibus, quibus paſsim proderet ſacramenrum. Veruntamen ſi vas electionis ſtupet ad myſterium, & de quo diſputat, ineffabile confitetur: quantò magìs nos vermiculi & culices, ſolam debemus ſcientiam inſcitiæ confiteri? Hæc Hieronymus, qui iam non Iudæis vt Apoſtolus, ſed fidelibus loquens paulò ſuperiùs luculentèr dicit: Melchiſedech pane & vino, ſimplici puroq; ſacrificio, Chriſti dedicauit ſacramentũ. Parcè loquitur vir ſanctus de hoc arcano Chriſti ſacramento, quòd fidelibus nõ eſſet ignotum, infidelibus non eſſet propalandum. Atq; hæc ratio eſt, cur veteres eccleſiæ patres atq; adeò ipſi etiàm Euãgeliſtæ, parciſſimè de hiſce tremendis Chriſtiani & Euangelici ſacrificij myſterijs locuti ſint. D. Auguſtinus in hunc eundem Pſalmi locũ: Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, latentis myſterij magnitudinem pauciſſimis attingens: Fidelibus, inqt, loquor: Si quid non intelligunt catechumeni, auferant pigritiam, feſtinent ad notitiam. Non ergò opùs eſt myſteria promere: ſcripturæ vobis intiment, quid eſt ſacerdotium ſecúdùm ordinẽ Melchiſedech. Hactenùs Auguſtinus. Ad Euagr. In Pſal. 109.

Si igitur Smidelinus nõ intelligit, vtì tota Eccleſia hactenùs intellexit, quomodò Chriſtus ſit ſacerdos, & vbì obtulerit ſacrificiũ ſecundùm ordinem Melchiſedech, faciat quod monet D. Auguſt. auferat pigritiam, (deponat hæreticam malitiam) & feſtinet ad notitiam ſcripturæ, earundemq; recta intelligentia, ab eccleſiæ paſtoribus & doctoribus nunc à nobis producta, ipſi intiment, quid ſit ſacerdotium ſecundùm ordinem Melchiſedech. Intimet illi Theophylactus, explicãs hunc eundem Pſalmiſtæ & Apoſtoli locũ, Tu es ſacerdos &c. Manifeſtiſſimè, inquit, de Chriſto hoc dictum eſt. Solus enim ille pane & vino ſacrificium conſecrauit, perindè àc Melchiſedech. Quî verò dixit, In æternum? Quoniam etiamnùm vnà cum corpore, quod pro nobis immolauit, apud Deum & patrẽ intercedit, hoc eſt, quas pro nobis pertulit afflictiones, vt multùm commoueat: ꝓponit etiàm ſinè voce, reipſa nimirùm patri loqués. Pro humana natura filius tuꝰ ego ſuſtinui hæc: Miſerere igitur ho- Heb. 5.

rum,pro quibus ego pati & mori sustinui. Vel quia quæ in singulos dies fit,& futura est in perpetuum oblatio per DEI ministros, ipsum habet pontificem & sacerdotem Dominum,atq; adeò ipsam hostiam,qui seipsum pro nobis sanctificat,& frangitur,& distribuitur. Quotiès enim hæc fiunt, mors Domini annunciatur &c.

Discat ab Ambrosio,quomodò Christus etiamnùm sese offerat, & offeratur. Illa nobis expetenda sunt,inquit, in quibus perfectio, in quibus veritas est.Hîc vmbra,hîc imago,illic veritas. Vmbra in lege,imago in Euangelio,veritas in cælestibus. Antè agnus offerebatur,offerebatur vitulus,nũc Christus offertur,sed offertur quasi homo,quasi recipiens passionem,& offert se ipse quasi sacerdos,vt peccata nostra dimittat.Hîc in imagine,ibì in veritate,vbì apud patrem pro nobis quasi aduocatus interuenit. Hîc ergò in imagine ambulamus,in imagine videmus,illic facie ad faciem, vbì plena pfectio &c. Erudiatur ab Oecumenio,quid in cœna Christus Apostolos docuerit.Licèt Christus,inquit Oecumenius, non obtulerit carentem sanguine hostiam: siquidem corpus suum obtulit, attamen qui ab illo fungentur sacerdotio, quorum Deus pontifex esse dignatus est,sinè sanguine offerent. Nã hoc significat, In ęternum.Neq; enim de ea quæ semèl à Deo facta est oblatio & hostia, dixisset,In æternum:sed respiciẽs ad præsentes sacrificos,per quos medios Christus sacrificat & sacrificatur,qui etiàm in mystica cœna modũ illis tradidit huiusmodi sacrificij. Nec quicquam patrocinatur Smidelino, quòd cõtra ipsum D.Hieronymum Hebraicæ linguæ, si quisquam alius, peritissimũ,vniuersosq; veteris ecclesiæ patres argutatur ex Hebræa vocula הוציא, obtulit, Melchisedech non sacrificâsse pane & vino, nec simplici puroque sacrificio Chri dedicâsse sacramentum,vt expresè loquitur Hieron. (sacramenti vox neminem offendet,cùm sacrificium & sacramentum,vtì etiàm annotauit Philippus Melanchthon, non significatione, sed cæremonia tantùm & vsu loquendi differant, tum deindè repetita sacrificij vox, ταυτολογίας vitium inussisset Hieronymo) eô quòd הוציא apud Hebræos,obtulit,siue protulit,& non sacrificauit, significet: vndè perperàm Catholicos docere, Melchisedech panem & vinum immolâsse siue sacrificâsse, cùm duntaxàt protulerit ad Abra-

Amb.lib. 1. offi.cap.48.

Heb.5.

Ad Euagr.

In locis,tit. de sacrifi.

Abrahamum cum exercitu ſuo reficiendum.

Cuperet ſanè miſoliturgus noſter ex Melchiſedecho, quem ipſa Geneſios ſcriptura ſacerdotem fuiſſe cõmemorat, ꝓmum cõdum duntaxàt & cõuiuatorem facere, ſcilicet, quia epulis & cõuiuijs potiùs quàm ſacrificijs delectãtur miſoliturgi, vtì paulò pòſt ex ipſo Caluino docebimus. Verũ libet hîc mihi rursùm quærere ex Smidelino, ſi mentitus illi videtur Hieronymus cum vniuerſo ſanctiſſimorum Patrum ſenatu, quos modò de Melchiſedechico panis & vini ſacrificio clariſſimè loquẽtes citauimus, an etiàm ſimul ipſa Geneſios ſcriptura, ipſe ſpirituſſanctus, ineptiuiſſe illi videatur, qñ poſt illa verba, Melchiſedech proferens panem & vinum, continuò ſubiungit, Erat enim ſacerdos Dei altiſſimi. Quorſum hæc ætiologia ſubijcitur, ſi Melchiſedech in pane & vino non ſacrificauit? Sanè niſi cauſa inepta eſt, intelligere oportet Melchiſedech eaſdem res obtuliſſe ſolitum, quas tunc proferebat Abrahamo, ſed huic in cibum, illi in ſacrificium, quod poſterius copioſè ſatìs ex patribus docuimus. Legunt quidem LXX. ἦν δὲ ἱερεὺσ τοῦ θεοῦ. Erat autem ſacerdos Dei: Hebræi verò, וְהוּא כֹהֵן Et ipſe ſacerdos. Sed neutrũ horũ patrocinatur miſoliturgis. Non eñ ſĩnè ratiõe Hieronymus Hebrææ linguæ (hanc autem potiùs hoc loco, quàm Græcam verſionem, ſuo errori prima ſpecie poſſunt obtendere) peritiſſim⁹ vertit, Erat enim ſacerdos. Et Munſterus (vt author eſt Ioannes Faber ab Hailbrun in Ioëlem) legit, Erat quippe ſacerdos. Nam coniunctio Hebraica ו non ſempèr vim copulandi habet, ſed quandoq; vim cauſalẽ, vt tradunt Hebręi. Præterea ſi homo argutulus ex vocula הוציא obtulit, vniuerſam eccleſiam Catholicam priſcosque & neotericos ſcriptores calumniari inſtituit, quòd verbũ hoc ad ſpecificam ſacrificij oblationem referant, cur non eadẽ ratione ipſum Paulum Apoſtolum criminatur, qui ad Hebræos loquẽs inquit, μιᾷ προσφορᾷ τετελείωκεν εἰσ τὸ διηνεκὲσ τοὺσ ἁγιαζομένουσ, vnica oblatione perfectos effecit eos qui ſanctificantur? προσφέρω enim improprijſſimè apud Græcos ſumitur pro eo quod eſt, immolo, ſiue ſacrifico. Sic & προσφορὰ non ſacrificium ſiue immolationem, ſed quamlibet genericam oblationẽ deſignat. Si igitur Paulus Apoſtol⁹ τὴν προσφορὰν & τὸ προσφέρειν cõtra ꝓprietatẽ Gręcani-

Ad Euagr.

Heb. 10.

ci sermonis ad veram illam hostiam, & verum sacrificium, quod Christus in cruce peregit, non malè retulit: sequitur, nec Catholicos ecclesiæ Patres in eo peccare, quòd vocem Hebræam הוציא, & Latinam, obtulit, ad eam oblationem referunt, quæ sacrificando & immolando perficitur. Atq; hæc de sacerdotio Melchisedechico dixisse sufficiat.

Vbì nunc, ô misoliturge, sunt illæ tuæ contumeliosissimæ exclamationes & cachinni in noui testamenti sacerdotes, dùm petulantissima subsannandi libidine exclamas aduersùs Reuerendum D. Georgium Lautheriũ, **Wa wöllẽ wir die Meßpriester hin setzen/** &c? Vbì collocabim⁹, inquis, Missificatores, quum neq; ad Leuiticum sacerdotium pertinere velint, neq; ad Melchisedechicũ pertinere possint, quoniam peccatores sunt & moriuntur? Neq; Christum de sacerdotio suo deturbare possunt, quoniam est sacerdos in æternũ &c. Et paulò pòst: Assumat Lautherius, inquis, vuiuersos suos Iesuitas in subsidium, nec tamen vnquàm in æternum vel minimo veritatis colore probauerint, ipsorum quotidianum Missæ sacrificium exemplo Melchisedechis posse cõstabiliri, quia Apostolus dicit Christum secundùm ordinem Melchisedech semèl offerri debuisse, nec successuros huic sacerdoti alios sacerdotes &c.

Im Gegenbericht von der Meß pag. 40.

Faciat Smidelinus, quod monet D. Augustinus: Auferat pigritiam, deponat malitiam, festinet ad notitiam. Interroget Cyprianũ, Augustinum, Hierõymum, Chrysostomum, Ambrosium, Epiphanium, Oecumenium, Theophylactum, quos modò citauimus. Et his omnibus antiquiorem D. Irenæum, qui docet Christum sub forma panis & vini corpus & sanguinem suum obtulisse, suoque exemplo nouam oblationem docuisse, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo. Si nouam oblationẽ (vt inquit Irenæus) docuit, id est, nouũ sacrificium instituit, an vllum poterit esse sacrificium sinè sacerdote? Rursùm, si docuit Christus nouam oblationem, & Smidelinus huiusmodi oblationem de capis, caseis, & anseribus vult intelligi, an quispiam sanæ mentis hãc cum D. Irenæo nouam dicet oblationem, quæ toto tempore sacrificij Aaronici non fuerit vsitata? An non potiùs ex Christo faciet aucupem casearium, & quiduis potiùs quàm sacerdotem, nouique sacer-

li. 4. ca. 32.

ſacerdotij inſtauratorem? Rurſùm ſi de ſolo ſacrificio laudis, orationis & pſalmorum accipere velit Smidelinus, quomodò noua cẽſebitur oblatio? An non Moſes, an non Maria, Dauid, Anna ꝓphetiſſa, Zacharias, Simcó, D. Virgo, & quotquot fuêre pietatis obſeruantes in veteri teſtamento, ſacrificium laudis vſurpârunt? Nullam igitur aliam nouam oblationem ſuos Apoſtolos docuit Chriſtus, quàm eam, quæ eſt ſecundùm ordinem Melchiſedech, qua ſub ſpeciebus panis & vini, corpus & ſanguis Chriſti offertur Deo patri ꝑ ſacerdotes noſtri tẽporis (vt loquitur Oecumenius) per quos medios Chriſtus ipſe ſacrificat, & ſacrificatur. Ex his alijsq́;, quę toto hoc capite commemorauimus, abundè perſpicere poſſet Smidelinus, vbì collocare, aut quò referre deberet ſacerdotes noui teſtamenti, vel (vt illi per contemptum loqui placuit) die Meßpriester/ nisì ſuapte malitia eſſet excæcatus, & propter hanc malitiam à Deo derelictus.

Atquì dicis, Apoſtolus docet Chriſtum ſecundùm ordinẽ Melchiſedech ſemèl offerri debuiſſe, nõ ſucceſſuros huic ſacerdoti alios ſacerdotes. Smid.

Principiò certum eſt, Apoſtolum loqui iſtic de oblatione Chriſti cruenta, q̃ ſemèl in cruce peracta eſt. Ex quo intelligitur, Apoſtolum de myſtica oblatione quã in cœna Chriſtus ſuo exemplo docuit & inſtituit, dicens: Hoc facite &c. non ex propoſito diſſerere. Alioquì ſi ea ſit mens Apoſtoli, vt præter cruentam illam oblationem nulla prætereà fiat alia, (tametſi reuerà nõ ſit alia) æquè poterunt aduerſarij etiàm illam oblationem his Apoſtoli verbis ſubuertere, quam Chriſtus in cælis incruentam facit, ſempèr patri apparens, & tãquàm aduocatus pro peccatis noſtris interpellãs, ſuęq́; paſſionis ſacrificium pro nobis repræſentans, vtì ſuprà docuimus ex Theophylacto, & patet ex ipſo Paulo. Vndè neceſsè eſt, inquit, & hunc Pontificem Chriſtum, qui cõſedit in dextera ſedis magnitudinis in cælis, habere aliquid quod offerat. Alioquì enim pontifex non eſſet, nec dici poſſet ſacerdos in æternum, ſinè oblatione ſeu ſacrificio, iuxta normam coniugatorũ. Similitèr & illam ſuſtulerint oblationem, quam Chriſtum in vltima cœna feciſſe luculentèr ſuprà docuimus. Proindè ſi hi duo offerendi modi non pugnant

Bred. (margin, beside "Principiò")

Heb. 8. (margin, beside "paſſionis ſacrificium")

gnant cum ea oblatione, quam semèl cruento modo fecit CHRISTVS in cruce: consequitur, nec hunc offerendi modum pugnare, quē ecclesia Catholica quotidiè obseruat in sacrificio Missę, quandoquidem eandem cum Christo Domino hostiam offert, licèt alio modo, scilicet θυσίαν ἀναίμακτον, hostiam incruētam, vt veteres Græcanicæ ecclesiæ patres loquuntur.

Smid. Sed dicit Smidelinus, (vt & cōfessio Augustana) Hac ratiōe tollitur Paulina distinctio, qua Christi sacrificium à Leuitico vult esse distinctum. Nam vos eandem quotidiè iteratis hostiam, quemadmodùm & Leuitici quotannìs. Item Leuitici sacerdotes fuerunt peccatores, & morte sublati. Eiusdem conditionis & vestri sunt Missificatores. Paulus autem dicit, Christo sacerdoti nullos alios sacerdotes successuros. Vbì ergò constituemus vestros Missificatores?

Bred. Respondeo: Iterant quidem noui testamenti sacerdotes eandē Christi hostiam, sed lōgè secùs atquè illi Aaronici suā. Horum enī sacrificia per se reputabantur singula, ità vt nullum ex alio traheret vim sanctificandi, aut remittendi peccata haberet facultatem: verùm hoc nostrum Christianum & noui testamenti sacrificiū, ità repetitur & iteratur, vt in quotidianis mysterijs non offeratur aliud, quàm in cruce Christus obtulit, ex quo ceu fonte, nostro sacrificio quotidiano vis & facultas omnis profluit. Proindè nisì ex illo semèl in cruce peracto suam sibi deriuarent peccatorum remittēdorum vim, essent profectò illis Leuiticis omninò paria. Repetitur igitur vna illa Christi hostia, sed non vt Leuitica: secūdùm cōmemorationem, vt inquit Chrysostomus, non secundùm sanguinis effusionem. In Christo, inquit idem, semèl oblata est hostia ad salutem sempiternam potens. Quid ergò nos? nónne per singulos dies offerimus? sed ad recordationem mortis eius, & vna est hostia, non multæ. Quomodò est vna, non multæ? Quia semèl oblatus est CHRISTVS. Hoc autem sacrificium, exemplum est illius: idipsum sempèr offerimus. Proindè hoc idem est sacrificium. Attende ad hæc Smideline, audi quid hîc dicat tibi Chrysostomus, & omitte blasphemos errores, quos tibi suggerit errorum magister diabolus: aufer pigritiam, festines ad notitiam. Attēde, inquam, quid di-

hom. 17. in epi. ad Heb.

cat

cat Chrysostomus: Hoc sacrificium (nostrum) est exemplum istius (in cruce peracti,) idipsum sempèr offerim⁹. Quod suprà dixit Ambrosius, Christum hîc sese offerre, & offerri in imagine: id vocat Chrysostomus exemplum istius in cruce peracti sacrificij, quia diuersus est modus, ἀναίμακτος scilicet, incruentus, mysticus. Et tamē licèt modus sit diuersus, nihilò seciùs quoniā idem prorsùs est sacrificium, eadem hostia, idem sacerdos, cum eo qui seipsum ꝓ nobis in cruce obtulit. eapropter addit Chrysostomus, dicens: Est idipsum, & sempèr idipsum. Pergit iam Chrysostomus: Proindè, inqt, hoc idem est sacrificium. Alioquin dicetur, inquit, quoniā in multis locis offertur, multi sunt Christi? Nequaquàm, sed vnus vbiquè Christus, & hîc plenus existens, & illic plenus. Sicut eñ quod vbiq; offertur, vnum est corpus & non multa corpora, ità & vnum sacrificium. Pontifex autem ille est, qui hostiam obtulit nos mundantē. Ipsam offerimus etiàm nunc, quæ tunc oblata est, consumi non potest. Quod nos facimus, in commemorationem fit eius, quod factum: Hoc enim facite (ait) in meam commemorationem. Hactenùs Chrysost. cuius sententiam ferè ijsdem verbis expressit D. Augustinus: Semèl immolatus est in semetipso Christus, & tamē quotidiè immolatur in sacramento. Et Paschasius: Quotidiè Christus mysticè pro nobis immolatur, & passio Christi in mysterio traditur. Rursùm alio loco Chrysost. quem & suprà lib. 2. citauimus: Sacra ipsa oblatio, siue illam Petrus, siue illam Paulus, siue cuiusuis meriti sacerdos offerat, eadem est quā dedit Christus ipse discipulis, quamq; sacerdotes modò quoq; cōficiunt. Nihil habet ista q̃ illa minùs. Cur id? Quia nō hanc sanctificant homines, sed Christus, qui illam antè sacrauerat. Quemadmodùm enim verba quę locutus est Christus, eadem sunt, quæ sacerdotes nunc quoq; pronūciant, ità & oblatio eadem est. &c.

lib. 1. ca. 48. Offic.

de cōsec. di. 2. Semèl.

Equidem arbitror ex his perspicuum euadere Smidelino, quò referēdi sint noui testamenti sacerdotes. corruit prętereà ipsius cōmentum quo ait, Quoniam plures sunt sacrifici (apud Catholicos) & morte prohibentur permanere, & sæpiùs quàm semèl offerunt, non possunt (ratione huius comparationis, quam Apostolus inter Christum & Leuiticos sacerdotes instituit) sacerdotes esse secun-

im gegenbericht pa. 40.

dùm ordinem Melchisedech. Quibus verbis Smidelinus eandem calumniam struit ecclesiæ Catholicæ, quam & Augustana cõfessio machinata est. Loquitur enim hîc ità Smidelinus, quasi totum hoc sacrificium referamus ad ipsos sacerdotes, quasi ipsi sacrificent, & quotidiè aliam atq; aliam hostiam offerant, quemadmodùm faciebant Aaronici sacerdotes. Confessionis, aut potiùs calumniæ Augustanæ verba sic habent: Hic honos sacrificij non debet transferri in opus sacerdotis. O crassam & impudentem calumuiam, quæ opus, Christi vice per sacerdotes peractũ, homunculo tribuit, cùm tot tamq; illustribus testimonijs doceamus, Christum ipsum per medios sacerdotes (vt loquitur Oecumenius) & sacrificare & sacrificari. Nónne tota Theologorum schola, quantunlibèt hæc vobis sordeat, vno consensu docet, sacrificium quotidianum non nisì ex opere operato, id est, quia ex Christi persona geritur atque peragitur, vim & efficientiam suam sortiri? Non enim hîc alias sacerdoti partes tribuunt, quàm eas quæ ministri sunt propriæ. Sicutì de baptismo rectè dicebat Ioannes: Hîc est qui baptizat. Quẽadmodùm igitur in consecratione Christus sua verborum efficacia alieno sacerdotis ore suum quotidiè cõficit de pane corpus & vino sanguinem, (vt ait Hieronymus) ità per alienas quoq; manus, sed sui tamẽ ministri, Deo Patri sacrosanctum corpus suum offert. Atq; hoc est illud, quòd sanctissimi scriptores tantæ rei miraculo obstupefacti, interdùm exclamitant: O rem miram: idem Christus hîc sacrificat, & sacrificatur: Agnus idem & hîc nobis in altari iacet pręsens patri immolandus, qui & patri ad dexteram assidet gloriosus.

Ioann. 1.

Non igitur huius tam ineffabilis sacrificij sacerdotes (quorum reuerà duntaxàt vnus est ipse Christus Dominus) moriuntur, vt illi Aaronici, cùm hi quos nos sacerdotes vocamus, eò q̃ à plebe segregati in opus ministerij, sacris operentur, vices tantùm gerãt illi primarij atq; vnici sacerdotis Iesu Christi, & administri sint ac dispensatores sacrificij & sacramentorum huius primarij sacerdotis. Sic nos existimet homo, inquit Apostolus, vt ministros & dispensatores mysteriorum Dei. Nec aliam atq; aliam offerunt hostiam, vt Leuitici: sed vt suprà ex Chrysostomo retulimus, sacra ipsa oblatio, siue illam Petrus, siue illã Paulus, siue cuiusuis meriti sacerdos offe-

1. Cor. 4.

offerat, eadem eſt, quam dedit Chriſtus ipſe diſcipulis, quamq; ſacerdotes modò quoq; conficiunt. Et idem alibì: Hoc ſacrificiũ exemplum eſt illius, idipſum ſempèr offerimus. Ipſam offerimus etiã nunc, quæ tunc oblata eſt. Hæc arbitror Smidelino ſatisfacere poſſe, nisì fortè tactis aris (quod olim Hannibal in Romanos) perpetuam ſe inimicitiam cum ipſo Ieſu Chriſti ſacerdotio exercitaturũ deierauerit, vt planas & rectas faciat ſemitas antichriſto, quo graſſante, iuge ſacrificium eccleſiæ ceſſabit iuxta vaticinium Danielis. Hom. 1. ad Heb. Dan. 12.

Ex his quæ iam diximus, ſimul etiàm corruit fundamentũ iſtius argumentationis, quam ex Paulinis verbis ſiniſtrè adductis, compingunt miſoliturgi. Sanctificati ſumus per oblatióem IESV Chriſti ſemèl. Item, Vna oblatione conſummauit in perpetuum eos q ſanctificantur. Quàm enim ineptum fuerit, ſi quis dixerit, Baptiſmo non aboleri peccata, quòd ſemèl ſumus ſanctificati per oblationem Ieſu Chriſti: tam profectò abſurdum eſt, nõ ſupereſſe nobis altaris ſacrificium, quo ſanctificemur & purgemur, eô quòd ſemèl ſimus ſanctificati per oblationem IESV CHRISTI. Huic igitur oblatiói Chriſti ſemèl exhibitæ, qua ſumus ſanctificati, quẽadmodũ nõ repugnat, quòd in Baptiſmo ſanctificamur, & rursùm per pœnitentiæ ſacramentum, relapſi, à peccatis mundamur: Ità nihil minùs quàm pugnat cum eadem, quòd Miſſæ ſacrificium quotidiè vſurpemus ad noſtrì ſanctificationem, & peccatorum remiſſionem. Ex eodem enim illo oblatióis Ieſu Chriſti fonte hauritur peccatorum remiſſio tam in baptiſmo & pœnitentia, quàm Miſſæ ſacrificio. Quamobrem Chriſti paſſio fuit oblatio, ſanctificatio & ſatisfactio omnium & pro omnibus peccatis noſtris, ſed hæc non eſt nobis ſanctificatio & ſatisfactio, nisì nobis adhibeatur ad ſanctificandum. Dicit Ioannes de Chriſto, quòd illuminet omnẽ hominem venientem in hunc mũdum: & tamẽ multi in tenebris ambulant, & in tenebris mortui, præcipitantur in tenebras exteriores. Sic ſanctificati ſumus per oblationem Ieſu Chriſti ſemèl, (vt inquit Apoſt.) & tamen multi cùm impijs damnantur, quòd præparatam omnibus à Chriſto ſanctificationem, ad ſe non trãſtulerint, quòd tenebricoſi ad paratam omnibus lucem non venerint, quòd ægroti ſanctificationis huius medelam ex ſacramentorum myrothecis Ioan. 1.

non hauserint. Passio igitur Dominica est omnis nostræ sanctificationis & expiationis causa vniuersalis, perfecta & principalis. Ecquis verò dubitet, causas perfectas & principales sinè adiuuantib⁹ & proximis nihil efficere? Medicamentum quippè, quamlibèt præsens & salutiferum sit, quanuis vel ipsa à quibusdam tantoperè p̄dicata panace, nisi tamen ægro corpori applicetur, nullam præstat medelam. Quòd si agnus qui tollit peccatum mundi, sinè adiutrice & socia causa ipse per se expiauit nostra delicta, atq; in has angustias redigere velimus Apostolum dicentem, Sāctificati sumus per
Heb.10. oblationem Iesu Christi semèl: tollatur baptisma, reijciatur pœnitentia, sileant sacerdotia, facessant ministeria, atq; adeò omne salutis nostræ & sacramentum remoueatur & instrumentum. Vanum
Matt. vlt. sit illud præceptum, Baptizate in nomine patris & filij & spiritus
Ioan. 20. sancti: Vana sit gratia illa, Quorum remiseritis peccata, remitten-
Acto. 2. tur eis. valeat sermo ille, Pœnitentiā agite, & baptizetur vnusquisq;
Tit. 3. vestrûm in remissionem peccatorum. Sit deniq; falsum illud, Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis. An non hæc omnia absurda & palàm ἀπροσδιόνυσα, manifestè consequūtur ex huiusmodi argumentatione? Sanctificati, inquiunt, sumus per oblationem Iesu Christi semèl, ergò nulla opùs est alia oblatione: nullo, inquā, mystico offerendi modo. An non & nos eandem Apostoli sententiam in misoliturgos illos retorquere poterimus, hūc in modum: Sanctificati sumus semèl, ergò nulla opùs est vberiori sanctificatione? Sic enim colligit noster hic illius magni pseudoprophetæ prodromus: Quia obtulit semèl Christus, ait, ergò nos non offeramus. Sic, inquam, ad iugis sacrificij abolitionem classicum canit egregius videlicet & βοὴν ἀγαθὸς Stentor, odijs Grammaticorum & Rhetorum vsq; adeò intentus, vt oblítus sit dialectices. Sed Apo-
1. Cor. 7. stolus non alibì tantùm aliâs adhuc sanctificationis meminit, verùm etiàm eo ipso in loco, quem aduersarij adducunt, non obscurè insinuauit, vberiorem adhuc sanctificationem nobis necessariā. Sic enim inquit: ἡγιασμένοι ἐσμὲν, οἱ διὰ τῆς προσφορᾶς τοῦ σώματος τοῦ
Heb.10. ἰησοῦ χριστοῦ ἐφάπαξ: hoc est, sanctificati sumus per oblatiōem corporis Iesu Christi semèl. Subiungit iam ibidèm paulò pòst: μιᾷ προσφορᾷ τετελείωκεν εἰς τὸ διηνεκὲς τοὺς ἁγιαζομένους, id est, vnica oblatione

one

one perfectos effecit eos qui ſanctificantur. Sic enim habet textus
Græcus (ἁγιαζομένουσ) eos qui ſanctificantur, non (ἡγιασμένουσ) id
eſt, ſanctificatos. Vides hîc Apoſtolum etiàm hoc ipſo in loco, quē
miſoliturgi tantoperè vrgent, duplicem ſanctificationem non ob-
ſcurè ſubindicare. Volens enim ſignificare, nos per oblationē cor-
poris Ieſu Chriſti vniuerſalem ſanctificationem conſecutos, ait,
ἡγιασμένοι, ſanctificat. Rurſùm, volens eos ipſos quos τῇ μιᾷ προσφο-
ρᾷ τετελείωκεν, quos vna oblatiōe perfecit, adhuc imperfectè perfe-
ctos eſſe, nec vndiquaq; ità ſanctificatos, quaſi nulla prætereà ege-
ant ſanctificatione, dixit, τετελείωκεν τοὺσ ἁγιαζομένουσ, perfecit eos
qui ſanctificātur. Quomodò perfectos reddidit, (τετελείωκεν,) ſi ad-
huc ſanctificantur? Cur autem ſanctificantur, ſi iam eos perfectos
reddidit εἰσ τὸ διηνεκὲσ in æternum? Si igitur τοῖσ ἡγιασμένοισ, ſanctifi-
catis per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemèl, om̄em aliam ob-
lationem excutiunt, propter hanc Pauli ſententiam: auferāt etiàm
ſemèl & ſimul illis eadem authoritate omnem aliam ſanctificatio-
nem: Aboleant omnia ſacramenta, omnia opera bona, omnia ſan-
ctificationis inſtrumenta. Miſſam igitur faciamus MISSAM, in qua
Eccleſia Catholica ex inſtitutione & mandato Chriſti iam à mil-
le quingentis & ampliùs annis offert DEO patri precioſiſſimum cor-
pus & ſanguinem filij ſui, in qua Chriſtus per medios ſacerdotes
ipſe ſacrificat & ſacrificatur. deturbemus ipſum Chriſtum è cęlo,
quotidiè ſeſe ſuamq; paſſionem & meritum ſuum DEO patri offerē-
tem, & interpellantem pro nobis. Quin etiā ſi hoc genus argumen-
torū ratum dialecticumq; habebitur, quia orauit pro nobis Chri-
ſtus, nō oremus: quia ieiunauit, non ieiunemus: quia lachrymatus
eſt, non ploremus. Nos verò ità dicimus cum Apoſtolo, ſanctificati
ſumus per oblatiōem Ieſu Chriſti ſemel: vt cum eodem dicamus,
Emundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritûs, perfi- 2. Cor. 7.
cientes ſanctificationem in timore Dei. Non ignorabat Apoſtolus
Chr̄i ſanguinē nos mūdâſſe ab omni delicto, & tn̄ ait, Mundemus
nos. Dixerat, vna oblatione Chriſtū conſummâſſe eos qui ſanctifi-
cantur: & tamen monet, vt ipſi perficiamus ſanctificationem in ti-
more Dei. Chriſtus igitur mundat & perficit, primaria illa & vni-
uerſali ſanctificatione: & nos mundamus, perficimus & ſanctifica-

1.Cor,3. mus nos, ſed ille agit nobiſcum vt cauſa principalis, nos ſub illo agimus vt cauſę adiuuantes. Dei nanque adiutores ſumus. Quam obrē ſicut, hortante Apoſtolo, Chriſto cōpatimur & cōmorimur, ità etiàm ex mandato Chriſti offerimus, vt oblatiōis eius partē capiamus. Sit miſoliturgis iſtis ocioſa, nobis certè actuoſa eſt religio. Quam ſi vllam nobis concedunt, ſi vllam Religionom Eccleſiæ in nouo teſtamento ſaluam relinquunt, ſccerdotes etiàm vt nobis relinquant, coguntur: ſi ſacerdotes, ergò & ſacrificium: Nullum autē excellētius, nullum auguſtius, nullum diuinius habet aut habitura eſt vnquàm Eccleſia Catholica, hoc diuino Miſſæ ſacrificio, quod iam indè ab initio Chriſtianiſmi iugitèr ſummis laudibus & quotidiana gratiarum actione celebrauit, vtì nunc tot tamq; illuſtribus veteris eccleſiæ & Patrum teſtimonijs comprobauimus, & ſi Deus gratiam conceſſerit, aliâs longè abſolutiùs tractabimus.

Non decreueram hoc loco materiam hanc operoſiori labore ꝓſequi: attamen quia quemadmodùm Antiochus typus Antichriſti ſacrificia Iudaica ſuſtulit, & quantùm in ipſo fuit, peſſundedit: ità vniuerſa ſectariorum cohors coniuratis copijs & plenis buccis ad iugis ſacrificij Chriſtianorum abrogatiōem per Antichriſtum perficiendam claſſicum concinunt, quos inter noſter quoq; hic Smidelinus, ſicutì Doëg inter Saulis miniſtros, Dauidis perſecutores, conſpicitur, agè vnum adhuc aut alterum incurſum in iſtam Philiſtæorum aciem faciamus.

Im Gegenbericht von der Meß pag.18. Ait alibì Smidelinus, offerre tantundem ſignificare, àc ſacrum opus facere: eoq; S. Patres cœnam Dominicam (ein opffer) oblationē vel ſacrificium vocâſſe, quippè quòd ibì res pia, ſacra & ſancta peragatur. Videamus nunc, quas inſidias, quos dolos, q̃ proditorias artes noſter Doëg aduersùs iuge & ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium ſub hac interpretatione moliatur.

Cùm Sinon vniuerſum Priami regnum & vrbem populumque Troianum Græcis Græca fide prodere inſtitueret, à vera Palamedis hiſtoria ſuas inſidias arteſq; Pelaſgas auſpicabatur. Sic noſter Miſoliturgus veram generalis oblationis deſcriptionem qualitercunq; producit, vt ſpecificam & ſtrictiorem oblationis & ſacrificij acceptionem, lectori minimè attento aut perito ſubducat. Definiturus

turus igitur Misoliturgus genericam oblationem, idem penè dicit cum Magno illo Gregorio, etymologicam sacrificij descriptioné sic adferente: Sacrificium, inquit, est quasi sacrum factum.

Porrò vt exactam propriamq; sacrificij naturam ac definitioné colligamus, aduertendum est, duobus modis verba tam in scripturis, quàm apud sacros authores vsurpari, propriè nimirùm & translatè. Nos igitur quoniam cum misoliturgis dissertationem instituimus, & in vera propriaq; sacrificij natura inuestigãda laboramus, non quid verba μεταφορικῶσ & per tropum, sed multò magis quid propriè sonent, attendemus. Enimuerò misericordiæ & reliqua pietatis opera, translatè potiùs quàm propriè sacrificia dici, ex vnico Oseæ testimonio liquidissimum euadit. Misericordiam, inquit, volo, & non sacrificium. Quo loco misericordia euidentèr à sacrificio distinguitur. Deindè si sacrificij vox eleemosynas & dona pauperibus collata propriè cótineret, nullo modo Propheta diceret: Sacrificium & oblationem noluisti. Quòd autem Apostolus ea munera quæ pauperibus tribuuntur, hostias appellat, hanc rationé habet: videlicet hostias credebat populus maximè placere Deo, spirareq; illi odorem iucundissimum. Vsqueeò autem hæc persuasio etiàm fidelium animos occupauerat, vt præ sacrificijs opera interdùm pietatis charitatisque negligerent. Cuius rei minimè ignari Apostoli, cupientes rudem plebem ad veram germanamq; pietaté reducere, misericordiæ & charitatis opera hostias appellabant, non falsò id quidem, sed verbis per tropum & figuram nonnihil immutatis. Sic Paulus hostiam acceptam dixit in odorem suauitatis. Sic Iacobus religionem mundam & immaculatam esse visitare pupillos & viduas in tribulatione: Et, Talibus hostijs promeretur Deus.

Oseæ 6.
Psal. 39.
Gen. 8.
Exod. 29.
Leu. 1. & 3.
Num. 28.
Phil. 4.
Iac. 1.
Heb. 13.

Iam & illud ad sternendam intelligendæ sacrificij naturæ viam, considerandum venit, misoliturgum nostrum Goppingensem, vel ex astu, vel ex imperitia non satìs elucidare, quid hac sua generica oblationis descriptione, describendum delineandúmve suscipiat, vtrùm ipsum sacrificium ecclesiæ (quod eo loci contra Reuerend. D. Georgium Lautherium oppugnat) an verò oblationem quamcunq; religiosam, an primitias, decimas & similia dona, an sacramétorum administratióem, an deniq; quemlibet pium religiosumq;

actum

actum. Nam omnibus hiſce deſcriptio Smideliniana conuenit: tā-
tus nimirùm euaſit artifex, vt omni pedi eundem didicerit appli-
care calceum. Quis autem non videt, quàm hæc oĩa inter ſeſe diſ-
crepēt, etſi vniuerſa latis illis actûs ſacri ſiue religioſi terminis re-
ctè contineantur? Sacrificij enim oblatio immediatè fit ſoli Deo, vt
rectè inquit Auguſtinus (In lib. de ciuit. Dei.) Decimæ verò nō of-
feruntur Deo immediatè, ſed miniſtris & diſpenſatoribus eius ſu-
ſtentandis. Primitiæ ſunt, oblatio de præcipuis fructibus cū quadā
1. Par. vlt. profeſſione, quòd à Deo percepti ſint, iuxta illud: Quæ de manu
tua percepimus, dedimus tibi. Eleemoſynæ pauperibus dantur, &
dandæ ſunt propter Deum. Deindè ſacramentorum adminiſtrati-
onem, certum eſt, actum eſſe ſacrum & religioſum: & tamē ridicu-
lum fuerit dicere, ſeptem ſunt eccleſiæ ſacramenta, ergò & ſeptem
ſacrificia. Nō itaq; offerre, ſeu ſacrificare nihil aliud eſt, quàm opus
ſacrum peragere, eoq́; in lege veteri aliæ fuerunt leges de ſacrifici-
js, aliæ de reliquis ſacris ritibus, ac longè latiùs patet actus operis
religioſi, quàm vel ſacrificium, vel oblatio. Et rursùs, latiùs multò
ſeſe extēdit oblatio, quàm ſacrificium: oblatio enim genericè ſum-
pta, compræhendit dona, primitias, decimas, eleemoſynas & ſimi-
lia: Specificè verò accepta, eam oblationem deſignat, in qua hoſtia
Deo offertur: hoſtia (inquam) propriè, non trāſlatè, accepta. Quod
ex Græcis vocabulis manifeſtiùs eluceſcet: θυσία enim & προσφορὰ,
vtraq; ab interprete Latino vocantur oblatio: At quis, Græcanicæ
Heb. 5. literaturæ vel ipſum duntaxàt limen ingreſſus, non videt, quàm lō-
& 10. gè alia ſit vis & ſignificatio τῆς θυσίας, quàm τῆς προσφορᾶς. Iam &
munera donaq́; fidelium oblationis nomine veniunt, atq; hac ge-
nerica oblatione noſter miſoliturgus cum ſuis ſymmyſtis, eripere
nobis contendit τὴν θυσίαν ἀναίμακτον, hoſtiam illam incruentam,
quam iam indè ab exordio Chriſtianiſmi Eccleſia per totū mundū
offert Deo. Ait enim Smidelinus, Oblationis vocabulū ad capos,
caſeos, anſeres & ſimilia fideliū munera referri debere. Quod etſi
ex parte verum ſit, non tamen euincet aduerſarius, nullam aliā ob-
lationem, nullum aliud ſacrificium, propriè & non tranſlatè ſum-
ptum, in Eccleſia hactenùs rectè vſurpatum eſſe. Quod vel ex illo
Heb. 5. & 8. Apoſtoli patet, dum inquit: Omnis pontifex ad offerenda munera
&

& hostias constituitur, δῶρά τε καὶ θυσίας. Offeruntur igitur Deo nō solùm δῶρα dona, verùm etiàm θυσία hostia. Quantùm autem hæc inter se discrepent, luculentèr in hunc locum declarat Theophylactus (in cap. 8. ad Heb.) Inter donum & hostiam θυσίαν, si accuratè interpretemur, id interest, quòd hostia quidem in cruore offertur & carnibus, dona verò ex fructibus constant, & eiusmodi cæteris quæ incruenta sint. Confundi tamen nonnūquàm hæc duo, author est ibidèm Theophylact⁹. Apud sacra scripta, inquit, indifferentèr quandoq; posita reperiuntur, vt illud: Respexit Deus ad Abel & munera eius: tametsi constet, ex ouium illa primogenitis extitisse: Ad Cain autem & munera eius nihil attendit, cùm ea ex terræ fructibus constitissent. Hæc Theophylactus. Chrysostomus in eūdem locum inter cætera sic ait: Oblatio autem erat, quicquid extra sacrificium erat. Sacrificium igitur, dona, & oblationes, diuersa sunt. Diuersitatis ratio vt clariùs elucescat, ad originem siue etymologiam τῆς θυσίας redibimus. Cœlius Rhodoginus de hac voce sic scribit: Thysiam, inquit, putat Porphyrius dici propriè, q̄ ex herbis fiat dijs, litationem: siquidem initio rerum, quæ cælestibus oblata sint sacra, non myrrhas ait fuisse, non casias, nō itē crocum, sed herbam virentem, velutì terrenæ potentiæ progerminantis primitias quasdam, manibus offerebant. Quippè arbores ante animalia fuisse à terra productas, herbas verò etiānùm ante arbores ipsas: igitur ex herbis integras quasdam sumentes, cum folijs & radicibus & fructu simul concremabant: eaq; exhalatiōe, ac fumo dijs litabant. quamobrem ab ea, quam facerent, exhalatione, quam thymiasin Græci dicunt, thysia quoq; deflexa est. Hæc ibì Cœlius ex Porphyrio. Itaq; thysia non est quælibet oblatio, sed ea propriè hostia, ad quam sacrificandam plerunq; solet incensum siue ignis adhiberi, vtì in veteri testamento fuit vsitatissimum. Theophylactus quidem (si ad exemplar quo ego, dùm hæc scriberē, vsus sum, respiciam) non meminit eo loci ignis: verùm alio exemplari videtur vsus Melchior (In loc. Theolog. lib. 12. cap. 13.) Canus, qui superiora verba ex Theophylacto adducta, sic legit: Doni & victimę exacta ratione quidem est discrimen: θυσίαι enim (hoc est, sacrificia) sunt per sanguinem & carnem oblationes, vel certè oīa quæ

Gen. 4.

lect. antiq. lib. 12. cap. 1.

per ignem sacrificantur: Dona autem sunt, vt fructus, & quæcunq; alia exanguia, & igni carentia &c. Græcum porrò exemplar, vt consulerem, non fuit ad manum. Euicimus igitur nunc, thysian à muneribus & oblatione longè diuersam esse, & quidē talem, quæ maximè propria exactissimaq; ratiōe sacrificium propriè sumptū designet, talemq; semper habitam thysian, quæ soli Deo immediatè offeratur. vndè θεόθυτα etiàm dicta sunt: aut idolis, tāquàm dijs, vndè idolothyta apud Apostolum, ἀπὸ τοῦ θύειν, à sacrificando. Hæc tam sunt manifesta, vt Misothytes noster quod opponat, nihil habere queat.

2.2.q. 85. art. 3. Nunc videamus quid de oblationis & sacrificij differentia argutissimè verissimeq; scribit D. Thomas Aquinas, quem homo contumeliosissimus Smidelinus per cōtemptum appellitat Thomam **von der wasserschuallen.**

Dicit sanctus Doctor in eo sitam esse rationem sacrificij, si circa rem Deo oblatam quicquam fieret, quo res ipsa sacra quodammodò conficeretur. Nam si integram & illæsam sacerdos offerret, donum dici & munus, non item sacrificium, id quod in Græca voce θυσία explicatiùs cernitur, vtì nūc diximus. D. Thomæ, pter ipsam rei & Grecanicæ vocis euidentiam, adstipulātur inter ceteros DD. Ruardus Tapper & Melchior Canus.

Tapp. art. de sac. Missę Canus vbì sup. Ex his iam denuò euincitur, in quanta caligine Smidelinus & ipsemet versetur, & lectorem detineat, dum ex qualicunq; oblationis siue sacrificij (nam neq; hæc, licèt diuersissima, distinguit) adumbratione, progredi conatur ad sublimem abstrusamq; sacrificij altaris seu Missæ tractationem. Quomodò verò ex tam tetra caligine vllam solidæ veritatis lucem producere, ex tam denso errorum & inscitiæ fumo dare flammam poterit? Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem (conuenit,) vt ait Flaccus: hic ex teterrima caligine, nil nisì crassissimos errorū & blasphemiæ fumos simplicibus profert, vtì hactenùs demonstrauimus, & latiùs demōstrabitur, si quandò hanc materiam absolutiùs operosiusq; tractare licebit.

Vt igitur ad scopum nunc hæc deducatur dissertatio, patet neutiquàm esse idoneam & exactam sacrificij definitionem, qua dicitur

tur

tur esse actus operis religiosi. Sacrificium enim, lex, altare, sacerdos & hostia ità inter se connexa sunt, vt legitima ratione separari non possint. In omni autem religiosa cæremonia aut actu sacro, velle altare, hostiam, sacerdotem & legem fingere, ridiculum est. Habemus autem in lege noua altare, sacerdotes & hostiam, eaque omnia non per tropum & translatè accepta, sed propriè & quidem proprijssimè sumpta. Apostolus Corinthijs demonstraturus, ecclesiæ ministris & pro ministerio suo sustentationem idoneam deberi, subiungit post multa: Nescitis quoniam qui in sacrario operan- 1. Cor. 9.
tur, quæ de sacrario sunt, edunt? & qui altari deseruiunt, cum altari participant? &c. Habemus præterea sacerdotem magnum Christũ Dominum, qui seipsum in hostiam dedit, quiq; ipse semèl cruento modo in cruce Deo patri pro redemptione totius mundi obtulit. Idem quoniam est & manet sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech, nunc quoq; per seipsum in cælis, & in ecclesia militante per sacerdotes noui testamenti sacrificat & sacrificatur. Quod quoniam suprà luculẽtèr satìs & copiosè declarauimus, nolumus hìc in probando hoc sacerdotio & sacrificio cœnæ Dominicæ esse prolixiores. Tametsi vel solo altari concesso, necessariò consequatur sacerdotium & sacrificium, cùm hæc omnia inter se connexa sint. Porrò si fortè respondeat aduersarius, concedere quidem se, esse aliquod verum ac proprium noui testamenti sacrificium, nullum tamen esse præter sacrificium à Christo in ara crucis peractum, cum hoc equidem non admodùm contenderim, si vicissìm concedat, idem crucis sacrificium ex mandato & institutione Christi (vtì suprà docuimus) ità sub speciebus panis & vini secũdùm ordinem Melchisedech in ecclesia Catholica commemorari, vt ipsa incruenta sacrificij cruenti commemoratio, proprium Christiani sacrificij nomen & vim obtineat. Nam si cruentus ille sacrificij crucis modus solus meretur propriam sacrificij Christiani appellationẽ, quorsùm Apostolus Paulus meminit altaris? Fru- 1. Cor. 9.
strà autem dixisset, nónne qui altario seruiunt, de altari participãt? nisì dispẽsatores & ministri atq; adeò sacerdotes essent certi in nouo testamento, qui altari deseruiant. Qua autem ratiõe altario seruirent sinè sacrificio? cùm altare & sacrificium mutuò inter sese

referantur,& ſicutì non poteſt eſſe ſinè filio pater,ſic altaris natura & proprietas ſubſiſtere non poteſt ſinè ſacrificio & ſacerdote. Sicut igitur Apoſtolus præter crucis aram, in qua Chriſtus DEO patri corpus ſuum cruento modo immolauit,aliud adhuc altare cõmemorat,cui ſacerdotes noui teſtamenti deſeruiunt,ità neceſſariò conſequitur alium adhuc eſſe,eundemq; verum in nouo teſtamẽto ſacrificandi ſiue offerendi modum,etiamſi doceamus vnũ idẽq; eſſe ſacrificium. Et ſicutì Apoſtolus altare eo loci non μεταφορικῶς,
1. Cor. 9. ſed propriè accipit:ità conſequitur,huic proprio veroq; altari,proprium verumq; ſacrificium correſpondere. Porrò ſi metaphoram ſiue tranſlationem admittamus,non diffitemur cum ipſo Smidelino, alia multa ſacrificiorum genera poſſe accenſeri, ſicutì ipſemet
Im gegenbericht pa. 18. aduerſarius enumerat:Cuiuſmodi ſunt corpora noſtra,quandò ea
Rom. 12. iuxta Apoſtolum exhibemus hoſtiam viuam. Prætereà ſacrificium
Pſal. 50. ſpiritûs contribulati,& apud Oſeam,Reddemus vitulos labiorum
Oſeæ 14. noſtrorum. Et rurſùs apud Apoſtolum, Beneficentiæ & commu-
Heb. 13. nionis nolite obliuiſci:talibus enim hoſtijs promeretur Deus. Sed nemo tam eſt rudis,quin vel ſtatìm conſpiciat in huiuſmodi manifeſtam tranſlationem. Quia enim per ſacrificia illa legis externa res quædam ſpirituales potiores præſignabantur, eapropter illas ipſas res holocauſta,ſacrificia,hoſtias appellant ſacræ literæ. Nam vtì mactationes brutorum animantium figuræ erant mortificationis carnalium & irrationalium affectuum,qui regnant in corpore: ità carnis mortificatio huiuſmodi mactatione præfigurata, hoſtia non ineptè dicitur,non quidẽ propria,ſed figurata dictione. Cùm igitur hæ non propriẹ ſint hoſtiæ,ſed tranſlatæ,ſacerdotium quoq; non proprium,ſed tranſlatum & improprium erit: tranſlato verò ſacerdotio legis,& religionis quoq; tranſlatio conſequetur. Quocircà qui tantoperè in eo deſudant, vt verum & propriè ſumptum ſacrificium Eccleſiæ Catholicẹ eripiant, & ſola metaphorica trãſlataq; ſacrificia concedant,hi nihil aliud moliuntur,quàm vt cum vero ſacrificio veram hoſtiam, cum hoſtia altare, cum altari ſacerdotium,cum ſacerdotio legem & religionem vniuerſam aliò trãſferant,aboleant,extirpent,& tandèm neſcio quos pro legitimis ſacerdotibus coquos,fartores & lanios,pro altari menſas, pro hoſtia

capos,

capos, caseos & anseres (vt vult Smidelinus) substituant, taleq; habeamus sacerdotium, quale in diebus Ieroboam, qui de nouissimis populis fecit sacerdotes excelsorum. Quid enim prô Deûm & hominum fidem, aliud machinãtur nostri huius deploratissimi temporis Misoliturgi? Quid aliud hactenùs in ijs, in quibus pro libidine omnia sursùm deorsumq; iactitare permittũtur locis, aliud effecerunt? Quid aliud contendit tota sectariorum synagoga? Quid aliud molítur Caluinus, dum inter cætera quibus blasphemis contumelijs sacrificium altaris cum vniuersa Ecclesia & sacerdotibus petulantissima libidine subsannat, sic declamitat: Mensam nobis dedit Christus, in qua epulemur, non altare, super quod offeratur victima: Non sacerdotes consecrauit qui immolent, sed ministros, qui sacrum epulum distribuãt? &c. Quod quàm verè, immò quàm prophanè (nè quid acerbius dicam) asserat ille versutiarum infernaliũ callidissimus contextor, ex ijs quæ hucusquè diximus, colliquescit. Quantùm verò iniquitatis mysterium hæc doctrina alibì operetur, alijs expendendum commemorãdumq; relinquo. Apud nos quid in Baronatu quodam superiori anno contigerit, per totã Cliuiam in triuijs etiàm & cõpitis est decantatissimum. Parochus quidam notæ infamiæ & seditionis, abrogatæ Missæ picturis & statuis explosis, cœnam Dominicã (vtì eam appellitabat) nouo quodam & plusquàm Euãgelico ritu surrogauerat, & iam sequenti cõcione plerosq; pagi incolas in suum errorem protraxerat. Factum autem est, vt nonnulli ex ipsis cœnantibus, non tantùm non ieiuni aut etiàm sobrij, sed prorsùs velut iam benè cœnati, & ad ebrietatem vsq; suffarti, ad mensam (quam Dominicam reputabant) accederẽt, atq; adeò retro ipsum altare, vt publicitùs dicitur, vixdùm iam sumpta sacra buccella & calice, epulas vniuersas cum tota illuuie turpissimè refunderent: alij paulò temperantiores, ante accessum ad cœnam Euangelicã, post regressum, in ipsius Parochi ędib⁹ ità Baccho sacrificabant, vt neq; pes, neq; caput suum rectè obirẽt officium. Videlicet vt iam locum habeat in Christianorũ sacris illud, quod alicubì de gentilium sacrificijs ipse paganus narrat Aristoteles, Græcos nimirùm eam persuasionem habuisse, vt fas esse crederent, largioribus epulis & poculis sese rei diuinæ (quam in sa-

3. Reg. 13.

Caluin⁹ in Instit. ca. 18. de cœna Domini.

Cœlius ex Arist. lib. 12. lect. antiq. cap. 2.

crificijs peragebant)causa inuitare. Vndè & μεθύειν, hoc est, inebriari, deriuatum existimat, eô quòd μετὰ τὸ θύειν, id est, post sacrificiū μεθύοντες, hoc est, ebrij fierent. Eiusmodi temulentos epulones hęc Luterocaluiniana cœna nobis peperit. Porrò Illustriss. Cliuiæ, Iulię &c. Princeps, Parochum illum huiusmodi cœnæ conuiuatorem ꝓfligauit, profligato cùm propemodùm peiorem successisse cognosceret, compræhensum illū in exquisitos abstrusissimosq; Cygnææ turris carceres pręcipitauit. Ex ijs igitur quæ hactenùs diximus, patet, quo pacto voces, offerre & oblatio, accipiantur, duobus videlicet modis, genericè & specificè: Itē sacrificiū in scripturis, tū etiàm apud Patres bifariàm sumi, propriè & trāslatè, esseq; in ecclesia Catholica non solùm sacrificia per translationem & metaphoram accepta, sed insupèr proprium quoq; & verum sacrificium. Patet pręterea ex huius proprij veriq; sacrificij descriptione hactenùs tractata, Smidelinum nimìs generalem latamq; sacrificij definitiōem protulisse, quippè quę quibuslibet pijs & religiosis operibus con-
Ad Heb. 10. ueniat, putà eleemosynis, decimis, primitijs, orationibus &c. Sed nec Paulum Apostolum, nec Patres orthodoxos oblationis vocem ad sola piorum munera, capos, caseos, anseres retulisse, vt vult Misoliturgus, cùm Apostolus munera ab hostijs siue sacrificijs (nam
Heb. 5. sacrificium & pro ipsa actione sacrificij, & pro re quæ immolatur, rectè sumitur) manifestè distinguat, Omnis pontifex &c. constituitur, vt offerat doua & sacrificia pro peccatis.

Nunc superest, vt quoniam toto hoc capite varijs modis demōstrauimus Christum in vltima cœna nouam Noui testamenti oblationem Apostolos docuisse, vt loquitur D. Irenæus, hancq; oblationem (quod vocabulum nunc specificè pro vero proprioq; sacrificio accipimus) in pane & vino, quæ vtraq; in verum viuificumq; corpus & sanguinem Domini inscrutabili & planè stupendo, diuinissimoq; modo transsubstantiantur, consistere, eandemq; ex ꝓcedenti typo sacrificij Melchisedech, & exemplo Christi in vltima cœna Apostolis dato, tot iam seculis in ecclesia catholica ritè & ex Christi mandato peragi: his, inquam, nunc demonstratis, superest, vt eandem hanc nouam oblationem doceamus esse non eucharisticam, aut etiàm commemoratiuam tantùm, verùm etiàm propriū,
verum

verum & propitiatorium sacrificiũ, si priùs illud monuerimus, (vt nihil indiscussum in fuligine Smideliniana relinquamus) duo ista loca quæ Misoliturgus iam ex ordine aduersùs D. Georgium Lautherium ex Irenæo & Cypriano citat, vt propriam & propitiatoriã sacrificij altaris naturam obscuret, de generica oblationis & sacrificij significatiõe manifestissimè ab ipsis patribus esse accepta. Offerebant enim fideles in ipsa diuinissimi sacrificij actione etiàm panem & vinum, & id genus donaria, ad ministrorũ Ecclesię & pauperum sustentationem. Huiusmodi sacrificia, huiusmodi dona & munera non sanctificant hominem, vt inquit Irenæus, sed consciẽtia offerentis, pura existens, ea sanctificat. Nam queadmodùm Dauid de oratione dicit, Iniquitatem si adspexi in corde meo, nõ exaudiet Dominus: ità de eleemosynis & oblationibus rectè dicitur, talibus nos hostijs demereri Deum, si ex pura conscientia proueniant. De huiusmodi igitur sacrificijs & oblationibus ibì loquitur Irenęus, eoq; exemplum de vidua mittẽte in gazophylacium duo minuta, eodem in capite paulò superiùs adducit.

Im Gegenbericht von der Meß pag 19.

li.4.cap.34.

Psal.65.

Mar.11.

Cypriani quoq; locus ex sermone de eleemosyna desumptus, tam manifestè de ijsdem oblationibus de quibus iam diximus, loquitur, vt nec aduersarius quidem ipse inficietur.

Iam quod paulò pòst Concilij Matisconensis 1. Canonem 4. adfert, volens ex eo docere, viros paritèr & fœminas in ecclesia primitiua obtulisse panem & vinum, id verum est eo sensu, quo iam diximus ex Irenæo, nimirùm fideles tunc consueuisse non panem & vinum duntaxàt, sed alia quoq; munera sub ipsum sacrificiũ Altaris, & Eucharistię communicatiõem in vsum pauperum & ecclesię ministrorum, offerre, inter quę munera Smidelinus capos, caseos, & anseres recenset. Exemplum huius oblationis etiamnùm in quibusdam locis conspicitur, vbì legumina, frumenta, & id genus donaria populus, quilibet pro sua conditione, in ipsum altare offerre solet, maximè in solénibus festis, quod in Gallia Belgica visitatum esse conspeximus.

Im gegenbericht pa. 21.

Porrò an verè hinc inferat Smidelinus, (vtì conatur) viri & mulieres in ecclesia primitiua panem & vinum offerre consueuerunt, ergò malè faciunt Catholici, ꝙ vni alicui sacrifico in obscuro an-

gulo ad altare consistenti, tribuant offerendi siue sacrificandi facultatem, ex ijs quæ suprà diximus colliquescit, qn offerēdi vocem bifariàm sumi genericè & specificè demonstrauimus. Nam si offerendi vox ad sola dūtaxàt fidelium munera spectat, quid dicet aduersarius ad illud Tertulliani de velandis virginibus: Non permittitur mulieri in ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec vllius virilis muneris, nedùm sacerdotalis officij, sortem sibi vendicare? Item ad illud D. Ignatij, Non licet sinè episcopo offerre &c? Viri igitur & mulieres ad munerum, eleemosynarum, decimarū & id genus oblatiōes faciendas, indistinctè sempèr admissi sunt in Ecclesia: ad sacrificij verò altaris oblationem propriè sumptam, nequaquàm: hoc enim ne viris quidē omnibus, sed solìs dūtaxàt sacerdotibus, sempèr concessum fuit in Ecclesia Catholica.

Nunc igitur his errorum fumis discussis, doceamus, per sacerdotes Noui testamenti verum propitiatoriumq; sacrificium Deo Patri offerri in sancto Missæ sacrificio. Ad cuius rei fidem, tametsi vna Ecclesiæ authoritas satìs esset homini pacifico, nihilo seciùs pauca ex plurimis proferamus.

Heb. 5.

Omnis sacerdos, vt ad Hebræos tradit Apostolus, constituitur, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis: aut ergò nullus nobis est sacerdos, aut sacrificium habemus propitiatorium.

In enchiri. cap. 110.

D. Augustinus, cui vni ex tota antiquitate plurimùm tribuunt aduersarij, sic ait: Cùm sacrificia siue altaris, siue quarumcūq; eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valdè bonis gratiarum actiones sunt: pro non valdè malis, propitiationes sunt: pro valdè malis, etsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescunq; sunt viuorum consolatiōes. Nec est quod hoc Augustini dictum tanquàm subreptitium repudietur à Misoliturgo, cùm ipse D. Augustinus eam ipsam sententiam integram ad Dulcitium quæstione 2. ijs ipsis verbis recitet.

Rursùs sermone 32. de verbis Apostoli: Oratiōibus, inquit, sanctæ ecclesiæ & sacrificio salutari & eleemosynis, quę pro eorū spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum ☞ eis misericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Vndè hoc habes Augustine? Hoc enim à patribus traditū, in-

quit, vniuersa obseruat Ecclesia, vt pro eis qui in corporis & sanguinis CHRISTI communione defuncti sunt, cùm ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoq; id offerri commemoretur. Cùm verò eorum commemorandorum causa opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inanitèr allegantur? Non omninò ambigendum est ista prodesse defunctis, sed talibus, qui ità vixerunt ante mortem, vt possint eis hæc vtilia esse post mortē. lib.conf. 9. cap. 11. Atq; hoc est quod de pientissima matre sua Monica refert, eā cùm in extremis esset, ad filium Augustinū dixisse: Rogo vos, vt ad Dñi altare memineritis meî. Non minùs euidentèr loquitur inuictus Christi martyr D. Alexander: Crimina, inquit, atque peccata oblatis his Domino sacrificijs delentur. Rursùs: Talibus sacrificijs placatur Dominus, & peccata dimittet ingentia. Epist. 1.

Sed quid his luce clarioribus testimonijs apud hominem p̄fractum & suo ipsius iudicio (vt Apostolus inquit) condemnatū effecerimus, qui ea quæ Bredenbachius in suo de componen. dissidijs libello, de hoc propitiatorio sacrificio solidissimè luculētissimeq; docuit ex vetustissimis ecclesiæ Catholicæ Patribus, Dionysio, Ignatio, Clemēte, Cypriano, Tertulliano, Chrysostomo & reliq̃s, Pythagorico silentio, immò hæretica fraude, & conniuētibus oculis transilit? Vetat Cyprianus epist. 9. lib. 1. nè quis frater excedens, ad tutelam clericum nominaret: ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificiū pro dormitiōe eius celebraretur. Neq; enim ad altare meretur nominari in sacerdotum prece, inquit, qui ab altari sacerdotes & ministros siue Leuítas auocare voluit: inhibetq́; ibidèm Cyprianus clero Furnensi, nè pro dormitiōe Victoris fiat oblatio. Tit. 3.

D. Chrysostomi quoq; testimonium similitèr à Bredenbachio adductum, euidentissimis verbis sic habet: Non frustrà ab Apostolis sancitum est, vt in celebratione venerandorum mysteriorū memoria fiat eorum, qui hinc discesserūt. Nouerunt illis multū hinc emolumenti fieri, multum vtilitatis: stante siquidem vniuerso populo, manus in cælos extendente, cœtu item sacerdotali, verendoq́; posito sacrificio, quomodò Deum non placaremus, pro istis

orantes? Hæc omnia Smidelinus arte veteratoria prorsùs dissimulat, magìs ad ea mutus quàm piscis. Adde quòd Epiphanius Aëriũ hæreticum, Paschæ celebrationem simul & orationes pro defunctis inter cætera oppugnantem, operoso tractatu, eoq; Traditionis authoritate potissimùm subnixo, grauissimè cõfutat. Quid est Pascha, inquiebat Aërius, quod apud vos pficitur? Iudaicis fabulis rursùs addicti estis. Non enim oportet, inquit, Pascha peragere. Pascha enim nostrum immolatus est Christus. Deindè, qua ratione, inquiebat, post mortem nominatis nomina mortuorum? Subiungitque mox Epiphanius eandem Aërij calumniam, quam & hodiè contra preces pro defunctis proclamitare solent aduersarij: Si ominò preces eorũ qui hîc sunt, dicebat ille, prosunt illis qui istic sunt, igitur nemo sit pius, neq; boni quicquam faciat, sed acquirat amicos, per quem vult modum, aut per pecunias persuadens, aut amicis id in obitu demandans, & orent pro ipso, vt nè quid illic patiatur, neq; immedicabilia peccata ab ipso perpetrata requirantur. Criminatur deindè eodem in loco Aërius statos ieiuniorum dies: quod ipsum & nostris hæreticis est solenne. Non est igitur quòd glorietur Smidelinus cum suis gregalibus, se veteris Ecclesiæ doctrinam hactenùs collapsam instaurare, cùm hoc alia ratione verum nõ sit, nisì Ecclesiam intelligat malignantium, cuiusmodi sunt hæreticorum conciliabula, quorum paradoxa iam olìm ante annos mille ducentos publico ecclesię Catholicę decreto damnata sunt, & nũc per Misoliturgos & Sacramentarios ab inferis reuocata. Vt enim vetus est, nec nupèr primùm nata hæreticorum malitia, sic & veterem malignantium Ecclesiam non inscitè quispiam dixerit.

1. cor. 5.

Propitiatorium igitur esse altaris sacrificium, vniuersa sempèr agnouit antiquitas, vnanimis Patrum consensus asseruit, tota perpetuò credidit ecclesia Catholica, quæ Aëriũ viuis paritèr & mortuis bella mouentem respuit, Misoliturgos, Petrobrussianos, Vuicleffistas, Luteranos, Caluinistas, Buceraftros, Anabaptistas, Zuinglianos, & id genus homines, ad iugis sacrificij abolitionẽ per Antichristum excitandam prodromos, nunquàm agnouit.

Im Gegenbericht von der Meß pag. 19.

Nec concedimus, quod Misoliturgus noster inquit, Augustinũ & Chrysostomum expresse declarare, cur sacram cœnam appellẽt

sacri-

ſacrificium, nimirùm quia memoria ſit & gratiarum actio pro ſacrificio Christi ſemèl in cruce peracto: non, inquam, concedimus rectè hinc colligere Miſoliturgum, ſanctos patres his verbis negâſſe Euchariſtiæ ſacrificium, virtutem quoq; & energiam habere ſacrificij propitiatorij. Quemadmodùm enim nõ rectè collegit Caluinus, Euchariſtiam ideò à Patribus vocari ſacrificium, quoniã exemplar & imago ſit illius ſacrificij Crucis: ità nec Smidelinus vim & veritatum ſacrificij propitiatorij adimet cœnæ Dominicæ, eô ꝙ exemplar dicatur & imaginaria commemoratio Dominici ſacrificij in cruce peracti. Errorem hunc iam olìm ante annos circitèr trecentos grauitèr confutauit Innocentius III. in C. cum Marthæ, de celebrat. Miſſarum. Prætereà cùm noſtra ſacræ euchariſtiæ participatio, ſit commemoratio cœnæ Dominicæ, cur non cum ſacramẽtarijs & Caluino conatur eodem argumento etiàm veram corporis & ſanguinis Dominici in myſtica cœna perceptionem nobis eripere, quoniam cœnæ Dominicæ commemorationem in ea peragimus? Non videt homo ſuo iudicio lynceus, hoc gladio quem in Miſſæ ſacrificium ſtringit, ipſum Chriſti Domini corpus & ſanguinem confodi, peſſundari, & à ſacra cœnæ Dominicæ commemoratione, quam ipſius mandato facimus, prorsùs penitusq; ſubmoueri. Deindè, ſi euchariſtia idcircò proprium ſacrificij nomen non meretur, quia exẽplar dũtaxàt & repſentatiua cõmemoratio eſt ſacrificij in cruce pacti, multò minùs veteris legis ſacrificia ꝓpriè & verè fuerunt ſacrificia, quæ non exemplar (vt Chryſoſtomus à Smidelino citatus loquitur) aut commemoratio, ſed vmbra duntaxàt & typus erant illius hoſtiæ, quam Chriſtus moriens immolauit. Atquì illa quantunlibèt typica ſacrificia, vera tamen & propria ſacrificia fuerunt. Ego ſanè cum orthodoxis ità iudico, Euchariſtiã noſtram exemplar ſacrificij Chriſti eſſe non poſſe, nisì ipſa quoq; eſſet ſacrificium. Quemadmodùm enim cœna noſtra, non eſſet vera cœnæ Dominicæ commemoratio, imagoque illius & exemplar, nisì verè manducaremus: ſic nec Euchariſtia noſtra ſacrificij Chriſti vera eſſet abſolutaq; cõmemoratio, verumq; exemplar, nisì verè ſacrificaremus. Prætereà illud ex hoc Miſoliturgo quærimus, an non Patres orthodoxi vno conſenſu paſsìm teſtentur offerre ſacer-

Calu. in Inſtit. cap. 18.

cerdotes noui testamenti in hoc mysterio corpus & sanguinem Christi? An verò quia D. Augustinus dicit in sacrificio panis & vini fieri commemorationem & gratiarum actionem pro sacrificio in cruce peracto, & Chrysostomus exemplar esse istius sacrificij: an (inquam) idcircò negant corpus & sanguinem Christi horrendo stupendoq; potiùs, quàm scrutando mysterio, offerri in diuinissimo altaris sacrificio? Quid igitur, quòd D. Augustinus alibi ex-pressissimis verbis dicit: Vndè iam Christiani peracti eiusdem sacrificij memoriam celebrant sacrosancta oblatione & participatione corporis & sanguinis Christi? Et Chrysostomus tum alijs penè infinitis in locis, tum in libris de sacerdotio: Cùm (sacerdos) ille, inquit, spiritum sanctum inuocauerit, sacrificiumque illud horrore ac reuerentia plenissimum perfecerit, communi omniũ Domino manibus assiduè pertractato, quæro ex te, quorum illum in ordine collocabimus? quãtam verò ab eo integritatem exigemus? quantam religionem? Considera enim, quales manus illas administrantes esse oporteat, qualem linguã, quę verba illa effundat? Deniq; qua anima non puriorem sanctiorémve esse conueniat animam, quæ tantum illum, tamq; dignum spiritum receperit? Per id tempus & angeli sacerdoti assident, & cælestium potestatũ vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus, in illius honorẽ qui immolatur, angelorũ choris est plenus. Id quod credere abundè licet vel ex tanto illo sacrificio, quod tum peragitur &c. refertq; ibidèm Chrysostomus de stupẽdis angelorum visiõibus, sub huius tremendi sacrificij immolationem duobus quibusdam diuinitùs exhibitis. Et rursùs diuus Augustinus, de sacrificio corporis & sanguinis Domini in Eucharistia differens: Pro omnibus, inquit, veteris testamenti sacrificijs & oblationibus corpus Christi offertur, & participantibus ministratur. De hoc tam mirifico tremendoq; sacrificio D. Gregorius Nazianzenus admirabundus exclamat: O sacrificia mittentes incruenta sacerdotes, ô animarũ gloriosi custodes, ô magni figmentum Dei in manibus vestris ferentes.

Lib. 20. cap. 18. cõtra Faustum.

Lib. 17. de Ciuit. Dei cap. 20.

Agnoscunt igitur sancti Patres & verum in ecclesia corporis & sanguinis Christi sacrificium, & verissimum quoq; exemplar, verã figuram & imaginem (nam his quoquè nomenclaturis Ambrosius

&

& nonnulli alij vtuntur) istius cruenti sacrificij, alterum in externa forma & figura, alterum in re quæ inclusa atq; abdita latet in mysterio. Dicitur figura, exemplar & imago, quoniam hostiæ cruentæ imago est incruenta. Dicitur quoq; verum corporis Christi sacrificium, quoniam dum peragitur, virtus & efficacia sacrificij cruenti per incruentam hanc hostiam nobis communicatur.

Atq; hæc est differentia inter vmbram, quam vetus lex habuit, & figuram siue imaginem rerum, quam habemus in lege noua. Licèt enim vmbra & imago significatione non ità multùm discrepent, Paulus tamen Apostolus magno discrimine ea disiungit. Ait enim: Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum &c. Vmbræ siquidem veteris legis, symbola duntaxàt erant vacua, nullam efficientiam habentia. Quid enim inanius aut imbecillius vmbra? Euangelium verò viuas habet rerum imagines, non ad significationem duntaxàt, verùm etiàm ad efficiẽtiam. Sic panis & vini species, in eucharistia ità sunt symbola, figuræ & imagines, vt ipsam quoq; corporis & sanguinis Dñici veritatẽ, licèt sub ęnigmate, contineant. Sic & sacrificij Dominici in cœna Dominica commemoratio, ità est imago, figura & exemplar sacrificij in cruce peracti, vt ipsam quoq; veritatem cõplectatur. Huc pertinet istud Ambrosij, suprà à nobis adductum: Hîc vmbra, hîc imago, illic veritas. Vmbra in lege, imago in Euangelio, veritas in cælestibus. &c. Et rursùm alio in loco exponens ea verba: In imagine pertransit homo: Primùm, inquit, vmbra præcessit, secuta est imago, erit veritas. Vmbra in lege, imago in Euangelio, veritas in cælestibus. Vmbra Euangelij & ecclesiæ congregationis in lege: imago futurę veritatis in Euãgelio: veritas in iudicio Dei. Ergò quæ nunc celebrãtur in ecclesia, eorum vmbra erat in sermõibus Prophetarum: vmbra in diluuio, vmbra in rubro mari, quandò baptizati sunt patres nostri in nube & in mari: vmbra in petra, quæ aquam fluxit, & populum sequebatur. Nónne illud in vmbra erat sacrosancti huius mysterij sacramẽtum? Nónne vmbra erat aqua de petra quasi sanguis ex Christo, quæ fugientes se populos sequebatur, vt biberent & non sitirent, redimerentur, & non perirent? Sed iam discessit vmbra noctis & caligo Iudæorum, dies appropinquauit Ecclesiæ.

Heb. 10.

lib. 1. offi. ca. 48.

In Psal. 38.

Videmus nunc per imaginem bona,& tenemus imaginis bona: vidimus principem sacerdotum ad nos venientem, vidimus & audiuimus offerentem pro nobis sanguinem suum: sequamur (vt possumus) sacerdotes, vt offeramus pro populo sacrificium, etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio, quia etsi nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quādò Christi corpus offertur, immò ipse offerre minifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium quod offertur. Et ipse quidem nobis apud pa-
1.Ioan.2. trem aduocatus assistit, sed nunc cùm non videmus: tunc videbi-
1.Cor.13. mus, quandò imago transierit, veritas venerit: tunc iám non per speculum, sed facie ad faciem ea quæ perfecta sunt, videbuntur. Hæc ille, in quem locum D.Ioannes (de Eucharistia art.1.cap.54.) Gropperus: Est reuerà discrimen ingens, ait, inter imaginem & vmbram. Vmbra enim non nisì antecedens quoddam sacrum signum fuit tum adhuc futurorum bonorum: at in imagine iam bona illa reuerà tenemus & habemus, ità tamen, quòd inter eum habendi modum, quo nunc in imagine tenemus, & futurum illum, quo in nuda veritate eadem obtinebimus in cælis, hoc interest, quod hîc illa bona substantialitèr quidem, sed adhuc in mysterijs habemus, & per speculum videmus, at in cęlis omninò ea manifestè ha-
1.Cor.13. bituri & contemplaturi sumus facie ad faciem.

Vide hîc amice lector, inquit Gropperus, vt vir sanctus hac sua institutione inter veteris ac Noui Testamenti sacramenta hoc interesse probet, quòd illa designârint tantùm bona ventura, non autem eô quòd adhuc ventura essent, in se reuerà continuerint neque contulerint: hæc autem secundùm species externas, imagines quidem sint præsentium bonorum, quæ tamen reipsa vel realitèr in se contineant, & dum nobis porriguntur, etiàm certò nobis conferant & impertiantur id, quod ille exempli causa inter cętera per vmbram petræ & imaginem eucharistiæ adstruit, dicés, Pe-
1.Cor. 10. tram quidem patribus aquam typicam præbuisse, Christi auté veræ petræ & principis sacerdotum corpus verum contulisse sanguinem, illa aqua significatum: idemq; corpus quotidiè in ecclesia offerri à sacerdotibus, qui suum in hoc ipso sequantur pontificem, faciantq; quod ille iusserit, adeoq; Christũ ipsum adhuc ceu princi-

cipem sacerdotum vtrobiq; offerre, hîc quidem in sua Ecclesia per nos tanq̃ ministros suos, quibus ille hoc demandârit officij, quandoquidem illius sermo sanctificet sacrificium quod offert. In cęlis autẽ absq; medio per seipsum, quòd apud patrẽ nobis adsistat aduocatus, pro nobis interpellans. Itaque hîc illũ nos habere quidem substantialitèr, attamen videre eum non alitèr, q̃ in imagine & mysterijs sacramenti: porrò in cælis omni amoto integumento & mysterio, illum manifestè & facie ad faciẽ nos & habituros & visuros. Heb. 9.

Ad hanc verò, inquit, perspicuam & luculentam tanti viri doctrinam, perindè vt nix ad solis radios, magna pars friuolorum & futilium argumẽtorum, quibus aduersarij aërem verberant, planè dissipatur ac euanescit, vt quod ille his dictionibus ἀντίτυπον, imago, mysterium, mystica cœna, corpus mysticum, figura, exemplar, & id genus alijs, quas ex patribus hincindè excerpunt, & cõtra certam illorum mentem & sententiam fallacitèr deprauant, veritatem corporis Christi, vt Caluinus cum suis, & verum sacrificium in eucharistia, vt hæretici huius temporis omnes, impudẽtissimè oppugnare moliuntur.

Reliquos cauillos omnes, quos Smidelinus obijcit Georgio Lautherio, contra sacrosanctum Missæ sacrificium, non est neque huius loci neq; temporis refellere: ad præcipua iam respondimus, reliqua per Catholicos huius seculi scriptores iã olìm grauitèr solideq; refutata sunt: vt videre est apud Melchiorem Canum lib. 12. de locis Theologicis, Michaëlem Episcopum Merspurgensem in concionibus de sacrificio Missæ, Vuilhelmum Lindanum in Panoplia, Ioannem Gropperum de Eucharistia, Ambrosium Pelargum, & alios penè infinitos. Itaq; finem hîc faciemus, quandoquidẽ per temporis angustiã cętera prosequi prohibemur, nec eiusmodi sunt ea quæ obijciuntur, vt apud cordatos anxiã cõfutationẽ desiderẽt.

Cap. 19.

De communione sub vtraque specie.

Redit iam ad communiõem sub vtraq; specie, quo in themate graui sanè & arduo, dictu mirum, quàm salsas & parùm humanas facetias pasșim inspergat. Et sanè indignissimum est, quęstionem

onem iam olìm ante annos 130. communibus totius Ecclesiæ Catholicæ suffragijs definitam, denuò in controuersiam vocare, & vniuersum orbem noua tempestate cócutere. Si enim ea quę Oecumenicis cócilijs semèl determinata sunt, rursùm pertinacitèr in disputationem trahere conceditur: quid superest, quàm vt Arrius, Nestorius, Pelagius, Manes, Eutyches, & vniuersa illa hæreticorum colluuies ab inferis reuersa, nouis tumultibus terrarum orbem inuoluat? Iniuriam facit iudicio reuerendissimæ synodi, inquit Marcianus Imperator, si quis semèl iudicata & rectè disposita reuoluere & publicè disputare contenderit. Si decretis Conciliorum in controuersijs omnibus sempèr hucusq; acquieuit orbis vniuersus, quid est quòd Smidelinum, è fabrili fuligine proreptantem, vniuerso orbi obstrepentem, feramus? Sed iam ad Catholicæ consuetudinis & ecclesiasticæ legis defensionem accingamur. Et quidem omnis argumentatio vel ab authoritate, vel à ratione ducenda est. Authoritatem si sequamur, (quæ omninò sequenda est, cùm in fidei negocijs rationem posteriores obtinere necessum sit) plurimis testimonijs probari potest, alterius speciei communioné, primitiuæ Ecclesiæ non fuisse inusitatam. Quinimò nec Christus ipse, nec Apostoli sempèr & vbiq; calicem porrexisse leguntur. Grauissimi enim authores, Chrysostomus, Theophylactus & Augustinus disertis verbis & vnanimitèr adstruunt, Christum duobus discipulis in Emaunte corpus suum sub panis specie porrexisse. Et quod in Actis legit, Neophytos Christianos perseuerâsse in doctrina Apostolorum & communione fractionis panis & orationibus, de Eucharistia interpretâtur. Quid verò ad hęc Smidelinus? in dicto loco, inquit, hęc substâtialia cósecratióis verba, Hoc est corpus meus (sic enim Smidelino per ludibrium loqui libuit) non commemorantur. Quæ igitur potuit secúdùm sacrificulorum vestrorum sententiam consecratio facta esse?

In l. Nemo cler. c. de summa Tri. & fid. cath.

Luc. 24. Act. 2.

Sanè Christus in vltima cœna docens Apostolos modum sacratissimi corporis sui conficiédi, (sic enim Hieronymus & reliqui orthodoxi patres loquuntur) certam formam qua illud agerent, præscripsit: cui dum ipsum Christum alligare vult Smidelinus, vt ipse ab hac forma recedere nequeat, quis non exibilet hominis vecordiam?

diam?quis non impietatem eius execretur? Sed quæro ex te, Smideline,cùm Bredenbachius disertè demonstrârit,Chrysostomum, Theophylactum, & Augustinum,memoratum Lucæ locum ità exposuisse,vt affirment,Christum corpus suum discipulis in Emaunte porrexisse, cur instàr piscis obmutuisti? cur ad tam aperta testimonia non respondisti? Si repugnante conscientia mentitos eos dixeris,nulli tua fidem faciet oratio, cùm & toti orbi perspecta sit eorum integritas & sanctimonia,& te talem in re tanta accusationem instituentem, neutiquàm idoneum iudicent, qui præ illis fidem emerearis.Si errâsse,equidem hac in parte cum illis errare mâlim,quàm tecum fucatam veritatem amplecti.Porrò siue ibì Christus corpus suum porrexerit, siue non, illud nihilo seciùs liquidò appáret,communicationem alterius speciei, altera sacramenti parte non destitui,nec Christi instituto contrariam,nec ijs temporib' nouam aut inusitatam:hoc enim si verũ esset,Chrysostomus, Theophylactus & Augustinus,locum illum Lucæ de eucharistiæ Sacramento non interpretati essent. Sed & diù ante illorum tempora Clemens Alexandrinus anno Domini 180, alteram speciem vsitatam fuisse,luculentèr testatur.Etiàm Eucharistiam,inquit,cũ quidam,vt mos est,diuiserũt,permittitur vnicuiq; ex populo eius partem sumere. Quòd si omninò Christi exemplum vrgere velit Smidelinus,cur non vrget,vt & sub vesperum post cœnam sumatur? Liquidò enim appáret,inquit Augustinus, quandò primùm acceperunt discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos. Nunquid tamen propterea calumniandum est vniuersæ ecclesiæ,quòd à ieiunis sempèr accipitur?Quid,quòd eadẽ in cœna Dominus Apostolorum pedes lauit,idemq; facere expresso mandato præcepit?Si ego,inquit,laui pedes vestros Dominus & magister,& vos debetis alter alterius lauare pedes.Exemplum enim dedi vobis,vt quemadmodùm ego feci vobis,ità & vos faciatis. Cur tam graue præceptum, & tam exactè mandatum,non obseruatur? Cur nõ hîc quoq; transgredientem Ecclesiam calumniatur aduersarius?Nemo ignorat,quàm sancta, quàm illibata sit apud omnes testamentorum authoritas,vt quia ampliùs velle nõ possunt,vt inquit Iustinianus,vltima testatorum voluntas seruetur. Dominus

epist. 118.

Ioan.13.

autem Christus in ea cœna velut testatorem agens, & iam ad crucẽ iturus, nouum testamentum discipulis suis reliquit. Quid autem Paulus Apostolus de huius testamenti mysterio loquens, ait? Cætera, inquit, cùm venero, disponam. An cuiusquam tãta erit authoritas, vt ipsius Christi testamento vel addere aliquid, vel noui quid in eo disponere audeat aut possit? Si nefas est, mortalem mortalis hominis testamento quid addere, vel in eo nouare, cur ô Paule ais, te cætera dispositurum? Respondet Augustinus: Ideò non præcepit (Christus,) quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis per quos ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum. insinuatq; ibidèm Augustinus, Apostolum ordinem quendam instituisse circa hoc sacramentum, quẽ vniuersa per orbẽ seruaret ecclesia. Vndè illud & hìc & in alijs multis obseruatu dignum est, maximam esse ecclesiæ potestatem circa externa. Principiò enim, si mandatum Christi de baptismo inspiciamus, patet quòd verbũ, baptizare, insinuet immersionem totius corporis in aquam, totoq; corpore homines in aquam solebant immergi. Sed cùm infirmiorũ valetudo hac ratione læderetur, declarauit D. Cyprianus etiàm (lib. 4. epist. 7.) illos rectè baptizari, qui duntaxàt aqua adspergerentur: agitque tota illa epistola Cyprianus, vt demonstret sacramenta non vsqueadeò rigidæ & externæ obseruationi alligata. Adde quòd nec minùs vrget mandatum illud de externa pedum lotione, vt suprà retulimus, quàm illa verba, Bibite ex hoc omnes: & D. Cyprianus testatur, Christum non lauisse modò Apostolis pedes, verùm etiàm solenni deuotione præcepisse & instituisse, vt idem deincèps facerent Apostoli: & tamen expressum illud præceptum, & mirè ad fouendam charitatem conducens, Ecclesia prorsùs omittit, non alia sanè de causa, quàm vt ex D. Augustino colligitur, nè putetur esse rebaptizatio, nè huic errori vlla dareẽ occasio. Possunt & alia plurima Dei mandata de rebus externis recenseri, quæ tamen ecclesia paulatìm prætermisit. Iam vt ad augustissimum Eucharistiæ sacramentum redeamus, quis non videt, quantam in eo libertatem ecclesia iure suo sempèr vsurpauerit? Nam D. Leonis primi temporibus exurgentibus Manichæis, & vini speciem declinãtibus, vt exangue & phantasticum corpus Christũ assumpsisse insinuarent, disertè

[Margin notes: 1. Cor. 11. — Epist. 18. ad Ianuarium. — Ioan. 13. — In serm. de vncti. chris.]

fertè pcepit ecclesia, vt vniuersi vtranq; sacraméti specié sumerent, vt ità manifesti fierét Manichæi: quò & spectat Gelasij canon, quãuìs Smidelinus per inscitiã aliò eum torqueat. Superiori verò seculo cùm Ioannes Huss vtranq; speciem extorquere contenderet, Oecumenicũ conciliũ pertinacé eius erroré damnauit, decernés, vnam specié ad sacramenti cõmunicationem sufficere, alteriusq́ue omissioné iustissimis grauissimisq́ue de causis introductam, quod quia hactenùs à nobis mediocritèr demonstratum est, & plurimis grauissimisq; testimonijs à summis viris luce meridiana clariùs traditum, nolumus operosiori explicatiõe in re explicatissima laborare. Quòd igitur ad authoritaté attinet, existimo à nobis affatìm pbatum, alterius speciei cõmuniõem summa authorirate & recta ratione ab ecclesia hactenùs vsurpatã, tametsi sola suijpsius authoritas abundè ipsi sufficeret. Possem, inquit Hieron. omes ppositionũ riuulos vno ecclesiæ sole siccare. Nunc breuitèr aliquot rationes, q̃ idem suadere & confirmare possint, adferemus. Et inprimìs quidé, si tm̃ admittit flagitiũ ecclesia, ꝙ alterã duntaxàt specié laicis & sacerdotibus nõ celebrãtibus administrat, qua ratiõe factũ est, vt per tanta temporum spatia, quibꝰ alterius speciei cõmunicatio recepta fuit, nullũ habuerit vniuersa ecclesia q staret à veritate, qui clamaret & pfiteref, vtranq; specié sibi & vniuersis fidelibꝰ tãtoperè necessariã, cùm nunq̃ ecclesię defuerint aliquot viri boni, quorũ tãta esset pietas & fidei virtus, vt etiàm reclamante orbe vniuerso. & vel extrema intentante, veritaté quæ scitu necessaria videref Ecclesiæ, nunquàm fuerint tacituri. Seruauerat sibi Dominus in Israëlis plebecula flagitijs & infidelitate corrupta, septem millia virorum: & Christiana Respublica, per vniuersum orbem penè diffusa, tanto tempore nullũ habuerit, qui pressam veritaté libero & intrepido animo vindicauerit? Accedit ꝙ nec emolumentum aliquod redeat ad Pontifices, episcopos & sacerdotes ex hac vnius speciei consuetudine, vt vel hunc colorem ptexere possent aduersarij. Postremò canonibus cautũ est, quid faciendũ si sacerdos quid per incuriam de sanguine Domini profundat in trrram: de laicis verò, vbì propter multitudinem & alia multa, longè maius periculum est, nihil tale constitutum legimus.

Aduersùs Lucifer.

CAP. 20.

Aduersariorum testimonijs docetur, non esse necessariã vtriusque speciei communionem.

PRogrediamur nunc ad aduersariorum doctrinam, & vel ipsorum testimonio doceamus, non esse necessariam vtriusq; speciei communionẽ, quãtunuìs mordicùs eam asseueret Smidelinus, vt catholicis negocium facessat, & tumultibus ac dissidijs omnia conturbet. Ipse Luterus in assertionibus contra Leonem Pontificem, & in libro de formula Missæ apertè docet, neq; vnam speciem, neq; vtranq; esse necessariam: Solam fidem sufficere. Item, quòd si concilium statueret sub vtraque specie communicandum, tum contrà aut sub vna specie debeant laici communicare, aut etiàm vtranq; reijcere.

Eadem de causa Smidelinus ait Missam esse idolum, quo horribilius hic mundus non vidit, eô quòd cum articulo iustificationis pugnet. Quamobrem si nec vna, nec vtraq; species necessaria est, & vel Smidelino teste, Sola fides iustificat, vt quid de externis speciebus tam contentiosè digladiatur? Obsecro hîc pium & cordatum lectorem, vt hæc Luteri & Smidelini verba consideret, & expendat, quo spiritu agitentur illi, qui tam seditiosis clamoribus ad cõtentiones, schismata & sectas classicum canunt, qui vt omnia sursùm deorsùm iactent ac dissensionibus commisceant, ne ipsi quidem secum sentire possunt, sed tanquàm turbidum fretum & Euripus aliquis diuersis opinionibus aguntur & feruntur. Enumerat enim Casparus Querhamer trigintasex pugnantes Luteri de Eucharistiæ speciebus sententias, quibus nunc ait, nunc negat vtrãq; speciem necessariam. Sed & idem Luterus in lib. de captiuitate Babylonica (vt refert Dñs Vuilhelmus Lindanus) apertè dicit, illis verbis, Bibite ex eo omnes, Christum non præcepisse vlla sacramẽti communione vti, sed cuiusq; reliquisse arbitrio, dicens: Quotiescunquè hæc feceritis &c. Et in libro ad Bohemos scripto: Quoniam, inquit, pulchrum quidem esset, vtraq; specie vti, & Christus hac in re nihil tanquàm necessarium præceperit, præstaret pacem & vnitatem (quæ vtiq; Christus præcepit) sectari, quàm de speciebus Sacramenti contendere. Et rursùm in declaratione Eucharistiæ

stiæ: Non dixi, inquit, neq; consului, neq; est cōtentio mea, vt vnus aut aliquot episcopi propria authoritate incipiant alicui vtranque speciem porrigere, nisi ità constitueretur ac mādaretur in concilio generali. Melanchthon quoq; in locis communibus suis, posteà recognitis ait, vtriusq; speciei communionem adiaphoram, nō necessariam. Cur nō his magistrorum suorum placitis acquiescit hic obturbator, cuius improbam leuitatem, & cæcam rixandi libidinē quis non execretur? Cæterùm audiamus, quàm fabrilitèr Smidel. in lib. aduers. Reuerēd. Hosium adductā suprà Luteri sententiā de speciebus sacramenti, conetur excusare. Docuit Luterus vtraque parte sacramenti vtendū, inquit, non quia conciliū decreuerit, sed quia Christus instituerit hoc modo & nō alitèr dispēsari, &c. Quid igitur dicis ꝙ Luterus, decernente vtranque speciem concilio, aut alteram, aut neutrā se recepturū ꝓclamauit? Num & hoc instituti-oni Christi futurum erat consentaneum, quam dicitis vtranq; speciem ꝑcipere? Certè hinc liquet, Luterum non tam Christi institutionem spectâsse, quam vt tumultum & seditionem excitaret, quē-admodùm aliquādo in disputatione contra Eckiū palàm vociferatus est, Hęc res neq; propter Deum cœpta est, neq; propter Deum finietur.

CAP. 21.

Confutantur Argumenta Smidelini pro defensione vtriusq; speciei.

Restat iam vt audiamus, quibus argumētis Smidelinus vtrāq; speciem adstruere moliatur. Si, inquit, Christus non nisì ad Apostolos dixit, Bibite: necessariò sequitur, etiàm priorem Sacramenti partē nihil ad Laicos pertinere. Smid.

Respondemus Christum quidem non mandâsse, vt Laici vtrāq; Sacramenti speciem percipiant, non tamen voluisse eos huius Sacramenti fructu priuari, qui non minor ex vna, quàm vtraq; specie percipitur. Bred.

Pergit Smidelinus: Vnum plausibile adferunt, sed quod ex diametro cum mandato Christi pugnat: Corpus Christi non est sinè sanguine, Ecclesiam igitur sub vna specie non defraudari, aut pri- Smid.

uari sanguine Christi. Ad hoc respõdemus, Christum non pręcepisse sanguinem suum edere, sed bibere. Fames & sitis indè oriuntur naturalitèr, quòd ijs q̃ ad vitam requirũtur, corpus se destitutum agnoscat: vndè si vegetum sit, & nullum vitæ vel stomachi incommodum sentiat, famem & sitim non persentiscit. Christus autem dixit, Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet vnquàm. Igitur ad sanctam illam & spiritualem animæ fidelis esuriem & sitim exatiãdam, sufficit hic panis, &, sinè qua idem vtilitèr sumi non potest, recta fides in Christũ. quorum igitur fames & sitis hoc modo satiatur, illi reuerà edisse & bibisse censendi sunt. Qui manducat me, inquit Christus, vita viuet propter me. Si vita viuet, necessum est vt Christus eum cibet & potet: quod tum vtiq; facit, quandò recta & integra fide & charitate manducatur. Smidelinus verò admodùm crasè hìc nugať, vt huic argumento, vel ipsius testimõio plausibili, saltem aliquo modo respondere videatur. More omnium hæreticorũ, externę literæ mordicùs inhæret, non agnoscens etiàm natura ità comparatum esse, vt cibi quidam, potûs quoq; naturam habeãt, simulq; famem & sitim restinguant, & medici potiones quasdam cibales appellant, eô q̃ & cibandi & potandi efficaciam habeant. Si rebus naturalibus hęc inest facultas, & non immeritò bibisse & comedisse dicuntur, qui hac ratione famem & sitim exatiant, quid de illo pane ἐπιουσίῳ & supersubstantiali dicemus? Hunc panem participãtes edimus, & in Christum credentes bibimus, immò manducantes hûc panem, viuemus in æternum. Si vitam præstat æternam, omnem esuriem & sitim tollit. Sed inquit Smidelinus: Duo sunt verba, ede & bibe: & hoc vt nobis persuadeat, iuxta formulã ex Donato petitã, vtrunq; declinat. Ambo sunt tertiæ declinationis, inquit, & coniugantur sicut lego: Imperatiuo modo tẽpore p̃senti, ad secũdam & tertiam p̃sonã, bibe, bibat: & pluralitèr, bibamꝰ, bibite, bibãt. Sic & edo: Imperatiuo modo tẽpore p̃senti, ad secundã & tertiam personã, ede, edat: & pluralitèr, edamus, edite, edãt. Vides, inquit, duo esse verba.

Bred.

Ioan. 6. & 7.

Ioan. 6.

Quid vobis videť de hoc Vulcano? an vt nobis persuadeat, edere & bibere, duo esse verba, opùs est imperatiuo modo tempore præsenti &c? Certè hoc tempore præsenti admodùm opùs esset, ta-

lis

ſis nebulonis perſonam imperatiuo aliquo modo, non ſecundùm regulas Donati coniugare, ſed ad formulam carnificis ad rotã inclinare, & ſecundo vel tertio ictu, vel ſi mâuis, & pluralitèr coniugare ad illius perſonam verbum τύπτω. Mirum in modum ille malleator delectatur facetijs, easq; tum vel maximè adſpergit, quandò ſolida ratione elabi non poteſt. Nè igitur in nobis culpet graue & tetricum ſupercilium, hæc qualiacunq; voluimus repẽdere, nè deſit quo ſe oblectet. Sed ad rem. Quemadmodùm ede & bibe ſunt duo verba, ità caro & ſanguis ſunt diuerſa: hic bibitur naturalitèr, illa comeditur. Vtrunq; autem ſub corpore Chriſti cõtinetur, ipſo Smidelino teſte: ergò qui Chriſti corpus mãducat, carnem & ſanguinem eius ſumit: quo ſumpto, ediſſe & bibiſſe dicendus eſt. Porrò quòd ad hanc controuerſiam attinet, quemadmodùm vtriuſq; ſpeciei ſumptionem nemo per ſe malam rectè exiſtimauerit: ità illorum ſeditioſos clamores, omnes pacis amantes abominãtur, qui in alterius ſpeciei diſtributione eccleſiam erroris & ſacrilegij accuſant, quam cùm tam grauitèr præceperit Chriſtus Dominus audiendam, equidem mâlim in vnius ſpeciei ſumptione acquieſcere, ſub qua totum Chriſtum cõtineri nec ipſe Smidelinus diffitetur, quàm rupto vnitatis vinculo, ab eccleſia ſegregari. Neq; dubito illorum affectum æquè aut etiàm magìs gratum eſſe Chriſto, qui ſolliciti ſunt ſeruare vnitatẽ in vinculo pacis, atquè illorũ, qui priuata quadã ſolicitudine anxij ſunt, nè violetur inſtitutio Chr̃i. Si q̃ ſunt cauſæ, q̃ videntur vtranq; ſpeciẽ repoſcere, has ipſi eccleſię diſcutiendas & examinandas relinquo: illã audire mâlim, q̃ priuato arbitrio conſuetudinẽ, q̃ eccleſiæ repugnet, amplecti. Nunc à Donato ad D. Bartholomęũ Latomũ digreditur, & vt Bredenbachiũ nonnihil excuſet, ait illi minùs vitio vertendũ, ꝙ erroris & blaſphemię ſociũ habeat Bartholomæũ Latomũ. Sed opinor D. Latomũ, pro ingenij ſui dexteritate & eruditionis præſtantia, ſatisfeciſſe Smidelino, vt non opùs habeat de tam audaci & gladiatorio incurſu magnum encomium decantare. Matt. 18.

CAP. 22.

Solos ſacerdotes ſacrificare, & ſacramentũ eucharistiæ conficere poſſe, Et an Christus ſecundũ humanã naturã ſit vbiq;, vt vult Smidel. cõtra Ingolstadian.

Per-

PErgit Smidelinus: Sed quod ſubiungit, Nos doctrina de communione ſub vtraq; ſpecie, ſubtrahere eccleſiæ totum Sacramentum, & loco eius apponere noſtrum idolum, qualis ſit collectio, videamus. Quia, inquit, Euchariſtia non poſſit à quouis homine cõfici &c. Bonus Grammaticus ignotum per æquè ignotum, & falſum per æquè falſum probat. Non niſi vnctos & raſos ſacrificulos ſacrificare ſiue ſacramenta adminiſtrare poſſe, primitiuæ ac puriori eccleſiæ prorsùs ignotum fuit.

Smid.

Immò Smideline tua hæc blaſphema doctrina, primitiuę illi Eccleſiæ prorsùs ignota fuit: noſtra autẽ & vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudo, notiſſima. Cur autem tam improbè & veſanè aſſeris, prorsùs eam primitiuæ eccleſiæ fuiſſe ignotam? nónne luculentiſſimis & irrefutabilibus teſtimonijs idipſum Bredenbachius demonſtrauit? quæ ſanè vel per ſocordiam non legiſſe, vel per malitiam diſſimulâſſe te, luculẽtèr appáret. Adduxit ille D. Ignatium martyrem, & D. Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ diſcipulum in epiſtola decima ad Smyrnenſes, vbì his verbis de hoc ſacrificio & ſacrificante loquitur: Omnes epiſcopum ſequimini ſicut Ieſus patrem, presbyteros ſicut Apoſtolos. Diaconos autem veneramini ſicut Dei mandato miniſtrantes. Nemo præter epiſcopum aliquid agat eorum, q̃ ad Eccleſiam pertinent: firma euchariſtia reputetur, quæ ab epiſcopo conceſſa fuerit: vbì epiſcopus præſens fuerit, illuc & plebs congregetur. Et poſt pauca: Propterea, inquit, non licèt ſinè epiſcopo neq; offerre, neq; ſacrificium immolare, neq; Miſſas celebrare. Sed ſi ei viſum fuerit, &c. D. Clemens in epiſtola tertia ad Iacobũ fratrem Domini: Quoniam, inquit, in alijs locis ſacrificare, & Miſſas celebrare non licet, niſì in his, in quibus epiſcopus propiùs iuſſerit, aut ab epiſcopo regularitèr ordinato, tenente videlicet ciuitatem, conſecratus fuerit. Hæc Apoſtoli à Domino acceperunt, & nobis tradiderunt &c. Tertullianus quoq; inter ſacerdotũ munia numerat, offerre. Eccè his & alijs id genus teſtimonijs Bredẽbachius docuit, Sacerdotum eſſe offerre & ſacrificare: qua fronte igitur negare audes, primitiuæ Eccleſiæ hanc doctrinam prorsùs ignotam fuiſſe? O impudẽtiam plusq̃ Cynicam, ô impietatẽ plusq̃ ſacrilegam. Sed vt euidentior fiat hominis vel ſtupẽda imperitia, vel cæca menti-

Bred.

tiendi libido: quæro ex hoc obturbatore, cur Paulus ad Corinthios dicat, Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei? Item ad Hebræos 5. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus cõstituitur, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis &c. Sed & laudatissimus Pontifex & martyr Telesphorus, octauus à Petro in sede Romana, Missarum celebrandarum tempus statuit, & sacerdotes huius mysterij proprios ministros appellat, & tandèm inter cætera: Hi, inquit, qui proprio ore corpus Domini conficiunt, ab omnibus sunt audiendi. Idem confirmat Põtianus Martyr & Pontifex sanctissimus: Sacerdotes, inquit, sibi ad seruiendum asseruit, & familiares intantùm sibi esse voluit, vt etiàm aliorum hostias per eos acceptaret, atq; eorũ peccata donaret, sibiq; reconciliaret: ipsi quoq; ꝓprio ore corpus Dñi conficiunt, & populis tradunt.

1. Cor. 4.

In epist. de non vexan. sacerdot.

Quibus verbis & Dominici corporis veritas, & sacerdotum in eo consecrando seu, vt martyr loquitur, conficiendo potestas luculentèr asseritur. Sed & D. Fabianum, qui tempore Philippi Imperatoris Martyrio coronatus est, clarissimis verbis hanc controuersiam definientem audiamus: Sacerdotes, inquit, Dominus sibi elegit, vt sacrificent, & offerant Domini oblationes. Sed quis oĩm in hanc sententiam testimonia recensuerit? Vnum adhuc addam, quod vel solum huius hominis stupendam improbitatem abundè refutauerit. Trecẽti duodeuiginti episcopi catholici, Constantini studio Niceæ congregati, hunc canonem, qui est ordine 14. statuerũt: ὄυτε ὁ κανὼν, ὄυτε ἡ συνηθεία παρέδωκεν τοὺσ μὴ ἔχοντασ ἐξουσίαν προσφέρειν τοῖσ προσφέρουσι διδῶναι τὸ σῶμα τοῦ χριστοῦ: Neq; cõstitutio ecclesiastica, inquit, neq; consuetudo prodidit, vt ij qui offerendi potestate non sunt præditi, id est, diacones, corpus Domini sacrificis porrigant. Neutiq̃ igitur primitiuæ ecclesiæ ignotum fuit, solos sacerdotes sacrificare posse: sed Smidelinus abũdè testatur, sibi ignotissimum esse primitiuæ ecclesiæ statum & conditionem. Quod si falsum est, demonstret, qñ non sacerdotes sacramenta administrârint, & eucharistiã consecrârint in ecclesia Catholica: quod facere poterit nunquàm. Hoc sacramentũ (Eucharistiæ) nemo potest cõficere, inquiunt Patres maximi illius & œcumenici cõcilij Lateranensis,

Sub Innoc. III.

nensis, nisi sacerdos fuerit, ritè ordinatus secundùm claues ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis & eorum successorib⁹ Iesus Christus, &c. Quid quòd & ipse Brentius tuus, in confessione Vuirtenbergeñ adducit illum Dionysij locum ex Hierarchia Ecclesiastica: Pontifex, cùm diuina munera laude prosecutus fuerit, Sacrosancta & augustissima mysteria conficit &c? Et Melanchthon in posteriori locorum cōmunium editione, ordinis sacramentum agnoscit, nec quenuis ad mysteriorum dispensationem admittit. Sed & ipsa confessio vestra Augustana anni 1530. sic habet: De ordine ecclesiastico docent, ꝙ nemo debeat in ecclesia publicè docere, aut sacraméta administrare, nisi ritè vocatus. Vides, Smideline, vestrā confessionem tribuere solis ritè vocatis sacramentorum administrationem, & tuum Brentium ex Dionysio docere, augustissimorū mysteriorum confectionem ad Pōtificem, id est, sacerdotem pertinere. Quādò igitur constat Luterum sustulisse sacerdotium, cùm oēs hoīes ęquè sacerdotes esse adstruat, & tu Smideline repugnāte vestra confessione, refutante Brentio, & tot testimonijs iam à nobis commemoratis, diuersum adstruentibus, nihilo seciùs profanis & non sacerdotibus huius sacramenti administrationem concedis: quæso te, nónne vniuerso sacraméto nos fraudare conaris? Quod si negas, in promptu est alia ratio, qua id manifestū faciamus. Euulgâsti nupèr Tubingæ quasdam theses, Christi humanitatis maiestatem (si dijs placet) asserétes, quibus docuisti, Christū secundùm humanam naturam non minùs vbiq; præsentem esse, quàm secundùm diuinam. Ex quo sanè principiò consequitur, (vtì Ingolstadiani Theologi idipsum docuerunt) nihil singulare aut admirabile in Eucharistiæ sacramènto accidere, quantùm ad præsentiam corporis & sanguinis Christi attinet, quod non in cæteris itidèm rebus omnibus & creaturis vsu veniat. Negabis hæc te scripsisse? Atquì hæc sunt verba tua: Cū diuinitas in vnitatē personæ assumpserit hominem, cuius ratio & definitio est plenitudinis Dei communicatio, in quo omnis diuinitas corporaliteèr inhabitat: sequitur, ipsam quoq; humanitatem Christi, vbiq; esse præsentem &c. Thesi 34. Quod sanè quàm ineptum sit & ἀπροσδιόνυσον, hæreticum deniq; & blasphemum, Euangelicæ literæ non vno in loco testatum

Vbiquitas Brētij filia, asseritur ab obstetricatore.

faci-

faciunt. Ioan. 11. disertis verbis ait Christus: Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi: sed eamus ad eum. Quod vis euidentiùs habere testimonium Smideline? Respondebis fortasse, Christum hoc ante resurrectionem dixisse, antequàm esset clarificatus: verùm post resurrectionem, Christi humanitatem diuinitatis plenitudinum participâsse, atq; tunc demũ ipsam quoq; Christi humanitatem vbiq; præsentem fuisse. Cæterùm & hoc manifestæ vanitatis arguunt Euãgelicæ scripturæ, quas tantoperè vobis vendicatis. Mulieribus manè Dominum in sepulcro quærentibus, angelus respõdit: Non est hîc, surrexit, & ecce pcedet vos in Galilęam: ibi eum videbitis. Et D. Augustinus cum Dardano de præsentia Dei disputans, ait, carni & substantiæ hominis Christi, immortalitatem donatam, naturam tamen non esse ablatam. Secundùm hanc formam, inquit, nõ est putandus (Christ⁹) vbiq; diffusus. Cauẽdum est enim, nè ità diuinitatem adstruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non est autem consequẽs, vt quod in Deo est, ità sit vbiq; vt Deus. Nam & de nobis veracissima scriptura dicit, quòd in illo viuim⁹, & mouemur, & sum⁹: nec tamen sicut ille, vbiq; sumus, sed alitèr homo ille in Deo, quoniam alitèr & Deus ille in homine, proprio quodã & singulari modo. Vna enim persona, Deus & homo est, & vtrunq; est vnus Christus IESVS, vbiq; per id quod Deus est: in cælo autem per id quod homo. Hæc ille. Et Theophylactus (in 6. cap. Ioã.) Nõ, inquit, quia vniuit sibi Deus carnem secũdùm ineffabilem contemperationẽ, viuifica est caro, non quòd in Dei naturam transierit, absit: sed ad similitudinem candentis ferri, quod & ferrum manet, & ignis ostẽdit operationem. Sic igitur & DOMINI caro manens caro, viuifica est, sicut DEI caro &c. Quid ad hęc obmurmurabis Smideline? Nondùm sustines agnoscere tuam comminiscendi errores libidinem? Nondùm desines orbem vniuersum cæcitatis arguere, & tibi soli scripturarum cognitionem vendicare? Dolet tibi fortasis, ꝙ nondùm ex discipulo in magistrum & hæresiarchã euaseris, eoq;, nouam te hæresim fabricare oportuit, (nisi fortè Nestorij & Brentij magisterium sequaris) vt nouus Apostolus, immò noxius apostata, illustri appellatione celebreris. Tentanda via est, qua

Matt. 28.
Epist. 67.
Act. 17.

te quoq; possis tollere humo, doctorq; virûm volitare per ora.

CAP. 23.

Tonsuræ Ecclesiasticæ antiquitas demonstratur.

vide sup. ca. 2. eius. lib.

PORrò quòd inuidioso vocabulo rasos & vnctos vocas sacerdotes, rursùm te omnis antiquitatis & Christianarum obseruationum imperitissimum declaras. vt verè dixerit Comicus, Homine imperito nihil quicquam iniustius.

Quòd enim clericorum ordo capillitiũ habeat certo modo attonsum, id ex Apostolorum defluxisse exemplo disertè testatur D. Germanus Archiepiscopus Constantinopolitanus in historia sua Ecclesiastica, siue mystica theoria. Gemina, inquit, in sacerdotis capite circunfusa corona ex capillorum figura, significat venerandũ Apostoli Petri caput, quod illi Christum Dominum prędicanti derasum fuit ab ijs, qui Euangelio non crediderunt, ludibrij causa, cui Christus benedixit, & contumeliam vertit in honorẽ, ludibriumq; in gloriam. Huic D. Germani sententiæ mirificè suffragatur venerandus Coelfridus Ingrinensis in Anglia olìm ad Tinam fluuium Abbas, qui Naitano Pictorum in Septentrionali Anglia Regi ante annos 800. scripsit in hæc verba, quæ venerab. Beda illius fidelissimus collega commemorat lib. 5. histor. Ecclesiast. Anglic. ca. 22. Verùm, inquit, his de Pascha succinctè, vt petîstis, commemoratis, tõsuram quoq; (de qua paritèr vobis literas fieri voluistis) hortor vt ecclesiasticam & Christianæ fidei congruam habere curetis. Et quidem scimus, quia nec Apostoli om̃es vno eodemq; sint modo attonsi. Et post pauca: Inter omnes tamen, quas vel in Ecclesia, vel in vniuerso hominum genere reperimus tonsuras, nullam magìs sequendam amplectendamq; iurè dixerim ea, quam in capite suo gestabat ille, cui se confitenti Dominus ait, Tu es Petrus, &c. Neq; verò ob id tantùm in coronam tõdemur, quia Petrus, ità attonsus, sed quia Petrus in memoriam Dominicę passionis ità attonsus est, idcircò & nos, qui per eandem passionem saluari desideramus, ipsius passionis signum in vertice, summa videlicet corporis nostri parte, gestamus. Sicut enim omnis Ecclesia, q̃ per mortem sui viuificatoris ecclesia facta est, signum sanctæ crucis eius in fronte

Tõsuræ ecclesiasticæ antiquitas.

Matt. 16.

fronte portare consueuit, vt crebrò vexilli huius munimine, à malignorum spirituum defendatur incursibus: crebra huius admonitione doceatur, se quoq; carnem suam cum vitijs & concupiscentijs crucifigere debere: ità etiàm oportet eos, qui vel monachi votum, vel gradum clericatûs habentes, arctioribus se necessè habent pro Domino continentiæ frenis adstringere. Formam quoq; coronæ, quam ipse in passione sua spineam portauit in capite, vt spinas ac tribulos peccatorum nostrorum portaret, id est, exportaret & auferret à nobis, suo quenq; in capite per tonsuram præferre: Vt se irrisiones & opprobria pro illo libentèr & prompto animo sufferre, ipso etiàm frontispicio doceát: Vt coronam vitæ, quam repromisit Deus diligétibus se, sempèr se expectare, pręq; huius perceptione & aduersa se mundi & prospera contemnere designent. Hæc ille.

Sic & in concilio Triburiensi can. 20. Clerici in hoc raduntur, vt solicitudiné coronæ Domini in capitibus suis gerant. Et in concilio Toletano 4. can. 40. seuerè præcipitur, vt clerici omnes coronam gestent, & varij ritus tondendi ibidèm insinuantur. D. Isidorus quoq; archiepiscopus Hispalensis, iam olìm ante annos nógentos tonsuræ mysterium in sacerdotibus explicuit lib. 2. de ecclesiast. officijs cap. 4. Sed & longè antiquior eo Dionysius Areopag. lib. de ecclesiast. Hierarchia cap. 6. expressè scribit, monachos sui temporis in consecratione attonsos fuisse. Cuius & Iustinianus Imperator disertè meminit. Et D. Augustinus grauitèr inuehitur in monachos tonsuram recusantes, lib. de opere monachorũ circa finem. Eas iam crinite, & exibiles tonsuram, quam non intelligis. Quòd ad vnctionem sacerdotum attinet, suprà abundè probatũ est, hunc esse ritum Catholicum, Ecclesiasticum, Apostolicum, &, vt ex Fabiano alijsq; quàm plurimis docuimus, ab ipso Christo in vltima cœna institutum.

In authent. de monach. §. sancimus.

Cap. 24.

Canon Missæ quomodò à Lutero corruptus.

Smid.

QVibus de causis canonem Missæ abiecerit Luterus, tibi non ignotum esse existimo, quem indoctus quidam asinus ex omni-

omnibus precationibus compilauit, quas primitiua ecclesia vsurpauit in oblatione suorũ munerum, quæ ad mensam Domini afferebant, anseres, caseos &c. eaque precibus sanctificabant, & DEO commendabant.

Bred. Quòd ad canonem attinet, quẽ horrendis erroribus & blasphemijs, vtì paulò pòst ait, refertum criminatur: simplicitèr respondeo, Smidelinum impiè, paganicè, & blasphemè mentiri. Proferat nobis vel vnum errorẽ, nè dicam horrendam blasphemiam, quam in canone admittit ecclesia, & credemus ei. Sanè in toto illo sacrosancto Missæ sacrificio, nihil aliud quàm laudes & gratiarũ actiones DEO decantantur. Potissimùm autem in canone, præcipuorum Christi beneficiorum & maximè passiõis eius fit commemoratio, quæ ità hîc repræsentatur, vt rectè à Cypriano dictum sit, passiõem Domini esse sacrificium, quod offerimus. Bonam canonis partem recitat D. Ambrosius lib. 4. de sacramentis, cap. 5. vndè nec nouum esse canonem, nec ab indocto quodam asino compilatum, (vt spreta Grammatica & conculcato Prisciano loquitur Smidelinus) facilè elucescit. Longè absurdius est, quòd oblationis vocabulum refert ad caseos, anseres, &c. quæ pij in Ecclesia primitiua ad mensam Domini afferebant. Demonstret homo vanissimus, thysiæ aut hierurgiæ vocabulum Patribus Græcis vsitatissimũ, ad plebeias oblationes pertinere. Demonstret vel vnicum è sanctis vtriusq; Ecclesiæ Patribus locum, qui de oblatione populari scriptus, ad Eucharistiam à nobis accommodatus sit. Demonstret, an D. Cyrillus dum ait, Postquàm cõfectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus, super ipsa propitiationis hostia. Obsecramus Deum pro communi ecclesiarum pace &c. Demonstret, inquam, Cyrillum ibì de caseis, capis & anseribus loqui. Hæc nisi demonstres, omnium impudentissimus meritò proclamaberis.

lib. 2. epi. 2.

In 5. Catechesi mystagogica.

Smid. Quòd ad consecrationem ipsam attinet, scias loco canonis Luterum nihil subiecisse nothi, sed verborum Christi lingua populo non ignota recitationem retinuisse &c.

Bred. Rursùm sub dolosa verborum Christi instàr vestis ouillæ lacinia, pestilentẽ sicam gerit, qua solennem Ecclesiæ consuetudinem confodiat. Sed quis Lutero hanc mutandi pro suo arbitrio facul-

tatem

tatem contulit? Quid illi offecerũt sacratissimæ preces, vt eas tanq̃ impias & blasphemas submoueret? Nos autem eas à Maioribus nobis quasi per manus traditas, tanq̃ sacrosanctas veneramur, tametsi Euangelica scriptura compræhensæ non sint. Inuocationis verba, inquit D. Basilius cap. 27. de spiritu sancto, dum ostenditur panis Eucharistiæ, ac poculum benedictionis, quis sanctorum nobis scripto reliquit? Non enim his contenti sumus, quorum Apostolus aut Euangelium meminit, sed & anteà & posteà quædam dicimus alia, velut magnum robur ad mysteria habentia, ex non scripta doctrina assumpta.

Pergit Smidelinus: Diabolus qui cum Lutero de Canonis Missæ erroribus disputabat, ingressus est in cor huius Grammatici, sinè quo suggerente, tantas blasphemias euomere non potuisset. Smid.

Quas tu & quàm horrendas blasphemias passim in tuo Thrasonico milite euomueris, equidem hactenùs planissimum feci. Tu quemadmodùm te Lutero in doctrina successisse profiteris, ità eodem te spiritu agitari demonstras, videlicet impio, scurrili, & planè satanico. Quid verò mysterij habet dęmoniaca illa disputatio, Bredẽbachius ꝑclarè demóstrauit, ad q̃ tu rursùm obmutescis. Bred.

Cap. 25.

Excutitur copiosè controuersia de iustificatione.

ARticulum iustificationis ex tenebris sophisticis restitutum, ità implicat Grammaticus, vt quid dicat, non intelligat. Smid.

Articulum iustificationis dum singuli vestro ingenio explicare contenditis, nemo magìs implicuit, quàm vos. Nam vt alios taceam, nunquàm in hoc themate sibi constitit Philippus. Reliqui etiàm symmystæ eius, quantoperè doctrinam suam in hoc Articulo variârint, planum facit Andreas Osiander in libello, quem contra Nycticoracem quendam scripsit, in quo Philippi & discipulorum eius quatuordecim diuersas de iustificatione opiniones enumerat, reliquas (nam viginti esse dicit) silentio præterit. Nam simul vt, inquit, locum aliquem in scripturis viderunt, in quo iustitiæ mentio fieret, statìm nouam ex eo iustificationem Bred.

sunt

Gen.15. sunt fabricati. Verbi gratia: legit aliquis, Credidit Abraham DEO, &
Roma. 4. reputatum est illi ad iustitiam: iam ex hoc vno loco duo collegit iustificationis genera: vnum ex verbo, credidit, vt diceret fidem esse nostram iustitiam: alterum ex verbo, reputatum est, vt diceret Deũ iustitiam suam nobis imputare, nos pro iustis habere, etiamsi non
Rom. 3. simus: atq; hanc esse iustitiam nostram. Legit alius, Iustificati sum⁹
& 5. per sanguinem eius, statìm ex eo collegit, quòd preciosus sanguis Christi sit nostra iustitia. Legit alius, Sicut per vnius inobediẽtiam
Romã. 5. peccatores constituti sunt multi, ità per vnius obedientiã iusti cõstituentur multi: mox docuit, Obediẽtia Christi est iustitia nostra.
Romã. 4. Legit alius, Surrexit propter iustificatiõem nostram: Resurrectio, inquit, Christi est iustitia nostra, &c. In summa, enumerat ibì (præter alias) quatuordecim diuersas de iustificatione sententias, vt simul sint viginti & vna, cum ea sententia, quam ipse adfert Osiander. Sanè si Luterus contra Sacramentarios disputans, certũ dicit argumentum, eorum doctrinam à satana profectam, quòd in ipso statim exordio sit in septem vel octo capita dissecta: quis non maximè diabolicam dicat vestram doctrinam, quæ in vno duntaxàt iustificationis articulo, in bìs, immò ter septem sectas discissa est?

Enumerat nunc Smidelinus causas iustificationis, efficientem, Instrumentalem, Materialem, Formalem, & Finalem, sed ità, vt Luteri discipulum possis aguoscere. Finales causas ait esse multas, prę cipuam autem, conscientiæ tranquillitatem, qua homo certus est, sese Deo gratum & acceptum esse propter mediatorem, habere remissionem omnium peccatorum & hæredem esse vitæ æternæ & omnium cælestiùm bonorum.

Bred. Ad hanc hæreticam salutis certitudinem suprà copiosè responsum est. Sed quòd ad iustificationis modum & causas attinet, equidem puto catholicum & Christianum lectorem mâlle Oecumenico Concilio Tridentino credere, quàm Smidelino, cuius symmystæ quotannìs, immò penè quotidiè, nouam iustificationis formã
Sess.6. ca.7. cudunt. Iustificatio, inquit Concilium, non est solùm peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renouatio interioris hominis, ꝑ voluntariam susceptionem gratiæ & donorum, vndè homo ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus. Huius iustificatiõis causæ sunt, fina-

Finalis quidem,gloria Dei & Christi,& vita æterna.Efficiens verò, Finalis. Efficiens.
misericors Deus,qui gratuitò abluit & sanctificat,signans & vngẽs
spiritu promissiõis sancto,qui est pignus hæreditatis nostræ. Meritoria autem,dilectissimus vnigenitus suus,Dominus noster IESVS Christus,qui,cùm essemus inimici,propter nimiam charitatem,qua dilexit nos,sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit,& pro nobis Deo Patri satisfecit.Instrumẽtalis item,sacramentum Baptismi,quod est sacramentum fidei,sinè qua nulli vnquàm iustificatio contingit. Demùm vnica formalis causa est,iustitia Dei,non qua ipse iustus est,sed qua nos iustos facit,qua videlicet ab eo donati, renouamur spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur,sed verè iusti nominamur & sumus,iustitiam in nobis recipientes, vnusquisq; suam secundùm mensuram &c. Ridet iam illa Bredenbachij verba: Demẽtia est, putare Christum ità satisfecisse pro his peccatis,quæ ipsi patramus quotidiè,vt nulla prætereà nobis pro his opùs sit satisfactione.

Meritoria. Instrumentalis. Formalis.

Abominandam igitur,inquit Smidelinus,idololatriã tradit Ioannes Euangelista,qui docet Christum propitiationem esse factũ pro totius mundi peccatis &c. An hoc ignorauit Apostolus,dum ait,Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius quod est Ecclesia? Quem locum tractans D.August. (in Psal.86.)Videte, inquit,quid dixit Apostolus, Vt adimpleam. Quid?Quæ desunt?Cui desunt? Pressuram Christi. Et vbi desunt? In carne mea.Nunquid aliquid pressurarum deerat in illo homine,quod factum est verbum Dei, natum ex Maria virgine? Passus est enim quicquid pati deberet.In cruce positus,accepit acetum in vltimo,& ait,Perfectum est.Ergò impletæ erant omnes passiones, sed in capite:restabant adhuc Christi passiones in corpore. Vos autem estis corpus Christi & membra. In his ergò membris cùm esset Apostolus,dixit: Vt adimpleam quæ desunt pressurarũ Christi in carne mea.Ergò illuc imus,quò Christus præcessit:& adhuc Christus illuc pergit,quò præcessit. Præcessit enim Christus in capite, sequitur in corpore.Et adhuc Christus hîc laborat,& Christus patiebatur à Saulo,quãdò audiuit Saulus: Saule Saule, quid me persequeris?quomodò solet lingua dicere,calcato pede,calcas me:lin-

Smid. Bred. Col. 1. Ioan. 19. Act. 9.

guam nullus tetigit, compassione clamat, non attritione. Adhuc Christus hîc eget, Christus hîc peregrinatur, Christus hîc ęgrotat, Christus hîc in carcere includitur. Iniuriam ei facimus, si non ipse

Matth. 25. dixit: Esuriui, & dedistis mihi mãducare &c. Eccè Smideline, cùm Christus passus sit quicquid pati debuit, & in cruce dixerit, Consummatum est: nihilominùs nos, & Christum in nobis, oportet etiamnùm quotidiè pati. Oportet nos quotidianis pœnitentiæ operibus & virtutum exercitijs adimplere ea, quæ desunt passionũ Christi. Nec tamen ideò verum est, quod tu ais, abominandã igitur idololatriam tradidisse Ioannem Euangelist. dum docet, Christum ꝓpitiationem esse factum pro totius mũdi peccatis. Hoc enim in capite, vt iam audîsti, verum est: in corpore & mẽbris etiamnùm patitur, luit, & satisfacit. Prætereà fatemur eos qui per Baptismum regenerati, renouati & iustificati sunt, nulla prætereà opùs habere satisfactione aut iustificatione, si candidam innocẽtiæ vestem, in baptismo acceptam, nouis peccatis non contaminẽt. Cæterùm quòd hoc nulli ferè adulto contingit, opùs est nos iam regeneratos & in peccata relapsos, per sacramentum pœnitentiæ in pristinum iustitiæ gradum, vndè excideramus, restitui. Vndè credentibus iam in Christum, non tam necessaria est fidei, quàm bonorum operũ prædicatio, quemadmodùm videmus Prophetas vbiq; pœnitentiam, saccum, ieiunium, & opera bona inculcare, quia populus Israëliticus iam in verum Deum credebat, (tametsi subindè apostatarent ad idola) Paulꝰ verò quia gẽtes idololatras docebat, veri Dei ignaras, vbiq; fidem prędicat. Quibus iam per baptismum Christo insitis, non iubet vt in accepta iustificatione conquiescant, sed euntes

Psalm. 83. de virtute in virtutem, renouentur de die in diem, hoc est, morti-

2. Cor. 4. ficando membra carnis suæ, & exhibẽdo ea arma iustitiæ in sanctificationem per obseruationem mandatorũ Dei & Ecclesiæ, in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operi-

Apoc. 22. bus crescant, atq; magìs iustificentur, sicut scriptum est: Qui iustus

Eccle. 18. est, iustificetur adhuc. Et iterùm: Nè verearis vsq; ad mortem iustificari. Hoc iustitiæ incremẽtum petit sancta ecclesia, cùm orat: Da nobis, Domine, fidei, spei & charitatis augmẽtum. Sequitur de Ecclesia, eiusq; signis, de quibus quoniam suprà affatìm diximus, in-

præ-

præsentiarùm non repetimus. De concilijs (quorum, vt inquit D. Augustin⁹, Saluberrima est in ecclesia Catholica authoritas) quòd ait Smidelinus, nihil ea cõstituere de Consilijs posse, quòd scripturis expressum non sit, suprà enarrauimus: nam & istic hanc crambē recoxit, & milliès à Catholicis refutatũ est. Quin & sæpè iam demõstrauimus, scripturis omnia nõ contineri. Nõ omnia à scriptura diuina accipi possunt, inquit Epiphani⁹. Quapropter aliqua in scripturis, aliqua in traditione S. Apostoli tradiderunt. Ad Ianuar. De Concil.

Cap. xxvj.

De vsu imaginum, & efficacia signi crucis, & habitu Missali.

ALlatrat iam imaginum vsum, eumq; ab abusu impugnat. Nos Damasceni libros tres de imaginibus, illi opponimus. Nec ignorat calumniator iam olim ante aliquot secula damnatam esse Iconoclastarum hæresim. Antiquissimum esse imaginum vsum, patet ex Eusebio & Nicephoro, vbì referunt de ænea Saluatoris imagine, sub cuius fimbria succrescens herba, om̃e morborum genus curabat. Sed hanc de S. imaginibus quęstionem non solùm Bredẽbachius, (cuius argumenta dolosè dissimulat Smidelinus) sed oẽs pasśim catholici scriptores perspicuè tractârunt, vt si quid his adhibere velim, solem facibus illustrare coner. Videat pius lector, inter cætera Martinum Peresium de traditionibus lib. 3. & cẽsuram errorum Monhemij, inprimìs verò ipsum Damascenum. Euseb. lib. 7. Eccl. hist. cap. 14. Niceph. lib. 6. cap. 15.

Sed audiamus, quàm validè in sacram Nicenam synodum & Reuerẽdiss. Hosium insurgat. In synodo Nicena secũda, inquit, quod de imaginibus adfert decretum, q̃ est impiũ? Vbì statuitur vt imagines Christi, Matris eius, & sanctorum adorentur. Smid. Aduers. Hos. fol. 150.

Verùm si intelligeret Smidelinus, adorationis vocabulum tam esse generale, vt etiàm hominibus pasśim tributam legamus adorationem in sacris, nõ ipsam sacratissimam synodum impietatis accusaret. Haud sanè nouum est in scripturis, ea quæ soli DEO conueniunt, etiàm hominibus quãdoq; tribui. Audi Israël, inquit scriptura, Deus tuus DEUS vnus est. Nihilo seciùs DEitatis nomen communicatur hominibus, dicente Propheta, Ego dixi, dij estis. Hunc Bred. Deut. 6. Psal. 81.

eum Prophetam Bersabee, Abigail, & ipse Propheta Nathan adorâsse leguntur: & tamen non minùs his, q̃ nobis, dictum est: Dñm Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Quanuìs igitur adorationem genericè sumptam, & hominibus tributam, & imaginibus decretam legamus, non tamen eiusmodi cultum vllus Catholicorũ, nedùm tam sacra & œcumenica synodus, vlli creaturæ tribuit, qualem Deo deberi fatemur. Nè enim huiusmodi crimen hæretici Catholicis possent impingere, idcircò iam olìm ante mille ducentos & ampliùs annos vsurpata est à Catholicis ecclesiæ doctoribus distinctio inter douliã & latriam, vtì infrà docebimus ex D. August.

li. 21. cap. 21. con. Faustũ.

Smid. Pergit Smidelinus, ipsi Synodo & pientissimo Hosio insultans: Et ad crimen idololatriæ depellẽdum, inquit, aiũt sese in illis (imaginibus) non consistere, honoremq; & adorationem concludere, sed per eas ad inuisibilem illam singularemq; atq; vnicam diuinitatem dirigere. Sed quis adeò barbarus & rudis etiàm inter ethnicos fuit vnquàm, qui non eadem ratione suam idolatriam excusare potuerit? Num Aegyptij ignorârũt Apim esse bouem quem colebant, & cui sacra faciebant? Num Ieroboam filius Nebath, ignorabat suos vitulos ex auro esse? Num idem ignorabat Aharon cum populo Iudaico? Horribilis tamen erat idolatria, vtcunq; iactitarẽt sese animis non consistere in illis bobus, sed ad inuisibilem Deitatem ascendere.

Bred. Licèt ne ethnici quidem tam barbari & rudes fuerint, vt alicubì refert Augustinus, & nos alibì defendimus, quæro tamen ex hoc iconomacho, ad quam inuisibilem Deitatem ascẽderint Aegyptij, Ieroboam & populus Iudaicus, cùm vitulos & boues adorarent, ijsq; sacrificia facerẽt? ad quam, quæso, diuinitatem ascẽdere potuerũt? Num vspiàm aliqua est Deitas, quæ bubula aut vitulina forma queat effigiari? aut num ad aliquam bubali aut vitulini dei formam respexerunt Aegyptij & Iudæi? Sed porrigamus Smidelino filum Theseium, quo ex hoc labyrintho sese extricet. Refert alicubì Lodouic⁹ Viues ex Diodoro, Principes viros in galeis & insignibus alios aliorum animalium formis vti solitos, velut Arcubim cane, & Macedonem lupo, vndè veneratiõem illis animalibus natam, atq; hinc principes vita functos, eorundẽ animalium quę ipsis placu-

In Psal. 113.

In cap. 26. lib. 8. de Ciuit. Dei.

placuerant,nominibus nuncupare,& imaginibus venerari instituisse.Atq; hoc est quòd Mercurius Trismegistus dicit coli eorũ animas,qui illa animalia viuentes consecrauerunt. Aliam tamen rationem,cur Aegyptij & populus Israeliticus bouis simulacrum coluerint,adfert Augustinus in lib.de Mirabil.sacræ(lib.1.cap.15.si tamen hic est Augustini)scripturæ:Ioseph,inquit,vt vir propheticus, præuidit ꝙ Aegyptiorum gens idololatriæ dedita, ipsum qui terrenæ munificentiæ illis author fuisset,& ipsos de famis periculo liberâsset,aliquandò adorare vellet,quod & fecerunt.Nam bouis simulacrum iuxta sepulcrum Ioseph statuerunt,eô quòd bos viro in agricultura cooperetur. Qua etiàm causa filij Israël cùm in deserto idolum adorare vellent,nõ aliam aliquam statuam quàm vitulum, id est,bouem fecerunt,hac vel maximè causa, quòd ipse in Aegypto iuxta sepulcrum Ioseph adoraretur. Esto igitur, & concedam⁹ Aegyptios & Iudæos ad hanc inuisibilem DEITATEM ascendisse, vt loquitur Smidelinus:(tametsi verisimile sit, hanc rationem plurimis fuisse incognitam)verùm ad quam inuisibilem DEITATEM ascẽderunt, cùm adorarent lucos & nemora, dicentes, Tu es DEVS meus,Et,Tu me genuisti?Deindè quid rationis habet, quòd eiusmodi idola,& verè deos alienos,impiè confert Smidelinus cum sacris sanctorum Dei hominum imaginibus? Nõ colit deos alienos, qui veneratur imagines illorum qui sunt membra Christi. Criminabantur olìm ethnici Christianos,ꝙ MARTYRUM memorias religiosè colerent,cùm tamen ipsi Christiani gentilium deos execrarẽtur.sed quid illis responderit D.Augustinus, patet ex libris de ciuitate Dei,lib.8.cap.27 Absit,inquit,vt eos, quanuis deos habeãt, sanctis MARTYRIBUS nostris,quos tamen deos non habemus,vlla ex parte audeant comparare. Sic enim non constituimus sacerdotes nec offerimus sacrificia Martyribus nostris &c.Faustus quoq; Manichæus exprobrabat Catholicis,quòd idola in MARTYRES conuertissent,& nomen duntaxàt commutâssent, ritum verò ipsum idololatriæ seruarent,eandem calumniam hîc à Manichæis mutuatur Smidelinus,cui ipsum D.Augustinum contra Faustum lib.20. cap. 19.& 20.opponimus.Absurdissimam sanè & impietatis plenam hîc nobis fabricat collationem Smidelinus,quòd pias Sanctorum DEI

martyrum imagines, qui non alieni sunt dij, sed membra Christi, confert idolis dæmoniorum, cùm nulla sit participatio Christo cū Belial: deindè, quòd eandem latriam & cultum exhibeamus hisce imaginibus, quem olìm gentiles & Aegyptij suis idolis prę̃stiterūt, quod grauitèr & constantèr refutat D. Augustinus. Quocircà nè blasphemo ore venerandas sanctorum imagines idolis vlteriùs cōferas, ex D. Ioanne Damasceno respondemus: Certamina sanctorū Martyrum & colo & honore prosequor, inquit. Qua igitur fronte dicis hęc esse idola, ô mentis inops, minusque cordate? Idola enim assimilationes quædam sunt falsi nominis vim vsurpantium, putà mœchorum, homicidarum, luxuq; ac mollitie diffluentium, nō itē prophetarum, neq; Apostolorum. idola quidem ad gloriam diaboli fabricata sunt, & eius memoriam: imagines verò ad gloriā Christi, apostolorum, martyrum ac sanctorū eius inducta sunt. Quum igitur videris Christianum adorationis gratia procidentem cruci, scito, quia id fecit propter Christum cruci affixum, non item naturam ligni adorat. Et paulò pòst: Dic tu, ô Iudæe, quænam scriptura permisit Moisi adorare Iethro socerū suum idololatren? Et Iacob Pharaonem? Et Abraham filios Emmor? An non iusti illi & Prophetæ? Et Daniel procidit impio Nabuchodonosor. Et quidem illi si hæc faciebant in gratiam redimendæ istius vitæ mundialis & temporariæ: quánam ratione expostulas mecum, quòd adorem sacra monumenta sanctorum, picturis historicisque scripturis commendatas, afflictiones item & certamina, per quæ singulis diebus cumulor beneficijs, spesq; est, me consecuturum vitam æternam? Hæc ille.

li. 3. p venerat. sanct. imag.

Exod. 18.
Gen. 46.
Gen. 23.

Vides hîc Smideline promiscuè vsurpari adorationis vocabulū, & sanctis quoq; Dei hominibus tribui. Animaduertendum enim est, inquit D. Augustin. in primo præcepto nō dictum, Dominum Deum tuum solum adorabis, sicut dictum est, Et illi soli seruies: quod Græcè est λατρεύσεις. Talis enim seruitus nō nisi Deo debet. Atq; hoc est quod ait Damascenus: Quemadmodùm (Sancti) verè sunt dij, non natura quidem, sed velutì natura participes Dei: ità adorandi non suapte natura, sed vt in se continent eum, qui natura est adorandus, quemadmodùm & ferrum ignitum non natura est

li. 1. qst. sup Gen. ca. 61.

est tactui inaccessum & adurens, sed quia particeps est rei natura exustiuæ. Adorantur itaq; Sancti, inquit, quippè qui à Deo gloria cohonestati sunt, vt qui gratia Dei formidabiles effecti sint hostibus nostris, & qui cum fide ipsos adeunt, beneficia conferant. Nō illis cultum impendimus tanquàm natura dijs & benefactoribus, sed quasi famulis ac Dei ministris, quiq; fidutiam ipsum alloquēdi obtinuerunt merito charitatis erga eundem.

Prosequitur iam suarum criminationum contextum Smidelinus, & prolatum ab Hosio Photij dictum in synodo Nicena 2. prophana manu ventilat. Execranda est impietas, inquit, quòd scripsit Photius in hac synodo decretum, Sic crucis (inquit synodus) signum adoramus, quo dæmonum agmina fugantur, & varij curantur morbi, cùm semèl in ipso exemplari gratia & virtus exhibita sit, & vsq; ad exempla similis vis sese diffundat. Eant nunc Papistæ, ait Smidel. & dicant se nullam virtutem asscribere simulacris, cùm impiè asseuerent eam virtutem inesse exemplis, quæ sit in exemplari &c. Smid. fol.156. aduers. Hosiū.

Neget Smidelinus, si cum veritate potest, dæmōum agmina fugata, varios morbos curatos per sacrum crucis signaculum, & credemus pientissimam Dei misericordiam (quæ per herbas & frutices etiàm infinita commoda prestat humano generi) nullam virtutem exemplari cōtulisse. Nō obscurū est, quod D. August. de miraculo per crucis signū facto refert. In eadē Carthagine, inqt, Innocētia religiosissima fœmina de primarijs ipsius ciuitatis, in mamilla cancrum habebat, rem sicut medici dicunt, nullis medicamētis sanabilem. Aut ergò præcidi solet & à corpore separari membrum vbì nascitur, aut vt aliquanto homo diutiùs viuat, tamē indè mortem quanlibèt tardiùs affuturam, secundùm Hippocratis sententiam, omnis est omittenda curatio. Hoc illa à perito medico & suæ domui familiarissimo acceperat, & ad solum Deum se orando cōuerterat. Admonetur in somnis appropinquante pascha, vt in parte fœminarum obseruanti ad baptisterium, quæcunq; illi baptizata primitùs occurrisset, eundem locum signo Christi signaret: fecit, & confestim sanata est. Scribit Nicephorus quid Probiano podagrico Imperatoris medico acciderit apud templum Archange- Bred. li.22. cap.8. de ciui. Dei. Eccl. hist. li. 7. cap. 50.

lo Michaëli ſacrum. Graui is correptus erat morbo, ex pedibus admodùm laborans, iuncturis connexionibusq; eorũ admodùm diſtortis. Cæterùm ægritudine tali, viſione diuina in eo templo prorsùs eſt liberatus. Hic porrò ꝙ Græca ſuperſtitione imbutus, ad Chriſtianam pietatem tranſierat, alia quidem religionis noſtræ quodammodò credibilia atq; probabilia eſſe dicebat: Crucem autem diuinam ſalutis cauſam eſſe, omninò non admittebat. Atque in hac illi ſententia periculosè ſatìs perſeueranti, Archangeli viſio aſſiſtés, Crucis ſignum, quod in ſacro eccleſiæ eius altari collocatũ fuerat, exhibuit: diuerſisq; verbis oſtendit, ex quo tempore Chriſtus ſit crucifixus, nullã eſſe rem quæ opitulari generi humano priuatìm & publicè, finemq; debitum & effectum conſequi abſq; auguſti huius ligni virtute poſſit, neq; apud angelos, neq; apud pios ſanctosq;, quicunq; veri in Deum amoris teſtimonium obtinerẽt, homines. Qua perſuaſione ſaniorem ille mentem recepit. Idẽ Nicephorus refert de Conſtantino Imp. qui crucis ſignum in vexillo bellico geſtari voluit. Hoc igitur ſignum, inquit (lib. 7. cap. 37.) Nicephorus, præferri & laborantibus periclitantibusque cohortibus adeſſe, à ſatellitibus per vices in humeris geſtari, ordinesq; cum eo circuire iuſſerat. Salutifera hæc armatura quum ſic Cõſtantini aciẽ ſpiret, Maximinus ſuis præcipit, vt quicunq; collimare certoq; iaculari poſſent, in ſignum id tela conijcerent, atq; in ipſum confertìm cum impetu ferrẽtur. Quapropter is qui id ferebat, (dicitur autem Græcæ ſuperſtitionis fuiſſe) metu perculſus, alij portandum tradere feſtinauit. Atq; ibì alter quidam patre martyre prognatus, alacritèr admodùm proſiluit, thoracem & galeam longè à ſe abiecit, ſolaq; tunica tectus, ſignum crucis arripuit. Porrò ille qui ſibi à telorum ictibus cauerat, lethali vulnere accepto concidit. Qui verò ſacratum crucis ſignum ferebat, quanuìs denſæ niuis inſtàr tela in eum conijcerentur, à nullo tamen eſt vulneratus. Nam præter opinionem omnem diuina quadam virtute tela ab hoſtibꝰ emiſſa, haſtæ ſigni illiſa atq; impacta, ab eo qui id ferebat, in medio armorũ diſcrimine verſante, auolabant. Dicitur præterea, atq; à Dei amantibus viris creditur, nec alio vnquàm tempore, qui ſignum id tulerit, in ſiniſtrum aliquem decidiſſe caſum, aut vulneratũ captúmve eſſe.

Crucis efficacia.

Crucis ſignũ tuetur ſigniferum.

esse. Alibì quoq; narrat, quo pacto Constantinus tria crucis trophæa erexerit in locis celebrioribus, in quarum tertia cruce, ἀρτοπωλίῳ, id est, foro panario constituta, ait multas supra opinionem hominum virtutes editas. atq; inprimìs eos qui rigore inflammationis vexarentur, & oculorum doloribus & suffusionibus premerentur, sanatos. De qua factum quoddam, quod admodùm in admiratione fuit, exponam, inquit. Nè verò quisquam narranti mihi fidem non habeat, nihil enim tam præter opinionem & præter fidẽ est, quod Deus non perficiat: neq; etiàm quicquam quod Deus velit, impossibile est. Dicitur nanq; & verè dicitur, quum ad eam angelus Domini tèr quotannìs per altissimum intempestæ noctis silentium, perindè atquè emicans quoddã cælitùs fulgur, cum splẽdore insustentabili venit, crucem eum circuire, suffitum faciẽtem, suauiq; voce, quasi cuiusdam tenuis indicis præsentiam suam illis, qui puritate vitæ à vitijs abhorrentes, talia & videre & audire idonei sunt, insinuare: atq; vbì cantu ineffabili diuinum carmẽ tèr sancti hymni psallens concinuerit, rursùm illum velutì stellam magnificè emicantem, ad munia redire sua. li. 8. cap. 32.

Refert idem Nicephorus (lib. 17. cap. 15.) aliud insigne miraculũ, quod Apameæ ad salutiferum crucis signum accidit, aitq; illud solennitèr ab Episcopo circũgestari solitum. Et cap. seq. narrat, quomodò ciues Edessenæ ciuitatis obsessi, confugerint ad imaginem Christi, Abgaro regi ab ipso Christo missam, eosq; liberatos. Dæmones quoq; à Iuliano, licèt apostata, per crucis signum fugatos commemorat lib. 10. cap. 3. Turcas quoq; per crucis signum, licèt ipsis inuisum, à pestis contagio tutos fuisse scribit lib. 18. cap. 20. & Theodosium Imp. crucis armatura fretum, hostes aggressum esse. Epiphanius, quem Smidelinus operosè citat contra D. virginis inuocationem, refert de Iosepho, qui per signum crucis & nominis Christi inuocationem, Iudæorum incantationes dissoluit. Hinc omnibus seculis ac locis vsitatissimum fuit apud Christianos, vt frontem crucis signo consignarent aduersùs quælibet aduersa, & quascunq; dæmonum fascinationes. Paulus Eremita monstrum quoddam satyro simile conspicatus, referente Hieronymo, frontẽ cruce cõsignauit, & Christianus poëta Prudentius, Fac, inquit, cùm

Dæmones crucis signaculo fugantẽ

Crux à peste cõseruat

Epiph. hæresi 30. cõt. Ebionitas.

Per crucem incantationes dissoluuntur.

vocante somno castum petis cubile, frontem locumq́; cordis, crucis figura signet. Crux pellit omne crimen, fugiunt crucem tenebræ &c. Et Tertullian. Ad om̃em, inquit, progressum, ad omnẽ aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunque nos conuersatio exercet, frõtem crucis signaculo terimus. Quid iam vlteriùs à nobis requiris Smideline? vt crucem Christi omni cultu ac veneratione spoliantes, nos tecum præbeamus inimicos crucis Christi? Quibus rationibus istud nobis persuadere conaberis? Negabis virtutẽ aliquã ex diuina Christi misericordia exẽplari collatam? Nos verò diuersum nunc tot tamq́; illustribus testimonijs docuimus. At crimineris Hosium vnà cum Photio, qui dixerit adorandam sacræ crucis imaginem. Dicam igitur cum diuo Ioanne Damasceno: Si me hac actione petis, mecumq́; expostulas, obijciens, quia lignum crucis quasi Deum adoro, quamobrem non etiàm Iacob in ius vocas, qui adorauit vel fastigium virgæ? Sed liquidò constat, quia id honoris exhibens ligno, non vtiq; illud adorauit, immò per lignum veneratus est Ioseph, quemadmodùm & nos Christum adoramus per crucem, nõ item nudo ligno id gloriæ attribuimus. Si itaq; typum crucis adoramus, ex quacunq; materia imaginem crucis cõficientes, qua tandèm ratione non etiàm adorabimus crucifixi imaginẽ? Hæc igitur Smideline tibi responsa sint ad blasphemum illud conuicium, quo vniuersam Nicenam Synodum cum Photio & Hosio exagitas, ꝙ dixerint, Crucis signo dæmonum agmina fugari, & varios curari morbos, cùm semèl in ipso exemplari gratia & virtus exhibita sit, & vsq; ad exempla similis vis sese diffundat. Quàm enim verè illud dixerit Photius, plurimis nunc rationibus ac testimonijs docuimus.

lib. de coro. milit.

li. 1. ꝑ venerat. sanct. imag.

Gen. 47.

Crucis honor ad Christum tẽdit.

Iam vt nihil intactum relinquat, habitum quoq; sacrum quo in sacrificio sacerdotes vtuntur, irridet. O concionatores verè Lodiceos, inquit, non lodicibus, sed fustibus ex ecclesia pellẽdos. Nũ lodices (sic voco, inquit, habitum Missalem) vobis commendauit Dominus? &c.

Smid.

Bred. Fustuario dignus esses vanissime obturbator, qui nihil non sacrarum cæremoniarum, rituum & dogmatum Ecclesiasticorum allatra-

latrare non erubescis. Nos verò hanc cæremoniam, Apostolicam dicimus, quam iam indè ab Apostolorum temporibus in Ecclesia vsurpatam fuisse, locuples testis est sanctissimus martyr & Pontifex Anacletus, ab ipso D. Petro (vtì refert) presbyter ordinatus. In solennioribus, inquit, diebus aut septem, aut quinq;, aut tres diaconos, qui eius oculi dicuntur, & subdiaconos atq; reliquos ministros secum habeat, qui sacris induti vestimentis in fronte & à tergo, & presbyteri eregionè dextra lęuaq;, contrito corde & humiliato spiritu, prono stent vultu, custodientes eum à maleuolis hominibus, & consensum eius prębeant sacrificio &c. Certè Ecclesiasticos Mystas iam indè ab exordio Christianismi in θυσιαστηρίῳ & altari indutos fuisse peculiari quodam & sacro amictu, ex veteribus ecclesiæ Patribus notissimū est: nisì quis ignoret Apostoli Ioannis petalon, Tertulliani infulas, Stephani primi & Euphronij apud Pamphyliam episcopi colobium, (quo primùm S. Iacobus vsus fuisse legitur) Hieronymi candidas vestes, Macarij Hierosolymitani sacras stolas, Syluestri & Gregorij Dalmaticas mappulas, item pallia. Sed & D. Chrysostomus de albis & linistolijs sacerdotum ac Diaconorum reuerentèr admodùm loquitur homil. 83. in Matthæum. Tu verò quo habitu in Ecclesiam & concionem prodire soles? videlicet cum sago aulico, manica altera picturata circa sinistrum humerū, exertis vtrinq; brachijs, & cum cultro venatorio ad latus, vtì Latomus te in frequentissimo conuentu Vuormatiæ è suggestu declamitantē cōspexit. Dic, picturate, vbì tam portentosum gladiatoriumq́; habitum tibi commendauit Dominus, vtì nobis hîc oblatras? Cur non etiàm nudus in foro saltas? cur nō in stola muliebri concionaris? Paulus Apostolus cùm mulieres velatas orare doceret, quibus scripturarum testimonijs vsus est? scilicet apud te tuiq́; similes obturbatores publica honestas, Ecclesię consuetudo, canonum ecclesiasticorum authoritas, omne robur & vim suam amittent? Sit sanè tibi linearum vestium vsus vilis ac plebeius, tamen is olìm nobilium erat, & honoris causa primùm datus est sacerdotibus, ac proindè nulli monachorum concessus, nisì inter obeūda sacra, vt alicubì exponit Erasmus. Iam videam⁹, quàm pulchrè tibi conueniat cum vestra ipsorum cōfessione Au-

Epist. 1. (margin)

In vita Hieronymi. (margin)

gustana, quam dum ægrè fers à Staphylo vocari Pādoræ pyxidem, tu ipse hîc tuo sago aulico eā iugulas. Sic Philippus vester in Apologia eiusdem: Initiò hoc præfandum est, inquit, nos non abolere Missam, sed religiosè retinere ac defendere. Fiunt enim apud nos Missæ singulis Dominicis & alijs festis, in quibus porrigitur Sacramentum his qui vti volunt, postq̃ sunt explorati atque absoluti. Et seruantur vsitatæ cæremoniæ publicæ, ordo lectionum, orationum, vestitus, & alia similia. Hæc ibì Melāchthon, cui quomodo conueniat cum nostro hoc sagato, picturato & petasato Smidelino, ipse viderit. Si igitur Missa, cæremōiæ, orationes, vestitus tam religiosè seruantur apud Euangelicos, quorsùm libelli de abroganda Missa? quorsùm Epitaphia in Missam passam & sepultam? cur Smidelinus eam vocat horribilem abominationem? Cur lineum amictum velut sordidas lodices execratur? Si aliquid pietatis habet Missa, cur vniuersam tanto horrore detestatur hic vitilitigator? si impia est, vt passim declamitat, cur religiosè seruat̄ à Cōfessionistis? Et tamen has tam crassas antilogias vult infirmitatibus & leuiculis dissensiōibus accēseri noster hic paludatus. Si hæ sunt infirmitates, eæ profectò tantæ sunt, vt ad manifestam Augustanæ Confessionis internecionem tendant.

In p̄fatione Hyperaspis.

Cap. 27.

De cultu, veneratione, & inuocatione Sanctorum.

Inuehitur iam in Bredenbachium Smidelinus, q̀ sanctorum venerationem & inuocationem ex doctrina Ecclesiæ Catholicæ profiteatur. In quo rursùs extremam hominis vecordiam & effrenatam malitiam non possum non vehementèr admirari. Damnat enim alibì Faustum & Vigilantium, reliquosq́; priorum seculorū hæreticos, qui eô quòd sanctorum venerationem criminabantur, hæresios condemnati sunt. Quibus conuicijs Faustus Manichæus in Catholicos quondàm destomachatus sit, refert D. Augustinus. Sed nec vestrum quidem schisma (scribebat Faustus libro contra Christianam fidem Catholicorum, quos Semichristianos appellabat) si me dixeris, verum est, quanuìs Christum veneror & colo, quia alio eum ritu colo, & alia fide quàm vos: qui desciscentes à gen-

In lib. cont. Hosium.

gentibus,Monarchæ opinionem primùm vobiscum diuulsistis,id est,vt omnia credatis ex Deo: sacrificia verò eorũ vertistis in Agapas,idola in Martyres,quos votis similibus colitis: defunctorum vmbras vino placatis & dapibus &c.Has Manichęorum in Catholicam Christi Ecclesiam blasphemias,Diuus Augustinus obiecta vera apostolicæ Ecclesiæ doctrina retundit.Quòd etiàm hinc nobis,inquit,calumniatur Faustus, quòd Martyrum memorias honoramus,in hoc dicens nos idola conuertisse,non tam me mouet, vt huic calumniæ respondeam, quàm vt ipsum Faustum ostẽdam, studio calumniandi ab ipsis Manichæi vanitatibus exorbitare voluisse.Et paulò pòst:Populus autem Christianus memorias Martyrum religiosa solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem,& vt meritis eorum consocietur,atq; orationibus adiuuetur:ità tamen, vt nulli Martyrum,sed ipsi Deo Martyrum, quanuìs in memorijs Martyrum constituamus altaria. Quis enim antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari,aliquandò dixit, Offerimus tibi Petre,aut Paule,aut Cypriane? sed quod offertur,offerť Deo, q̃ Martyres coronauit,apud memorias eorũ quos coronauit. Colim⁹ ergò martyres eo cultu dilectiôis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines:at illo cultu, qui Græcè λατρεία dicitur, Latinè verò vno verbo dici non potest, cùm sit quædã propriè diuinitati debita seruitus,nisì vnum Deũ.Cùm aũt ad hunc modũ pertineat oblatio sacrificij, vndè idololatria dicitur eorum, qui hoc etiàm idolis exhibent, nullo modo tale aliq̃d offerimus,aut offerendum præcipimus. Vel cuiquam martyri, vel cuiquam sanctæ animæ,vel cuiquã angelo.Ipsi enim sancti vel homines, vel angeli exhiberi sibi nolunt, quod vni Deo deberi nôrunt.Hæc ibì D.Augustinus. Côt. Faustũ Manichæũ lib.21.ca.13.

Huiusmodi blasphemis criminationibus, iam olìm ante annos mille ducentos inferorum portæ in Ecclesiam Catholicam detonabant,eidemq; idolomaniæ labem per Ethnicos improperare, p̃ Philosophos adspergere,per hæreticos affricare conabantur.Hinc assiduæ illæ veterũ theologorũ ad Imperatores ethnicos pro Christianismo apologię,cauterium illud, Christianæ religioni violẽtis criminationibus inustum delere studebant. Quid igitur, inquie-

bat Theodoretus, viri Græci aduersùs nos indignationem concipitis, cùm nullum nostrorum hominum referamus in deos, quanquam debitum honorem Martyribus persoluamus? Nos, Græci, nec hostias martyribus, nec libamina vlla deferimus, sed sanctos homines, Deiq; amicissimos honoramus. Sed oblatrabit nobis Vulcanus, hoc honore quo sanctos veneramur, eorumq; patrocinia deposcimus, Christi honoribus derogari. Hic enim vnicus est pro nobis apud Patrem intercessor & μεσίτης: hic securos nos fecit, quicquid petiêritis Patrẽ in nomine meo, inquit, dabit vobis: hic mandauit, vt ad se veniamus, quotquot onerati sum᷑, se nos refecturũ.

Rom. 15. 2. Cor. 1. Phil. 1. Philem. 1. Sed vicissìm ex te quæro, Smideline, an hæc Paulus Apostolus ignorauit? an hanc de Christo spem & existimationem non habuit? Maximè profectò, si quisquam alius. Cur igitur ad alios confugit? cur assiduas eorum orationes efflagitat? an nesciebat, se aduocatum apud Patrem habere Christum? (Iohan. 16. 1. Iohan. 1.) Quòd si ille tantus Christi Apostolus in tam sacro & verè Christiano negocio, Christum sinè dubio intercessorem & aduocatum habens, causas perspexit, quãobrem aliorum preces & intercessiões efflagitandas duceret: quid est quòd nos, qui tanti Apostoli sanctimoniam nulla penè ex parte attingimus, tanto cum fastu & arrogantia nostris precibus confidamus, vt eas nullis aliorum suffragijs egére putemus? Sic sanè priscam ecclesiam vniuersam factitâsse, nulli obscurũ esse potest, qui vel per transennam duntaxàt veterum lucubrationes inspexerit. Sic inquit prudens ille & sacer Poëta Prudentius:

Indignus agnosco & scio
Quem Christus ipse exaudiat,
Sed per patronos Martyres
Potest medelam consequi.

Matt. 8. Hanc indignitatem suam agnouit ille Centurio, tãto encomio à Christo celebratus, qui missis ad eum Iudæis, ante cõspectũ eius comparére erubuit, & præsentiam eius humilitèr detrectauit. Hãc indignitatem vniuersa ecclesia primitiua & sanctissimi quique Patres agnoscentes, semper ad Martyrum sanctorumq; Dei hominũ suffragia confugerunt. (In oratio. 8. de laudib. Basilij.) Tu nos Basili (inquit Gregorius ille Nazianzen.) ex alto respice, totamq; vitam nobis in melius permuta. Et

alibì: O Athanasi, è supernis propitius me respice, & populum sanctum dirige. Similia est videre in oratione 19. vbì D. Cyprianũ inuocat, & oratione 23. D Basili⁹ in pulcherrima illa de quadraginta Martyribus historia hanc subiungit exhortationem: Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugiat: qui rursùs lætatur, hæc oret. D. Chrysostomus luculentèr docet, Nõ cõtemnamus, inquit, Sanctorum preces, sed oremus vt pro nobis precentur, manumq; porrigant. Addamus his Origenẽ: O beate Iob, inquit, ora pro nobis. Idem in lamento: Incipiam me genibus prosternere & deprecari vniuersos sanctos, vt mihi non audenti petere propter nimietatẽ peccati, succurrant. Hic non solùm Sanctos inuocat, sed modum etiàm & causam inuocatiõis perspicuè docet. Iam quid de inexpugnabili illo Catholicæ fidei vindice D. Augustino dicemus? Hic cùm alibì passìm, tum in lib. de spiritu & anima, compellat Sanctos his verbis: Vos qui meruistis consortes fieri supernorum ciuium, orate pro me ad Dominum, vt educat me de carcere isto. Rursùm lib. 7. cap. 1. de baptismo cõt. Donatistas, & lib. 5. cap. 17. D. Cypriani iam vita defuncti opem implorat. Alijs quoq; in locis idem testatur. Et in meditationibus suis cap. 24. O sancti, inquit, qui securi estis de vobis, soliciti estote de nobis. Sermone 1. de S. Stephano protomartyre vult, vt nos illius orationibus commendemus. D. Hieronymus ad Eustochium scribens, S. Paulum inuocat. Videatur D. Ambrosius in hist. de sancta Agnete, in lib. de viduis, in oratione de fide resurrectionis circa finem. Adducamus pro coronide piam D. Bernardi querimoniam. Irrident, inquit, nos hæretici, quòd paruulos baptizamus, pro mortuis oramus, ac Sãctorum suffragia postulamus. Agnosce hìc te hæresios cauterio inuri Smideline. Reuerà non Vulcaneum, non ferreum, sed adamantinum tibi pectus esse dixero, si non his tot tantisq; testibus queas emolliri, vt istam mutes hæreticam & blasphemam peruersitatem. Si negare perges rectè Sanctos à nobis inuocari, ipsosq; pro nobis orare, id aut contingæt, quia impotentiores sunt, quàm qui possint: aut crudeliores, quàm qui velint: aut deniquè, quòd res sit ipsis indigna vt orent. Elige quod velis, Smideline, nihil eorum est, quin absurdum sit & Christianis auribus indignum.

Orat. 18. de laudibus Athanas.

Hom. 1. in 1. ad Thess.

li. 2. cõmen. in Iob. circa finem.

Cap. 59.

Hom. 66. in Cant.

Quis

Quis enim inficietur Sanctos, si non maioris, saltem eiusdem esse virtutis, cuius erant dum viuerét? Dum igitur viui pro alijs tam multa non rogati impetrârunt, (vt de Moise, Petro, Paulo & alijs innumeris scripturæ testantur) in confesso erit omibus, sanctos inuocatos longè procliuiùs & efficaciùs nūc quæcunq; saluti nostræ conferunt, posse impetrare. Vt autem neq; potentiā, ità neq; charitatem, qua libentèr pro nobis orent, denegare illis potes, nisi cōtra D. Paulum dicas, charitatem per mortem excidere. Si verò, vt verissimum est, perfectior in illis (qui fonti charitatis nūc propinquiores sunt) facta est dilectio, necessariò consequitur, cumulatiorem etiàm illorum pro nobis, quàm dum hîc peregrinarentur, esse solicitudinem, & sicut cum angelis de nostra salute lætantur, ità & de nostra perfidia simili ratione contristari necesse est. Alioquin quomodò sanctorum statuemus communionem, quā nonus symboli articulus credendam proponit? æquè enim sunt nostra membra (quorum Christus caput est) atquè illi qui in terris adhuc degunt, vt videre est apud D. August. & quotidiè vehementèr nostrā exoptant salutem, vel ipso propheta teste: Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant iusti donèc retribuas mihi. Si verò (quod absit) indignum iudicaueris, vt sancti suppetias nobis precibus suis ferant, eadem ratione sustuleris saluberrimam Christi pro nobis interpellationem, ac D. Ioannem & D. Paulum mēdacij suggillabis: nam vterq; Christi pro nobis intercessionem constantèr affirmat. Dices fortasse solā Christi intercessionem vniuerso orbi sufficere, ac proindè superuacaneas esse Sanctorum preces. Hoc argumentū etsi rudioribus inuictū appareat, lectori tamen paululùm versatiori vitreum, atq; àdeò ridiculum videbitur. Hoc enim pacto etiàm mutuas viuorū preces funditùs subuerteris, quas expressissimis scripturarum testimōijs & exemplis firmatas nulla ratione quisquam negauerit. Nec est quòd sanctos longiùs à nobis dissitos causeris, & proindè nescire quid rerum agatur in terris. Nouum instrumentum euolue. Christi verbum est, ità angelis esse gaudium in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, q̄ super nonagintanouem iustis &c. Si angelis hominum pœnitentia innotescit, cur etiàm sanctis, qui non mi-

In enchi. ad Laurentium cap. 56.

Sancti an preces nostras audiát.

minore desiderio salutē sitiunt nostram? Et si virtutū vitiorumq; studium compertum habent, an ignorabunt suspiria, gemitus, lamenta & preces nostras? Vndè Helizæus Propheta adhuc mortalis, cognouit quid rex Syriæ animo versaret, quid sceleris Giezi perpetrâsset? Quid de his quæ scienda sunt, nesciunt, inquit diuus Gregorius, qui scientem omnia sciūt? Animę, inquit D. Augustinus, non vocis clamorem, sed cordis audiunt, & se fidelitèr inuocantibus subueniunt. Sed non tu primus es Smideline, qui gigantæa audacia bellum sanctis intulisti. Cap. 39. de cognit. verę vitæ.

Calumniabatur olìm Catholicos Vigilantius, quòd Sāctorum memorias venerarentur, cereis accensis eos honorarent, & suffragia eorum exposcerent. Magnum, inquiebat ille, honorē præbēt homines beatissimis Martyribus, quos putant de vilissimis cereolis illustrandos, quos agnus qui est in medio throni, cum omni fulgore maiestatis suę illustrat. Cui hunc in modū respōdet Hieronymus: Quis, ô insanum caput, aliquandò Martyres adorauit? quis hominem putauit Deum? & paucis interiectis, dolet Martyrū reliquias precioso operiri velamine, & non vel pannis, vel pellicio colligari, vel proijci in sterquilinium, vt solus Vigilantius ebrius & dormiens adoretur. Ergò sacrilegi sumus quandò Apostolorū basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Cōstantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andreæ & Lucæ & Timothei transtulit Constantinopolim? apud quos dæmones rugiunt, & habitatores, Vigilanti, illorum se sentire præsentiam confitentur. Sacrilegus & nunc Augustus Archadius, qui ossa B. Samuelis longo pòst tempore de Iudæa transtulit in Thraciam? Omnes episcopi non solùm sacrilegi, sed & fatui iudicandi, qui rem vilissimam & cineres dissolutos, in serico & vase aureo deportauerunt? Stulti omnium ecclesiarū populi, qui occurrerunt sanctis reliquijs, & tanta lętitia quasi præsentem viuentemq; cernerent, susceperunt: vt de Palæstina vsque Chalcedonem iungerentur populorum examina, & in Christi laudes resonarent? Videlicet adorabant Samuelem, & non Christū, cuius Samuel & Leuíta & propheta fuit? Mortuum suspicaris, idcircò blasphemas. Lege Euangelium: Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, non est Deus mortuorum, sed viuorum. Si ergò Matt. 22.

gò viuunt, honesto iuxta te carcere non clauduntur. Ais enim (inquit Hieronymus) vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerij, vel subter aram Dei animas Apostolorum & Martyrum cõsedisse, nec posse suis tumulis, & vbì voluerint, adesse præsentes. Senatoriç videlicet dignitatis sunt, vt non inter homicidas teterrimo carcere, sed in libera honestaq; custodia, in Fortunatorũ insulis, & in campis Elysijs recludantur. Tu Deo leges pones? Tu Apostolis vincula inijcies, vt vsq; ad diem iudicij teneantur custodia, nec sint cum
Apoc. 14. Domino suo, de quibus scriptum est: Sequuntur agnum quôcũq; vadit? Si agnus vbiq;, ergò & hi, qui cum agno sunt, vbiq; esse credendi sunt. Et cùm diabolus & dæmones toto vagentur orbe, & celeritate nimia vbiq; præsentes sint, Martyres post effusiõem sanguinis sui ara operientur inclusi, & indè exire non poterunt? Dicis in libello tuo, quòd dum viuimus, mutuò pro nobis orare possumus: postquàm autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio. Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti, possunt orare pro cæteris, quandò debeant de se adhuc esse soliciti: quanto magìs post coronas, victorias & triumphos? Hæc & multò plura his ibì D. Hieronymus, ex quibus si non animaduertit Smidelinus, & causam communem, & habitatorem spiritumq; vnum se habere cum Vigilantio, meritò ebrius & dormiens videbitur. Cùm igitur in lib. aduersùs Reuerendiss. Hosium apertè numerârit Vigilantium inter hæreticos, quid mirum si Smidelinum habeamus pro hæretico, cui tam bellè cum hæretico Vigilãtio cõuenit? Iam quid pergam recensere D. Ambrosium de inuentione corporum Sanctorum Geruasij & Protasij & stupendis miraculis circa ea patratis? Quid rursùs Hieronymum in Epistola ad Iulianum? Quid eundem de corporib⁹ SS. Petri & Pauli? Quid Chrysostomum in Iuuentium & Maximum Martyres? Sæpè eos inuisamus, inquit, tumulos adornemus, magnaq; fide reliquias eorũ cõtingamus, vt indè benedictionem aliquam assequamur: quæ enim volunt, apud regem cælorum impetrare possunt. Quid eundem in hom. 66. ad populum Antiochenum? Seruorum crucifixi, inquit, sepulcra, regis aulis sunt clariora: nõ magnitudine & ædificiorum pulchritudine, sed quod multò magìs est, conuenientium studio.
Nam

Nam & ipse qui purpuram indutus est, accedit illa complexurus sepulcra, & fastu deposito, stat sanctis supplicaturus, vt pro se apud Deum intercedant &c. Et paucis interiectis: Sanctorum ossa hanc habent potestatem, vt dæmones sistant & torqueant, & vinctos ab illis soluant seuissimis vinculis. Cinis & ossa & fauilla, inuisibiles illas potestates dilaniant. Itaque quò regias quidem aulas videat, nullus vnquàm peregrinatus fuerit: multi verò reges, huius spectaculi gratia peregrinati sunt. Alibì quoquè idem Chrysostomus desiderium suum videndi & venerandi catenas & carcerem, quo Paulus vinctus fuit, & plura alia in eādem sententiā exponit. Quis mihi nunc dabit, inquit, circunfundi corpori Pauli, affigi sepulcro, videre puluerem corporis illius, quæ adhuc in Christo deerant, adimplentis? &c. Et hæc qaidem est concors & consentiens omnium sanctorū Patrū & Conciliorum sententia de venerandis & ornandis reliquijs & sepulcris sanctorum. Quid ad hæc dicturam putamus fuisse censuram Philippo? fortasse quia cnmmodiùs senserint illi SS. Patres, quàm scripserint: nequè enim quid asperius de leuitate Philippi expectarem. Quid verò tu Smideline? vno in loco miracula ad sanctorum sepulcra designata, sinè vlla simulatione vocas præstigias dæmonū. In libro verò aduersùs Hosiū, postq̄ miracula suggillâsti, subijcis: Non loquimur autem de miraculis sanctorum, quibus doctrina verè pia confirmata est &c. paulò pòst velum vertēs: Persuasum est, inquit, miserum vulgus, Sāctos, quorum opem implorabant, & quos colebant, omnis generis morbos curâsse. Paulus operationem sathanæ appellat &c.

Serm. 32. in epist. ad Rō.

pag. 343.

Rursùs contra Bredenbachium, paulò ante calcem libri nōnulla ex Epiphanio producis contra Collyridianos & Antidicomarianitas, quorum hi quidem vilipendebant sanctam virginē, inquit Epiphanius, illi verò vltra decorum glorificabant. Sed quæso te Smideline, quid his Epiphanij verbis persuadere conaris? Scilicet non adorandam esse Mariam? At hoc ipsum nos vnà cum vniuersa ecclesia Catholica fatemur, & suprà ex D. Hieronymo aduersùs Vigilantium clarè docuimus. Neq; est quod distinctionem douliæ & latriæ tam contumacitèr reijcias: quam vt infinitis doctissimorum, antiquissimorum, pientissimorumq; virorum testimonijs

fultam ostendere possumus, ità plusquàm satìs eãdem confirmat idem D.Hieronymus loco citato, & Augustinus in adducto superiùs loco contra Manichæum. Sed de hac re paulò pòst latiùs agemus. Sanè nil aliud ibidèm docet Epiphanius, quàm adorationem siue latriam, neq; Mariæ, neq; sanctis conuenire. agit enim contra illos qui Collyridem per sacrificium illi offerebant. Quanto verò magnificētiùs de D.virgine & sanctis sensit Epiphanius, quàm tu, qui passìm non alio ferè nomine dignaris Sanctos, quàm vt mortuos appelles? Sancti, inquit (cōtra Antidicomar.) Epiphani⁹, sunt in honore, quies ipsorum in gloria, profectio ipsorum hinc in perfectione, sors ipsorum in beatitudine, in mansionibus sanctis, tripudium cum angelis, diæta in cælo, conuersatio in diuinis scripturis, gloria in honore incomparabili ac perpetuo, brauia in Christo Iesu Domino nostro. Audiui nunc ego te, Smideline, contra virginem Matrem adducere Epiphanium. Audi tu vicissìm me eundē adducentem contra nuptias tui Luteri. Tradiderunt, inquit, sancti Apostoli, peccatum esse, post decretam virginitatē ad nuptias cōuerti. Et paulò pòst: Si itaq; & ea quæ post mundi experientiā vidua fuit atq; Deo dicata, & posteà nupsit, iudicium & condemnationem habebit, quòd primam fidem reiecit: quanto magìs, quæ citra mundi experientiam Deo dicata virgo fuit & nupsit, contra Christum lasciuijt, & maiorem fidem reiecit, & iudicium habebit, velut quæ proprium erga Deum propositum relaxauit? Quomodò hæc sonant in auribus tuis Smideline? Iam si ego tibi recensere inciperem eos, qui iam olìm ante mille annos duliam attribuerunt sanctæ Virgini, eiusq; intercessiōem apud filium petiuerunt, quàm non mihi defutura essent p̄clara & illustria testimonia? Sed vt breuitati consulam, duo duntaxàt in medium proferemus. Ex his primum faciemus sanctum illū Ephrēm, Basilij Magni discipulum, qui vixit anno Domini 380. Hic virginem Matrem his verbis inuocat: Tu peccantium & auxilio destitutorum adiutrix, sub alis tuis custodi me & protege. Crebris lachrymis te ô mater, imploro, & aduolor tibi Domina mea, suppliciter clamans, nè dulcis filius tuus vitæ omnium dator, ob multa quæ patraui scelera, miseram animam meam diripiat &c. Subiungit posteà: Precibus Dei genitri-

Hæres. 41.

In orat. de sanctiss. Dei matris laudib.

tricis sempèr virginis,& exercitûs cælestium,ac cœtûs angelorum, Cherubin,Seraphin,Prophetarum,Martyrum,Hierarcharum,Sã-ctorum studiosorum intercessionibus, & omnium beatorum supplicationibus miserere creaturæ tuæ, Deus mi clementissime &c. Idem beatus Ephræm scripsit sermonem de laudibus martyrum.

Alterum faciemus Imperat. Iustinianũ in l.1.in princip.C. de officio præfecti Prætorio Africę:Deprecantes,inquit,exoramus sanctæ & gloriosæ sempèr virginis Marię precibus,vt quicquid minùs est Reipublicæ nostræ,per nos vltimos seruos suos restituat in nomine suo Deus.Prætereo hîc D.Ambrosium in oratione secunda, præparante ad Missam,vbì inuocat D.Virginem, Apostolorumq; intercessionem implorat.Itidèm Augustinum,qui summa deuotione in precibus suis Mariam Domini matrem implorat lib.Meditation.cap.40.Idem habet illam Ecclesiasticam Oden,Sancta Maria, succurre miseris &c. Taceo melliflua illa & creberrima D.Bernardi ad virginem Matrem elogia.Quid habet ad hæc dicere Antidicomarianita Smidelinus?An prouocabit ad scripturam? At illa prędicat Mariam gratia plenam,benedictam inter mulieres,beatũ eius ventrem qui portauit Christum, beatam eam dicturas omnes generationes. An putabit vniuersos illos laudatissimos Patres fuisse idololatras?nesciuisse quo honore, quo cultu & veneratione prosequendi sint sancti? An tu hoc ipsos docebis Smideline? An tu vniuersam Catholicæ Ecclesiæ normam præsumes inuertere? Post mille quingentos annos docere, quæ antè nesciuimus? nę te maturiùs è nido proreptâsse oportuit. Iam quòd dicis,miracula q̃ ad reliquias & sepulcra sanctorum designantur, esse præstigias dęmonum,non tam eget verbosa refutatione,quàm operosa & egregia fustigatione.Quis vnquàm præter blasphemos hæreticos, Eunomium,Porphyrium & Vigilantium tam impias voces in sacros Diuorum cineres profudit? Refert B. Ambrosius ad mausoleum virginis nó diabolicas, (vt hic malleator blasphemat) sed diuinas & planè mirabiles visiones fuisse à Domino multis ostẽsas, signaq; innumera & virtutes prodisse. Chrysostomus quoq;, Verùm, inquit,vt Deus misericorditèr multas salutis occasiones præstat, ità cum alijs hanc nobis parauit, vt sanctorum reliquiæ nos ad virtu-

ser. 2. de annun.Dñi, & ser. 2. de assump. B.Mariæ.

In passi. D. Agnetis.

In sermo.B. Babylæ.

tem excitent, cùm illas veneramur. Etenim post concionandi munus, tumbæ solus adſpectus plurimùm iuuat: loculis enim illis adſtantes, eorum virtutem ſentiunt. Idem de laudibus Pauli: Vis do-
Hom.5.to.3 na Dei cognoſcere? Veſtiméta Pauli dæmonib⁹ terrori erant. Quid ad hæc dices? Pergésne diuinam in martyrum corporibus virtuté præſtigias dæmonum appellitare? O hominem verè dęmoniacum.
4. Re. 13. Quid igitur dices ad illum ſcripturæ locum, Quidam ſepelientes hominem, viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in ſepulcro Eliſæi: Quod cùm tetigiſſet oſſa Eliſæi, reuixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos? Hoccine tam ſtupendum miraculum, quo Deus defunctum prophetam cohoneſtauit, præſtigijs dæmoniacis patratum blaterabis? Vmbra Petri & ſudaria Pauli morbos curauerunt: cur eandem virtutem adimat ſanctis ſuis Deus, piè in Chriſto defunctis, & conſummato iam certamine coronam immarceſcibilem adeptis, quam in mortali corpuſculo peccatis ac defectibus obnoxio adhuc conſtitutis, ſæpenumerò eſt elargitus? Iam cuius eſt impudentiæ & impietatis, ad hanc blaſphemiam ſtabili-
Smid. endam adducere D. Paulum Apoſtolum ad Theſſaloniceñ? Hæc
pa.343. adu. Hoſ. (inquit blaſphemus malleator) miracula ad ſtatuas ſanctorum facta, quo authore edita ſint, demonſtrat D. Paulus: Cuius aduentus, inquit, erit ſecundùm operationem ſathanæ in omni virtute, ſignis & prodigijs mendacibus. Perſuaſum eſt miſerũ vulgus, ſanctos quorum opem implorabant & quos colebant, omnis generis morbos curâſſe: D. Paulus operationem ſathanæ appellat &c.

Bred. Quid eſt ſcripturam adulterare, quid blaſphemare, ſi hoc non eſt? Paulus ibì non de miraculis ad ſepulcra ſanctorũ iam olìm factis, atq; etiamnùm multis in locis conſpicuis loquitur, quæ ſancti Patres, iam nunc adducti, diuina appellant, ſed de ipſo Antichriſto imminente ſeculi conſummatione venturo, & annis tribus & ſex menſibus regnaturo, orbemq; ſignis & prodigijs mendacibus
lib.3.cap.13. ſeducturo, vt ſuprà hunc Apoſtoli locum ex luculẽtis SS. Patrum explicationibus elucidauimus, & tu laxatis blaſphemæ linguæ habenis, miracula diuina virtute ad fideliſſimorum ſeruorum ſuorũ ſacros cineres deſignata, ad Antichriſti ſigna & prodigia mendacia relegabis? O Porphyrianam & Eunomianam blaſphemiam. Si hęc

hæc miracula, quibus mali ſpiritus eijciuntur, morbi curãtur, præſtigiæ dæmoniacæ eneruantur: ſi, inquam, hęc ſunt dęmonum pręſtigiæ, quomodò Sathanas ſathanã eijcit? Dæmones apud ſanctorum ſepulcra rugiunt, inquit Hieronymus, & habitatores Vigilantij (cum quo cauſę & ſpiritûs communionem habet Smidelinus) illorum ſe ſentire pręſentiam cõfitentur. Quis cum tali pugile decertet, qui impudentia & malitia vincat ipſos dęmones? Quid ſupereſt, niſi vt foro deſerto, corollam demus victori & triumphatori Smidelino? Videor enim mihi videre triumphantem illum, lituo & trabea decorum, ſublimem mula vehi, & de Aſtaroth, Behemoth, & Leuiathan, & vniuerſa Plutonis familia triumphum agere. Nec ſanè pręter legem aut meritum in eburneos triumphãtium curr⁹, excuſſa fabrili fuligine, ex officina ſua proreptat Smidelinus. Lex enim triumphandi, conſenſu & approbatione Senatûs populiq; Romani lata, hęc eſt: Si Imperator hoſtiũ quinq; millia cecíderit acie vna, maioremq; exercitûs partem ſaluam reportârit, triumphato: cui legi cùm noſter triumphator abundè fecerit ſatìs, vna videlicet lectiſſimorum mendaciorum phalange, vniuerſum illud agmen auerniuagum ſuperans & deuincens, ex om̃ium conſenſu & legis Romanæ decreto, iure triumphat. Fortaſsìs aut medio iam in templo verſari ſe, aut videri putabit. Sed hoc velim tibi perſuadeas Smideline, me cum Regio Pſalte perfecto odio odiſſe, non te, ſed infrenem illam & intolerandam blaſphemi oris tui ſpurcitiem & purulentiam, qua relaxatis omnibus petulantiſſimæ linguæ tuæ habenis, in ſacratiſſimam χριστοτόκον, in ſanctos Apoſtolos, inuictosq; Martyres, eorumq; cineres & ſepulcra, tam blaſphemè & procacitèr expuis. Summa olìm fuit paterni ſepulcri religio, quod ex Thamyridis fabula colliquet. Proindè qui monumétum patris violâſſet, huic, ſicut & parricidis, Erynnes furias vltrices immittebãt, neq; quicquã ꝓſperè ſuccedebat, vtì coarguit illud Horatij:

Cõt. Vigil.

Smidel. de dęmonibus triumphat.

Pſal. 138.

In arte poëtica.

Nec ſatis appáret, cùm verſus factitet, vtrùm
Minxerit in patrios cineres, an triſte bidental
Mouerit inceſtus, certè furit.

Tu verò Smideline, in eorum cineres, in ſacratam & nunquàm ſatìs laudatam eorum memoriam, qui te regenuerũt CHRI-

STO

STO, quibus eam ipſam fidem, ſi quam habes de CHRISTO acceptã ferre tenéris, quos omĩ cultu, obſequio & veneratione proſequi deberes, in eorum recolenda oſſa & ſacratas reliquias tam nefario auſu immeiere non expaueſcis? Chriſti per eos patrata miracula traduces velut præſtigias dæmonũ? Si ludis, obſecro, valeant tales ioci, quibus temerantur res ſanctæ & diuinæ. Sin ſeriò agis, & verum dicere vis videri, quomodò ſatanas ſatanã eijcit? quomodò ad pſtigias diabolicas ipſi diaboli exhorreſcunt, contremiſcunt, rugiunt, è domicilijs ſuis ex corporibus humanis profligantur, vt apertè referũt D. Hierónymus & Chryſoſtomus? Siue tamen ludis, ſiue ſeriò deblateras, idem ille ſpiritus immundus, qui Vigilantium exagitauit, eo iam olìm derelicto, ex tui pectoris officina, nouum ſibi domicilium fabricauit. Nihil hîc citra veritatis aſſiſtentiam, ſolo affectu ſuggerente, ſcribimus: & ſi facerem, tuis vterer ſtrophis, qui, docente Bredẽbachio, quantoperè ab eiuſmodi diſcipulis cauendum ſit, qui diſſertorem & magiſtrũ habuêre diabolum, quem Lutero familiaré fuiſſe, ipſius teſtimonio conſtat, nihil aliud reſpondes, q̃ diabolum qui diſputauit cum Lutero de Miſſa priuata, aſſcendiſſe in cor Grammatici, atque ità perbellum te Brentij & Luteri hyperaſpiſten egiſſe gloriaris. Sed libentèr tibi hoc condonamus, agnoſcimus te ingenij tui impotẽtem: genio, qui te exagitat, hoc imputatum eſto. Quem ſi fortè per tuî ipſius ignorantiam nondùm familiariùs cognouiſti, referemus eius orationem, quam aliquandò per cauſæ tuæ conſortem Vigilantium profudit, vt ex ipſius orationis lineamentis, ipſum & Vigilantij ſimul & tuum hoſpitem loquentem ac dictitantem agnoſcas. Sic refert Hieronymus de Vigilantio: Argumentatur contra ſigna atq; virtutes, quæ in Baſilicis Martyrum fiunt, & dicit eas incredulis prodeſſe, non credentibus: quaſi nunc hoc quæratur, quibus fiant, & non qua virtute fiant. Eſto, ſigna ſint infidelium, qui quoniam ſermoni & doctrinæ credere noluerunt, ſignis adducantur ad fidem: & Dominus incredulis ſigna faciebat, & tamen non idcircò Domini ſuggillãda ſunt ſigna, quia illi infideles erant, ſed maiori admirationi erũt, quia tantæ fuêre potẽtiæ, vt etiàm mentes duriſſimas edomarent, & ad fidem cogerent. Itaq; nolo mihi di-

cas

cas, inquit Hieronymus, signa infideliũ sunt: sed responde, quó in vilissimo puluere & fauilla nescio qua, tanta sit signorum virtutumq; præsentia. Sentio sentio, inquit idem Hieronymus, infelicissime mortalium, quid doleas, quid timeas. Spiritus iste immundus, q hæc te cogit scribere, sæpè hoc vilissimo tortus est puluere, immò hodieq; torquetur, & qui in te plagas dissimulat, in cæteris confitetur, nisi fortè in morem gentilium, impiorumq; Porphyrij & Eunomij, has præstigias dæmonum esse confingas, & non verè clamare dæmones, sed sua simulare tormenta. Do consilium: ingredere basilicas Martyrũ, & aliquãdò purgaberis: inuenies ibì multos socios tuos, & nequaquàm cereis martyrum, qui tibi displicẽt, sed flammis inuisibilibus combureris, & tunc fateberis, quod nũc negas, & tuum nomen, qui in Vigilantio loqueris, liberè proclamabis, te esse aut Mercurium propter nummorum cupiditatem, aut Nocturnum, iuxta Plauti Amphitryonem, quo dormiente, in Alcmenæ adulterio duas noctes Iupiter copulauit, vt magnæ fortitudinis Hercules nasceretur: aut certè Liberum patrem pro ebrietate & cantharo ex humeris dependente, & sempèr rubente facie, & spumantibus labijs, effrenatisq; conuicijs. Et paulò pòst: Tales habet aduersarios ecclesia. Hi duces contra Martyrum sanguinem dimicant, huiusmodi oratores contra apostolos pertonant: immò tam rabidi canes contra Christi latrant discipulos. Ego confiteor, inquit, timorem meum, nè forsitan de superstitione descẽdat. Quandò iratus fuero, aliquid mali in meo animo cogitauero, & me nocturnum phantasma deluserit, basilicas Martyrum intrare non audeo, ità totus & animo & corpore pertremisco. Rideas forsitan, & muliercularum deliramenta subsannes. Non erubesco earum fidem, quæ primæ viderunt Dominum resurgentem, quæ mittuntur ad Apostolos, quæ in matre Domini Saluatoris, sanctis Apostolis commendãtur. Tu ructato cum seculi hominibus, ego ieiunabo cum fœminis, immò cum religiosis viris, qui pudicitiam vultu præferunt, & pallida iugi continentia ora portantes, Christi ostendunt verecundiam &c. Hæc ibì strenuus ille Catholicæ fidei propugnator Hieronymus. Iam ego Smideline acerbioribus conuicijs tecum agere nolo, tametsi & optimo iure & tuo ipsius exem-

Tibi dictũ hoc pnta Smideline.

plo id mihi in te liceret: Sed nihil aliud tibi imprecor, quàm vt isto tetro, immani, spurco & blasphemo spiritu aliquãdò per gratiã Dei, & diuorum Martyrum intercessionem libereris, qui te tam portẽtosa & noxia metamorphosi ex homine Christiano in Luteranum, ex Luterano in Vigilantianum, ex Vigilantiano in Porphyrianum & Eunomianum admirabili versutia trãsformauit. Dedit tibi cõsilium Hieronymus, qua ratione tetrum istum dæmonem queas excutere, & ad stygiam Orci familiã relegare. Quòd si persuasum habes, te meris spiritibus Cherubicis & Seraphicis possideri, eorumq; dictamine & instinctu tam turpia, tam spurca, tam paganica & blasphema profundere, eo ipso magìs deplorandus es, quòd nec teipsum, nec hospites tuos, nec infelicitatem tuam agnoscas aut persentias. Vnum adhuc addam pro auctario: Si idololatricũ est, inuocare & colere diuos, venerari sepulcra Martyrum: Respondet rursùm tibi Hieronymus, Malè ergò facit Romanus episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli, secundùm nos, ossa veneranda, secundùm te, vilem puluisculum, offert Domino sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria. Malè fecit Pius V. Romanus episcopus, quem in eodem altari ipso die Pentecostes anni superioris sacris religiosissimè operantem vidimus. Quin & friuolè & ridiculè queritur Diuus Chrysost. se per valetudinẽ interesse non potuisse, cùm Christiani corpus cuiusdam Martyris solenni processione Constantinopolim, atq; indè per totam ciuitatem circunferrent. Sed verisimilius erit, si dicamus Smidelinũ friuolè & ridiculè garrire de re quam vel non intelligit, vel malignè dissimulat, & blasphemè impugnat. Possem sanè vel integrũ volumen eiusmodi luculẽtissimorũ testimoniorũ, de cultu, veneratiõe & inuocatiõe sanctorũ Smidelinianis blasphemijs oppõere. Verũ si hæc ei non satisfaciunt, dicam cum Abrahamo: Si hos non audiat, etiamsi ex mortuis quis resurrexerit, non credet. Si quis tamen plus videre desiderat, extat inter infinitos alios liber Alexandri Candidi de veneratione reliquiarum contra Ioannem Caluinum, tùm etiàm Via regia Ioannis Fabri Ecclesiastæ Augustani, & concio D. Martini Eisengreinij de reliquijs sanctorum & peregrinat. nupèr à nobis Latinitate donatæ. Hos duos Lectori quantunuìs

Luc. 16.

auido satisfacturos existimo. Smidelino fortassis nemo sat fecerit, donèc tandèm ipse peruicaciæ & rebellionis suæ reus postulatus, luendo & supplicium ferendo, vindictæ & iustitiæ diuinæ satisfaciat.

Cap. 28.

Refelluntur argumenta Smidelini in Reuerendiss. D. Hosium & Bredenbachium contra inuocationem & venerationem Sanctorum.

SEd videamus quàm ficulneis & fabrilibus argumentis Sanctorum inuocationem oppugnet. Exagitat Reuerendissimum Hosium, quòd scripserit nos Christum in sanctis inuocare. Si ergò collectio valet, inquit, propterea sanctos inuocandos, quòd in ipsis Christus sit, eadem paritèr ratione omnes totius orbis creaturas inuocabimus, atq; hoc modo ipsorum litania augebitur, Sancta species panis ora pro nobis, Sanctæ arbores & herbæ orate pro nobis, Sanctum cælum ora pro nobis, siquidē Christus est in cælo &c. fol.123. Smid.

Hæc ibi perbellè sanè atque admodùm fabrilitèr Smidelinus. Quid superest, nisì vt pari ratione dicamus, Sancte Vulcane, sancte Pluto ora pro nobis? nam & hi sunt creaturæ, & in ipsis est Deus per vindictam. Quæ est hęc collatio? Christus vbiq; est, tam in herbis & arboribus quàm in sanctis Dei hominibus, ergò tam herbæ & arbores, quàm sancti sunt inuocandi. Sic sanè decet Babylonicæ turris ædificatorem cōfusè de quibuslibet rebus differere. Verùm si vel solum Augustinum in epistola ad Dardanū vel etiàm Theologos Scholast. in distinct. 37. lib. 1. Sententiarum legisset, nôsset quòd licèt Deus vbiq; sit, non tamen eodem modo sit in omnib⁹. Fatendum est, inquit D. August. vbiq; esse Deum per diuinitatis præsentiam, sed non vbiq; per habitationis gratiam. Et cùm qui vbiq; est, nō in omnibus habitet, etiàm in quibus habitat, nō ęqualitèr habitat. Nam vndè est illud quòd Helisæus popoſcit vt dupliciter in eo fieret spiritus Dei, qui erat in Helia? &c. Sed fusiùs hác materiam prosequitur Lombardus loco citato, & tandèm, In illis, inquit, verbis quibus dicitur Deus vbiq; esse per essentiam, plus Bred. epist. 57. 4. Reg. 2.

aliquid contineri credendum est,quod homo viuens capere non valet &c.Per naturam igitur est Deus in rebus & creaturis inanimatis,quæ hoc commune habent cum Deo,quia sunt: res animatæ,quia sunt & viuunt:creaturę rationales,quia sunt,viuunt,& Dei mirabilia ratiocinando considerare,& laudibus prosequi possunt. Per gratiam est in bonis & sanctis essentialitèr,vt loquuntur scholastici.Per vnionem fuit in vtero virginis vnitus humanæ naturæ. Per conseruationem & gubernationem est in mundo. Per vindictam in hominibus & spiritibus malis.Qui vbiq; totus es,inquit D. August.qui sentiri potes,videri nõ potes,qui nusquàm dees, & tamen ab iniquorum cogitationibus longè es. Qui nec ibì dees, vbì longè es:quia vbì non es per gratiam,ades per vindictam. Qui oīa tangis,nec tamen omnia tangis æqualitèr. Quia igitur creaturæ quod sunt & hominibus prosunt,totum à Deo habent, rectè tres pueri apud Danielem,Deum in his omnibus laudârunt & benedixerũt: ipsas verò mutas & inanes creaturas adorandas, quia Deus in ipsis sit per naturam,& quia substantiam suam à Deo sortitæ sunt, nullus vnquàm docuit.Porrò si Smidelinus contendere velit,vno eodemq; modo Deam vbiq; esse,quid superest, nisì vt precationem Dominicam recitaturus dicat,Pater noster qui es vbiquè?

ca.29.Meditation.

Dan.3.

Smid. Occlamat nunc rursùm Bredenbachio, Valdè, inquit,impudètèr negat,quod in imaginibus neq; spem salutis collocauit &c. Quid quæso aliud docent tot peregrinationes ad peculiares statuas, si nulla virtus eis tribuitur?

Bred. Equidem non diffiteor plusculum, immò multum, superstitionis in hasce peregrinationes irrepsisse,eamq; superstitionem grauissimè vetitam esse ipsis pontificum Rom.sanctionibus, vt videre est in tit.de Reliq.& venerat.sanctor.(li.3. decretal.tit.45.) verùm vt vniuersam rem damnemus, multis exemplis ac rationibus prohibemur.In Hist.Ecclesiast.legimus Aquilinum quendã,cùm longas passus esset infirmitates,iussisse suis,vt se ad Michaleum locum Michaëli sacrum ducerent,credens aut illic se mori, aut languore priuari,& sanatus est.Et D.Augusti.apertè testatur,Deum quidem per suos operari salutem hominum in vno loco,quod in alio non facit,sed qua ratione hoc ipsum fiat,fatetur se planè nescire.Quæstio,

In li.de cur. pro mort.

ſtio,inquit,illa vires intelligentiæ meę vincit,quemadmodùm ſcilicet opitulentur Martyres his, quos per eos certum eſt adiuuari. Prætereà cùm quidam ex ſodalitio Auguſtini intendiſſet crimen Bonifacio Auguſtini presbytero,viſum tandèm eſt Auguſtino, vt ambo ſe conſtringerent ad locum ſanctum ſe peregrinaturos,vbì terribiliora opera Dei non ſanam cuiuſq; conſcientiam multo faciliùs aperirent,& ad confeſſionem vel pœna vel timore compellerent. Vbiq; quidem Deus eſt,inquit Auguſt.& nullo continetur vel includitur loco,qui condidit omnia, & eum à veris adoratoribus in ſpiritu & veritate oportet adorari,vt in occulto exaudiens, in occulto etiàm iuſtificet & coronet. Verùm tamen ad iſta q̃ hominibus viſibilitèr nota ſunt,quis poteſt eius conſilium perſcrutari,quarè in alijs locis hæc miracula fiant,in alijs non fiant?Multis enim notiſſima eſt ſanctitas loci,vbì B.Felicis Noléſis corpus cõditum eſt,quò volui vt pergerent, quia indè nobis faciliùs fideliuſq; ſcribi poteſt,quicquid in eorum aliquo fuerit diuinitùs propalatum. Nam & nos nouimus Mediolani apud memoriã ſanctorum, vbì mirabilitèr & terribilitèr dæmones confitentur, furem quendam,quia ad eum locum venerat,vt falſum iurando deciperet, compulſum fuiſſe confiteri furtum,& quod abſtulerat,reddere:nunquìd non & Aphrica ſanctorum Martyrum corporibus plena eſt?Et tamen nuſquàm hìc ſcimus talia fieri. Sicut enim quod Apoſtolus dicit,Non omnes ſancti habent dona curationum, nec omnes habent dijudicationem ſpirituum,ità nec in omnibus memorijs ſanctorum iſta fieri voluit ille,qui diuidit propria vnicuiq; prout vult.Hæc ibì D.Auguſt. Quid Romæ in templo D.Antonio ſacro euenerit,multi adhuc nôſſe poſſunt,quandoquidem annis abhinc plùs minùs 34. ſtupendum iſtud miraculum contigit. Cùm furti reus poſtulatus Marcus Spoletanus(ſi rectè memini nominis)ad aram D.Antonij adductus eſſet,vt iuramento ſe purgaret,periurus triduano incendio diuinitùs corpori ipſius immiſſo ſpectantibus cunctis lenta quidem,attamẽ terribili pœna conſumptus eſt.Quòd igitur ad peculiares aras,ſtatuas ac templa Chriſtiani pro pietate ſua nonnunquàm confugiunt,vides nunc Smideline,quam rationem habet.Et quis tu es vt Deo dicere debeas,Cur

Vide Augu. epiſt. 137.

1.Cor. 12.

hoc facis? Cur non pasśim quælibet quolibet in loco cócedis? Admirari hæc poſſumus, non curioſè perueſtigare debemus. Agnoſcamus cum Auguſtino quæſtionem hanc vires intelligentiæ noſtræ ſuperare. Cur etiàm non exagitas medicos, quòd non quælibet remedia ex quibuſlibet herbis petant? Cur non ipſum Deum, ꝙ virtutes aquarum, herbarum & gemmarũ diſtinxerit? quòd gratiam curationum diuiſerit?

Exibilat deindè Smidelinus vulgatam quidem, attamẽ ipſi D. Auguſtino, & vetuſtiſſimis eccleſiæ patribus obſeruatam, douliæ & latriæ diſtinctionem, eamq́; ſubuertiſſe ſe putat, quòd vbì Euangeliſta dixit, Non poteſtis DEO ſeruire & mammonæ, ibì textûs Græcus habeat, ὀυ δύνασθε θεῷ δουλεύειν καὶ μαμμωνᾶ. Bonus Græculus non animaduertit, ꝙ tametſi vni Deo debeatur ſeruitus religionis illa, quæ vno nomine latria Græcè appellatur, vt alicubì docet Auguſt. (epiſt. 49. ad quæſt. 3.) nonnunq̃ tamẽ hæc nomina có-
Deut. 28. fundi, vt creaturis latria, & Deo doulia tribuatur. Sic ipſe Moſes ait: Et ſeruies inimicis tuis, quos immittet Dominus Deus tuus ſuper te: vbì Græcus habet, λατρεύσεισ. Solet autem hoc verbum (inquit in hunc locum Auguſt. lib. 5. locution. Deuteron.) in ea ſeruitute
li. 2. q̃ſt. ſup Exo. 94. ſcriptura ponere, quæ debetur Deo. Ergò, ait, hîc inuſitatè poſitũ eſt hoc verbum &c. Idem D. Auguſt. in locum iſtum Exodi, Si ſeruiêris dijs eorum, erunt tibi offendiculo. Hîc Græcus, ait, δουλεύσησ habet, nõ λατρεύσησ. Vndè intelligitur quia & δουλεία debetur Deo tanq̃ Domino, λατρεία verò non nisì Deo tanquàm Deo. Hæc ille. Legimus tamen apud prophanos authores, vtrunq; vocabulũ promiſcuè nõnunquàm vſurpari. Sic Phocylides dixit καιρῷ λατρεύειν. & Plato, ἡ θεῷ δουλεία, ſeruitus quæ Deo debetur. authorq́; eſt Sextus Pompeius Feſtus, latrones ἀπὸ τοῦ λατρεύειν dictos, ꝙ mercede códucti ſeruiant. Quanquàm alij à latẽdo, vel etiàm quòd à latere înſidientur, dictos exiſtiment. Vides igitur Smideline, vtrunq; quidem Deo deberi, & duliam & latriam, hanc tamen plerunq; à ſcriptura vſurpari in ea ſeruitute, (vt inquit Auguſt. lib. 5. locut. Deut.) quæ Deo debetur: nihiloſeciùs alterum pro altero quandoq; abuſiuè poni. Neutiquàm ergò corruit antiquitùs vſurpata horũ verborum diſtinctio.

Sub-

Subnectit nunc longam seriem testimoniorũ Augustini, Gregorij, Cypriani, quæ omnia corrasit ex Gratiano, quibus probare conatur, ad sanctorum inuocationem probandam, non esse proferendam multorum annorum consuetudinem. Adducit eadem testimonia Gratianus ad hoc, quòd mala consuetudo non minùs, q̃ perniciosa corruptela, vitanda sit. Probet igitur Smidelinus, Sanctorum venerationem & inuocatiõem esse malam consuetudiné, & tunc Gratianum cum Patribus adducat. An autem verisimile sit, Patres illos sanctorum venerationem pro mala consuetudine habuisse, quã illi ipsi tot locis, tot ac tam illustribus irrefutabilibusq́; testimonijs confirmàrunt, vtì nunc copiosè satìs à nobis demonstratum est? Quocircà illud D. Augustini potiùs hìc locum habere arbitramur: Illa quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ toto terrarum orbe obseruantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel ex plenarijs concilijs (quorum est in ecclesia saluberrima authoritas) commendata atq; statuta retineri. Et illud Alexãdri Imp. à Gratiano citatum: Consuetudo præcedẽs, & ratio quæ cõsuetudinem suasit, tenenda est. Et quicquid contra longam consuetudinem fiet, ad solicitudinem suam reuocabit p̃ses prouinciæ. Nos igitur Smidelino Gratianum adducenti in distinct. 8. vbì agit de malis consuetudinibus tollendis, eundem Gratianum opponim' in distinctione 12. vbì fusè docet, contra consuetudines & traditiones vniuersales non esse agendum, qualem hanc esse luculẽtèr nunc docuimus. Deindè totum titulum Iuris Canonici de Reliq. & veneratione sanctorum.

dist. 8.

dist. 12. ſ. 1. C. q̃ sit lõga consuet.

Videam' iam postremo loco, quomodò huic gnisio Luteri discipulo cum Magistro suo cõueniat: Manifestissimis verbis Inuocationem sanctorum contra Pighardos asserit Luterus. Verùm, inquit, nè Pighardi hæretici infelices suas partes à me adiutas confidant, qui præ nimia ruditate nobis Teutonicis (superbissimo fastidio indignati) imponunt, quòd sanctos Dei colamus & idola faciamus: Et ideò cõtra nos aceruum versuum scripturæ congregãt, in quibus prohibetur nè adoret quis nisì vnum Deum. Et vt nobis apud suos iustissimam inuidiam conflare videantur, insidiosissimè omittunt, q̃ scribitur rex Dauid & Salomon & multi alij adorati,

Lute. in declamat. popula. de 1. p̃cepto to. 3.

Luteri testimõiũ ꝓ inuocatione sanctorum

orati,

orati, simul impij peruersores scripturæ, & subdoli calumniatores nostræ pietatis.

Ità enim rustici illi nos tãdèm docent, quod solus Deus sit adorandus, & gloriantur àc si nos idipsum negauerimus vnquàm, cùm tamen negare non possint, frequentèr aulicos regios honorari, ac velut adorari, vt faciliùs ad regem perueniatur. Propter horum itaq; rudissimam & insulsissimam rusticitatem, dico ego, ad Sanctorum suffragia recurrendum omni modo, sicut in Iob dicitur, Et ad aliquem Sanctorum conuertere. Et sicut Salomon suum patrem allegat, Memento Domine Dauid & omnis mansuetudinis eius. Sed & Iacob Patriarcha dixit de Ephraim & Manasse: Inuocetur nomen meum super pueros istos, & nomina Patrũ meorum Abraham & Isaac. Sed de ijs suo tempore, si Deus volet. Hęc ibì Luterus. & paulò antè, Hoc ipsum quoq; Deus optimè prouidit, vt aliqui sancti habeantur formidabiles, & velut vindices, propter obstinatas & duras ceruices, sicut S. Antonius & nonnulli alij &c. Huc pertinet exemplum de periuro illo, ad aram D. Antonij, quod paulò antè retulimus. In hunc tertium tomum operum Luteri, ex quo hæc desumpsimus, operosè præfatus est Melanchthon ad ducem Brãdenburgeñ Albertum. Cæterùm videt pius Lector, quomodò & ipsi Philippo in Confessione Augustana, & hìc Smidelino, Sanctorum inuocationem & cultum summè execranti, cum præceptore suo conueniat. O religiosos Luteri discipulos.

Psal. 131. Gen. 49. Sancti quidam formidabiles.

Cap. 29.

An Romanus Episcopus sit purpurata meretrix, de qua legitur in Apocalypsi, vt asserunt aduersarij.

REdit nunc ad purpuratam meretricem, & hãc dicit Romanam curiam, quæ magna sit illa Babylon, mater fornicationum & abominationum terræ. Sed quia hãc tam bellam, vt putat, allegoriam suprà quoq; operosè commemorauit, opinor ei satisfactum. Vocat quidem Romam purpuratam meretricem alicubì D. Hieronymus, (ad Algas. quęst. 11.) sed ideò, quia illi qui Romæ imperabãt, imperium Romanum putabant

tabant æternum. Vndè, inquit, secundùm Apocalypsin Ioannis, in fronte purpuratæ meretricis scriptum est nomẽ blasphemię, id est, Romæ æternæ &c. Et in hanc sententiam de Romana ambitione & fastu (quo velut rerum Domini, vt inquit poëta, vniuerso terrarum orbi imperitabant, & multis enormibusq; vitijs madebãt, cõmemorante Apostolo ad Romanos) intelligi potest hic locus iuxta plerosq; interpretes. Verùm Romã, excusso iam gentilitatis iugo, sub Christi signis militantẽ, esse Babylonem illam in Apocal. designatam, id nemo nisì scurrilis insaniæ tenebrio dixerit. Ad te loquar ô Roma, inquit D. Hieronymus lib. 2. aduersùs Iouinianũ, quæ scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delêsti. Ipsam quidem Romam à Babylonis nomine grauitèr & strenuè vindicat idem D. Hieronymus in Esaiæ caput 24. Pontificem aũt Romanum ab iniuria fastûs meretricij, ipsius hodierni Pontificis Pij V. probatissima pietas, Apostolicæ virtutes, & paterna in ecclesiam solicitudo facilè tuetur, etiàm silentibus tot summorum sanctissimorumq; Patrum & Martyrum de Romana sede elogijs. Apoc. 13. Rom. 1.

EPILOGVS.

HAec sunt, quæ Smidelinus contra libellum Bredenbachij de dissidijs componendis, scurrili dicacitate & proteruia euomuit, quæ cùm non tantùm in optimi charissimiq; parentis mei contumeliam, sed & venerandę Matris nostræ Ecclesiæ Catholicæ, & dulcissimæ Patriæ nostræ Germaniæ iniuriam & perniciem vergere conspicerem, perfidiam forè putaui, non patientiam, si non illi vel ob errorem deplorando, vel malitiam execrando, maleferiatas & blasphemas voces in iugulum recogerem.

Quod igitur Bredenbachius in libri sui titulo promisit se demonstraturum, qua ratione dissidia hæc religionis possint componi, id toto opusculo nõ minore fide præstitit. Neq; enim (vt iam ipsius Bredenbachij verbis vtar) vlla ratio est alia hæc componendi, quàm vt primus horum dissidiorum author Luterus, cum vniuersa illa sua doctrina, qua nihil vnquàm extitit seditiosius, (quęq; posteà in tot sectas est dissecta) conquisitis & abolitis pestilentissimis illis libris, tanquàm venenatarum sagittarum pharetris, totus In li. aduer. Henr. Pileũ.

eijciatur foràs:atq; illi magiſtratui,quem Deus ipſe in ciuitate ſua, quæ eſt Eccleſia Chriſti, cum grauiſſima poteſtate & authoritate inſtituit,ſuus honos,ſua authoritas,ſua obediétia reſtituatur. HOC facto,vnuſquiſq; epiſcopus,vnuſquiſq; princeps in ſuo epiſcopatu ac principatu inquirat,quid in religione, quid in diſciplina, quid in moribus luxatum ſit, vitiatum ſit, corruptum ſit: idque ſi tam grande ſit, vt non ſit in ſua poteſtate corrigere & inſtaurare: aut etiàm eius generis,vt correctio & inſtauratio eius ad ſe propriè non pertineat: tunc referatur ad illum Magiſtratum ſupremum,ad quem & ad cuius Iuriſdictionem omnia pertinent: vt ille ratiōe officij diuinitùs ſibi iniūcti corrigat atq; inſtauret, conuocato ad hoc,vbì opùs fuerit,ipſius ciuitatis ſenatu, hoc eſt, generali concilio, ſi quid controuerſiæ ſit, quod ipſe ſolus cum eo ſenatu,quem perpetuò apud ſe habet,dirimere non poſſit.

Hæc eſt illa ratio, inquit Bredenbachius, quam ego in titulo libri mei me demonſtraturum promiſi, qua mihi videantur hæc diſſidia poſſe componi. Neque hanc rationem ego ipſe ſomnians commentus ſum,neque ex humanis ſomnijs opinionibusq́ue collegi:ſed è ſolidiſſimis ſcripturæ diuinæ vtriuſque Teſtamenti ſententijs, quas in ipſo libro tanquàm digito indicaui & ſtylò publicaui. Neque adhuc vel tantillùm dubito, hanc eſſe veriſſimam, certiſſimam, compendioſiſſimam,atque adeò vnicam ſolamq́ue rationem diſſidia hæc componendi.In quo ſi quis me errare putat, inquit, is indicet aliam hac meliorem verioremq́ue. Quid hoc furoris eſt, cùm videamus ne in minimo quidem oppidulo poſſe contineri pacem ſinè aliquo ſupremo Magiſtratu,ſiue hunc conſulem,ſiue alio nomine dicimus, ac ne in vna quidē domo,in qua non ſit aliquis paterfamiliâs:aut ſi is peregrè agat, ſupremus aliquis œconomus, cui tota familia loco patrisfamiliâs, donec ipſe reuertatur, obtemperet: in hac autem tam immēſa ciuitate putare tali magiſtratu non eſſe opùs?in hac tanta domo, in qua tam innumerabilis eſt familia, ipſo patrefamiliâs iam vltra mille quingentos annos hinc peregrinante, atque apud patrem ſuum diuerſante, vndè ſe certò rediturum promiſit, nullo

opùs

opùs esse œconomo, cui intereà tota obtēperet familia? Nusquàm non isti homines iactant scripturas, iactant Euangelium. Atquì veteris testamenti scriptura apertissimè loquitur, ante aduentum CHRISTI summum illum magistratū sedisse in cathedra Mosis, idipsum confirmante Christo Matth.23. Post Christum verò, noui testamēti scriptura palàm loquitur eum sedere in Cathedra Petri, cui Christus in hoc ipsum dedit claues regni cælorum Mat. 16. & cui post se commendauit oues pascendas, Ioan.21. Hactenùs ipse Bredenbachius.

Te igitur iam appello Smideline: audiuisti, quid tibi ad ea quæ in libellum de dissidijs componendis tam contumeliosè & petulantèr euomuisti, responderim. Audiuisti tuis tam mōstrosis, multiformibus, absurdis, impijs, seditiosis & sæpè inter se pugnantibus paradoxis planè contrariam esse catholicæ & Apostolicæ fidei veritatem, quam inprimìs sacrarum literarum muniuit authoritas, quam Sanctorum virorū sempèr celebrauit eruditio, quam tot seculorum consensu confirmatam, hæreditaria successione ad nos transmisit prisca & veneranda vetustas. Quæ si nunc primùm perspicis, si (vt iam non meis, sed beatissimi Augustini verbis te compellam) si, inquam, nunc primùm cognoscis hoc & didicisse & docuisse tot sanctos, quod & nos didicim⁹ & docemus, muta istā mētem, obliuiscere fœdissimorū pniciosissimorūq; errorum: obliuiscere insolētissimæ insaniç, qua in tot & tales Patres abominādi erroris & stultę superstitionis iacularis opprobriū. Si nesciēs hoc fecisti, cur non miseram respuis imperitiam? Si sciens, cur non sacrilegam deponis audaciam? Conuinceris vndiq;: luce clariora sunt testimonia tanta Sanctorum. Nam vt de diuinorum miraculorum authoritate, vt de rectæ rationis euidentia, vt de tuis tuorumque telis, quibus sæpenumerò in angustias adactus, sauciatus & cōfossus es, vt inquam de his omnibus interim taceam, Augustino his verbis ibidèm te in Iuliano compellanti respōde: Hanccine, inqt, doctrinam, quam vos orbi obtruditis, sanctorum virorum sempèr celebrauit eruditio? Non hoc istis tantorumq; sanctorum & eruditorum, quæ commemoraui, testimonijs indicatur. In quorum li.1.ca.2.cō. Iulian. Pela.

conuentum te introduxerim, conspice: in quorum quantorumq́; iudicum conspectu te constituerim, considera. Hîc residet ille omnium ore celebratissimus Clemens episcopus Romanus, martyr inuictissim⁹, & ipsius principis Apostolorum Petri discipulus, de quo præceptor ipse iam ad crucem ducendus pronunciauit: Si esset alius melior, si quis mihi alius adiutor tam sedulus adstitisset, si quis tam plenè doctrinæ meæ rationem cepisset, sed & ecclesiasticas dispositiones à me tam plenè didicisset, habens alium talem, non te cogerem opus bonum suscipere nolentem &c. Hîc est in cathedra, in virtute, doctrina & martyrio successor eius diuus Anacletus. Hîc est ille vnitatis & pacis cultor eximius, Aphricanæ ecclesiæ splendidissimum iubar & Martyr fortissimus Cyprianus. Hîc tot vtriusq; tam Orientalis quàm Occidentalis ecclesię fulgentissima sidera, Basilius, Nazianzenus, Nyssenus, Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, & alij penè innumerabiles. Hîc Oecumenicorum Cõciliorum sacra authoritas. Hîc imperialium Constitutiouum Augusta Maiestas. Horum tantorum iudicum meritò te flecterẽt, Smideline, tam incorrupca suffragia, meritò te commoueret in tam diuersis animis tanta ac tam vnanimis cõsensio. Sunt sanè viri tam graues, sunt iudices tam incorrupti, vt neq; illi hæc, nisì ex fide Christiana om̃ibus notissima dicerent, nec tot seculorum cõsensus, nec censoria ecclesiæ potestas eos tam claros & venerandos haberet, nisì hæc ab illis dicta, ex regula notissimæ veritatis agnosceret. Quod enim in ecclesia inuenerunt, inquit D. Augustinus, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à Patribus acceperunt, hoc filijs tradiderũt. Ante hos ego te Smideline iudices, ante hunc tantorum tamq́; venerabiliũ Patrum senatum adduxi: te, vbicunq; sis, vbicunq; legere ista poteris, ante istos constitui, quos non amicos meos, & inimicos tuos, aliqua in meam partem gratia propendentes, aliquo abs te merito tuæ offensionis auersos, & ob hoc tibi aduersos, in hac nostra διατριβῇ constitui cognitores. Nec eos qui nunquàm fuerunt, aut nõ sunt, aut quorum sententiæ de hoc, quod inter nos disceptatur, incertæ sunt, inani cogitatione cõfinxi: sed sanctos & in ecclesia sancta illustres antistites Dei, non Platonicis, Zenonicis, vel Aristoteli-

Clemẽs epi. 1. ad Iacobũ fratrẽ Dñi.

li. 2. cõ. Iuli.

telicis,quanquàm & iſtis aliquos eorum, verùm omnes ſacris literis eruditos,(nisì fortè Impatores excipias) eosq; nominatìm, ſicut oportebat,expreſſi,eorumq; ſententias, quantùm ſufficere videbatur, ſinè vlla editas ambiguitate digeſſi, vt in eis timeas non ipſos, ſed illum qui ſibi eos vtilia vaſa formauit, & ſancta templa conſtruxit,qui tunc de controuerſijs noſtris iudicauerunt, quandò eos nemo poteſt dicere perperàm cuiquam vel aduerſari, vel fauere potuiſſe.Nondùm tecum apud iſtos iudices aliquid agebamus,& apud eos acta eſt cauſa noſtra.Nec vos,nec nos eis noti eramus:& eorum pro nobis latas contra vos ſentētias recitamus: nōdùm vobiſcum certabamus,& eis pronūciantibus vicimus. At verò quia eorum ſententijs vinceris, victus eſſe non vis videri, quòd homines fuerint: ais enim alicubì ad Bredēbachium: Si hominum authoritatem nobis opponat, parta eſt nobis hac in parte victoria. Certè homines eos fuiſſe,tecum Smideline libentèr fatemur: ſed quia homines eos fecit natura,etiàm mendaces, cæcos & errones eos fecit vel malitia, vel imperitia? Næ tu homo improbus es, qui omnem humanam authoritatem tam inhumanitèr explodis.Cùm Iulianus ille Pelagianus,homo alioquì impietatis & impudentiæ ſummæ,obieciſſet D.Auguſtino,ad inueniendum aliquid, multitudinem nihil prodeſſe cæcorum: Auguſtinus recenſitis Hilario, Gregorio,Ambroſio &c.etiàm,inquit,iſtos cæcos dicere audebis? Sed videre,inquit,mihi videor verecundiam tuam, ſi tamen non in te ſpes eſt omnis emorrua ſanitatis,& quodammodò audio vocem tuam:Abſit vt audeam cæcos iſtos viros vel cogitare, vel dicere.Iam non ego te Smideline, ſed tu ipſe ore tuo te illo Pelagiano ſceleſtiorem coarguis,qui in tractatu de chriſmate non paucos aliquot Patres,non Hilarium,Gregorium, Nazianzenum, & Ambroſium duntaxàt,ſed omnes in vniuerſum, atq; adeò totam Eccleſiam, erroris & cæcitatis accuſas. Adeóne permiſcuit imis ſumma longus dies,adeò tenebræ lux,& lux tenebræ eſſe dicuntur, vt videant Luterus,Brentius, horumq; diſcipulus Smidelinus, & cæci ſint, Hilarius, Baſilius,Auguſtinus, atque adeò cæteri vniuerſi? Principes ciuiles,immò & quenuis ex infima ferè ſellulariorū,profugorum monachorū,coquorum,nautarum,Tabernariorū (nam

li.2.cō.Iuli.

hi omñes vobis sunt θεοδίδακτοι) ad ecclesiasticarum cõtrouersiarum cognitionem admittitis, immò nolẽtes volẽtes rapitis, & hos quos Deus in ecclesia posuit pastores & doctores, vt nõ simus sicut par-
Ephe. 4. uuli fluctuãtes, hos nõ sustinebis admittere? Audi qđ tuo ὁμοτέχνῳ Iuliano Pelagiano respondeat D. August. Nunquid Irenæus, Cyprianus, Reticius, Olympius, Hilarius, Gregorius, Basili9, Ambrosius, & Ioannes de plebeia sunt fæce sellulariorũ? Nũquid milites? nũquid scholastici auditoriales? Nũquid Nautæ, Tabernarij, Cetarij, coqui, lanij? Nunquid adolescẽtes ex monachis dissoluti? Nũquid postremò de qualiũcunq; clericorũ turba isti sunt, quos vrbana exagitatos dicacitate, vel potiùs vanitate contemnis? &c. Et paulò pòst: Si, inquit, episcopalis synodus ex toto orbe congregaretur, mirum si tales possent illic facilè sedere tot, quia nec isti vno tempore fuerunt. Sed fideles quidem sunt multi, excellẽtiores verò paucos dispensatores suos Deus per diuersas ætates temporum locorumq́; distantias. Sicut ei placet atq; expedire iudicat, ipse dispensat. Hos itaq; de alijs atq; alijs temporibus atq; regionibus ab Oriente & Occidente congregatos vides, non in locum quò nauigare cogantur homines: sed in librũ, qui nauigare possit ad homines. Quanto tibi essent isti iudices optabiliores, inquit, si teneres Catholicam fidem: tãto tibi sunt terribiliores, quia oppugnas Catholicam fidem, quam in lacte suxerunt, quam in cibo sumpserunt, cuius lac & cibum paruis magnisq́; ministrauerunt, quã contra inimicos etiàm vos tunc nondùm natos, vndè nunc reuclamini, apertissimè ac fortissimè defenderũt. Et paucis interiectis, concludens librum secundum aduersùs Iulianum: His igitur, inquit, eloquijs & tãta authoritate sanctorum profectò aut sanaberis Dei misericordia donante, (quod quàm tibi optem, videt qui faciat) aut si, quod abòminor, in eadem quæ tibi videtur sapientia, & est magna stultitia, perduraueris, nõ tu iudices quæsiturus es, vbì causam tuam purges, sed vbì tot sanctos Doctores egregios atq; memorabiles Catholicæ veritatis accuses, Irenæum, Cyprianum, Hilarium, Gregorium, Ambrosium, Basilium, Ioannem, Innocentiũ, Hieronymum, cæterosq́; socios ac participes eorũ, insupèr & vniuersam Chrĩ ecclesiã, cui diuinæ familiæ dñica cibaria fidelitèr mi-
nistran-

niſtrantes, ingenti in Dn̄o gloria claruerunt. Hæc illic contra te Smideline & ꝓ me loquit̄ D. Auguſt. Iam ſi tanta pectoris tui durities, ſi cor tam adamantinum, ſi tam corneæ fibræ, ſi tam ardēs odium in eam religionem, quā in tanta conſenſione, in tanta vniuerſitate, in tanta antiquitate, tot ſummorum virorum inuictiſſimorumq; martyrum teſtimonijs vndiquè circunſonantibus, non potes nō dicere verā Catholicā & Apoſtolicā: ſi, inquā, nihil horū te à ferocia ad manſuetudinē, ab errore ad regiā verę fidei viā, à mendacio ad veritatē, à ſtudio diſſenſiōis ad amorē pacis & charitatis commouere poteſt. Sed ad priſtinum reuerſus ingenium, ad calumnias & maledicta cōfugis, vides cum quibus tua maledicta ſuſtineam, vides cum quibus mihi ſit cauſa communis, quam nullo diſcrimine, nulla conſideratione ſobria pulſare calumnijs & conuicijs expugnare contendis. Aduerte q̄ tibi pernicioſum ſit, tantorum errorum (vtì tu imaginaris) tam horribile crimen obijcere talibus, & q̄ mihi glorioſum ſit, quodlibet crimen audire cum talibus. Si vides, animaduerte, & tādèm tace. Semiluteranam linguā tot linguis catholicis deprime, tot venerandis vultibus ꝓterua ora ſubmitte. Conſidera te non in Xenocratis alicuius, aut Ariſtotelis Lyceum à me introductum, ſed in ſanctiſſimorum Patrum grauē honorandumq; conuentum. Aduerte quæ dicam Smideline, adſpice illos quodammodò adſpicientes te & manſuetè ac leniter dicentes tibi: Itáne nos cęci ſumus & errones tibi Smideline? Itáne apud te demùm poſt mille quadringentos annos veritatis lumen inclaruit, vt nos vniuerſi in tenebris & erroribus idololatricis caligauerimus? Rogo, quid reſpōdebis Smideline? Quibus eos oculis intueberis? Quæ tibi argumenta ſuccurrent? Quæ Ariſtotelis categoriæ, quæ ſophiſmatum fallaciæ, quibus in nos velut argutus diſputator inſilis? Quæ tuorum argumentorum vel acies vitrea, vel plumbei pugiones in illorum conſpectu exeri audebunt? Quę abs te arma non fugient, nudumq; deſtituent? An fortè dicturus es, neminem illorum te nominatim idololatrici erroris inſimulâſſe? Et quid facies cùm tibi dixerint, Tolerabiliùs dente maledico nomina concíderes noſtra, quàm fidem noſtram, cuius merito in cælo nomina ſcripta ſunt noſtra?

Aug. cont. Iulan. Pela. li. 1. cap. 2.

Ite-

Iterùm te admoneo, iterùm rogo, adſpice tot ac tales eccleſię catholicæ defenſores atq; rectores: vide quibus tam grauem, tamq; nefariam irrogâris iniuriam. Equidem nihil ambigo, Smideline, ſi coram hominibus dura & peruicax manet frons tua, erubeſcit coram Deo mens tua. Quid contra muros antiquiſſimæ veritatis, q̃ tot hæreticorum arietibus, tot nouarum opinionum baliſtis hucuſq; tentati, ſolicitati, concuſſi, per tanta temporum ſpatia, per tot ſeculorum ætates, immobiles & inexpugnabiles perſtiterunt, tu nunc demùm ex fabrili ergaſtulo proreptans, nouas admoues machinas, nouas moliris inſidias? Quid antiquum eccleſiæ decorem, antiquam dico fidem, tanquàm Saræ venerandę matronę inuiolatam hucuſq; caſtitatem, nouus conſtuprator ſolicitas? Nisì fortè per ſanctos antiſtites, memorabilesq́; eccleſię doctores, Clementem, Irenæum, Fabianum, Cyprianum, Hilarium, Ambroſiũ, Chryſoſtomum, Baſilium, Auguſtinum, Hieronymum, & cæteros huius ordinis, cõſtupratam dicis Eccleſiam. Quæ ergò vel qualis mater te Smideline peperit? Vtrùm caſta, an verò meretrix in lucem, quam deſeruiſti, per vterum gratiæ ſpiritalis te enixa eſt? An vt dogmata ſemiluterana defendas, coniugis Chriſti & matris tuæ viſcera inſtinctu nefario nõ erroris, ſed furoris infamas? Quid tãquàm viperina ſoboles, parricidialibus armis matrẽ infeſtus oppugnas? Quid ei Chriſtianę matris nomen quęris auferre, qui vt Chriſtianus appelleris, in ea tu quoq; accepiſti? Quid profanas nouatiões ei quęris inferre, quas in ea non inueniſti?. Quòd ſi non à Sara caſtiſſima ſponſi ſui coniuge catholica Eccleſia, ſed ab ancilla & pellice Agar, ab hæretica ſecta ꝓgenitus es: quęro ex te, nunquìd Luterana, nũquìd Brentiana, aut Caluiniana fuit, quandò magiſtros tuos Luterum & Brentium eo modo progenuit & enutriuit, & ingeris ei partûs & educationis opprobria, vt quod nemo, quantunuis improbus ſolicitator, nec minis nec blanditijs extorquere vnq̃ potuit, nunc veſtris improperijs expugnata, caſtiſſimos pedes vobis diuaricatos, hęreſios fornicatione contaminet? Et cùm neque hac ratione hęreticarum criminationum nouitia deformitas vetuſtam Sarę pulchritudinem queat offuſcare, tot Catholicorum epiſcoporum, quorum nemo ne nomẽ quidem Luteri vel Brentij
vel

vel Caluini audiuit, Catholicum & admirabilem cõsensum Semiluteranorum blasphemia conabitur exibilare? Si non mouet te Smideline vox obsecrantis Apostoli, ad hoc vt postposita tandèm contentione & peruicacia, discas sapere ad sobrietatem, & ad Catholicæ Ecclesiæ gremium reuersus, Dominici ouilis maceriã vastare desistas: Si, inquam, vox obsecrantis Apostoli te non cómouet, qua obtestabũdus ait, Obsecro vos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu & in eadem sententia: terreat te formidabile illud ipsius spiritûs sancti edictũ: Qui dissipauerit sepem, mordebit eum coluber. Et illud terribile vę, quod Dominus ipse tibi tuiq; similibus minatur, Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. Porrò si tam est tibi cor adamantinum, Smideline, si tam corneæ fibræ, si frons quæ erubescere nesciat, si animus, qui nec Deum, nec homines vereri sustineat, qui suam ipsius salutem vilem & exosam habeat, eoq; hanc nostram non minùs piam, vt arbitror, quàm veram ac iustam parænesin tuo more contemnere, ridere, & explodere pgas, rursumq; ad seditiones & schismata classicum canere instituas: superest vt ego canam receptui, teq; tibi ac tuo ingenio relinquam, donèc ipsa tandèm experientia cognoscas & persentias tuæ rebellionis & pertinaciæ fructum. Mihi intereà satìs erit apud bonos, pios, & pacificos, optimi parentis Bredenbachij & charissimæ matris Ecclesiæ Catholicæ causam à tuis calumnijs piè vindicâsse, & quanta, quamq; enormis & absurda sub tuis paradoxis lateat impietas, omnibus Veritatis amantibus, verè & syncerè demonstrâsse.

1. Cor. 1.
Eccés 10.
Ezech. 14.

Δόξα τῷ θεῷ. FINIS.

PRAESTANTISSIMIS ORNATISSImisque viris S. Theologiæ in Academia Louanienſi profeſſoribus, Dominis & præceptoribus colendiſſimis.



Vi olìm iuri dicundo præerant, Suſpiciendi Patres & Præceptores colēdiſſimi, vt maiori authoritate reſponſa darēt clientibus, non niſì D. Auguſt. Imperator. aſſenſu freti, litigantium altercatiōes dirimendas ſuſcipiebant. Tandèm conſtituto iam in Impij culmine optimo principe Hadriano, cùm ab eo viri prætorij peterent, vt ſibi liceret reſpondere, reſcripſit eis, hoc non peti, præſtari ſolere, ſi quis fidutiam ſuî haberet, populo ad reſpondendum ſe præpararet. Atque hoc quidem pacto iuris & legum incolumitati cōſultum fuit apud Romanos à temporibus D. Octauij Auguſti. Sed & diù antè, cùm ex legibus Duodecim Tabul. per Decemuiros è Græcia Romam perlatis, profluere cœpiſſet ius ciuile, & legis actiones eſſent compoſitæ, omnium harum & interpretandarum ſcientia & actiones apud Collegium Pontificū erant, ex quibus cōſtituebatur, quis quoquo anno præeſſet priuatis. Simili ratiōe Philoſophicis diatribis & tractatibꝰ, cæteriſq; facultatibus proſpectū fuit, in quibus nihil ratum, nihil firmum ducebatur, niſì quod primarij doctoris aſſenſiōe firmabatur. Sic Pythagoræi id velut Delphicum oraculum ſuſpiciebant, quod ὁ ἀυτὸσ πυθαγόρασ, ex pectoris ſui tripode protuliſſet. Sic & cæteræ Philoſophorum ſectæ à ſectando nomen acceperunt, quòd ſingulæ ſuorum magiſtrorū placita, velut amuſſis ductum ſectarētur. Iam quid de rebus diuinis, earundemq; ſciētia & authoritate dicere attinet? Apud Romanos poſt Numam Pompilium, apud omnes Gentes & maximè Aegyptios perpetuò rerum diuinarum cognitio & diſpoſitio fuit penès Collegia ſacerdotum, non ex Iouis alicuius viuo & viſibili decreto, vt vulgus Euangelicorum requirit hodiè, ſed ex ipſius rationis & ſyncerioris naturæ pſcripto. Atq; vt paulatìm ad Eccleſiā Chriſtia-

Pompon. in l. 2. ff. de ori. Iur.

ſtianam accedamus, in limitibus & pomerijs ipſius conſtituti, vmbram & imaginem eius Iudaicam Synagogam pauliſpèr contemplemur. In ea Deus pepigerat pactum cum Leui, vt ſacerdotio in ſempiternum inter filios Iſrael fungeretur, vt ex labijs ſacerdotũ Leuitici generis legem requirerent, vt docerent populum legitima Dei, vt ad verbum eorum omne negocium penderet. Hinc cultus diuinus ſuum habuit Pontificem Maximum, habuit templi præpoſitum, habuit miniſtros Leuítas. Synagoga, in qua varij generis quæſtiones & altercationes agitabantur, habuit ſuos archiſynagogos, habuit Gamalieles, habuit legiſperitos. Iam vt pedem proferamus in ipſam Eccleſiam Chriſtianam, habet & hæc ſummi numinis beneficio ſuos proceres, ſuos doctores, quibus ipſe DEI filius dixit: Qui vos audit, me audit. Dictũ autẽ hoc eſt Apoſtolis, eorumq; ſucceſſoribus epiſcopis. Epiſcopi deindè, creſcente Republ. Chriſtiana, curârunt ædificari monaſteria, in quibus velut pietatis & bonarum literarum ſcholis, animi Deo deuoti ad puriorem ſecretioremq; Religionem arctioremq; cum Deo coniunctionem inſtruerentur, & ſimul ad doctrinam optimam pietatis pediſſequam eueherentur. Deindè vbì Eccleſia velut ex ephebis excedens, matureſcere iam inceptaret, & iuſtàr florétiſſimæ vitis palmites & propagines ſuas penè ad orbis extrema protenderet, nec omnium animi pari alacritate ad arcanam illam pietatem propendérent, erecta ſunt gymnaſia, quæ nos à priſca Platonis, eiuſque in philoſophia velut hæredis & ſucceſſoris Speuſippi ſchola Academias vocamus. Hæ autem ſempèr habuerunt atque etiamnùm habent ſuos principes, ſuos archigrammateos & archididaſcalos, aut vt Paulino verbo vtar, ſuos Prophetas & doctores, à quorum authoritate & iudicio vniuſcuiuſq; doctrinæ & facultatis placita eorundemq; definitio dependet. Vndè rebus legitimè procedentibus, ſempèr obſeruatum eſt, atq; etiamnùm obſeruatur, vt quemadmodùm Apelles ſutoris iudicium crepidæ alligauit, ità in morbis curandis ad medicos, in controuerſijs & altercationibus ciuilibus dirimendis, ad Iureconſultos: in fidei & religionis negocijs definiendis, ad Theologos confugiatur. Sic optima vitæ magiſtra natura illa incorruptior docuit Romanos, docuit reliquas Gen-

Luc. 10.

Chry. hom. 61. in Matt.

Cicero 1. Academ. Quæſt.

tes, ea quæ in rebus tum ciuilibus, tum diuinis sublimiorem quandam scientiam requirebant, ad Decéuiros primùm, deindè ad pótifices, ad flamines, augures & aruspices, quos plurimos habuit Roma: itemq; ad sacerdotes & Theologos, quibus olim celebris fuit Aegyptus, relegare, & vt Paulus ad Timotheũ suum ait, velut de-
1. Tim. 6. 2. Tim. 1. positum illis peculiaritèr custodiendum cõmendare. Sic præterea naturæ magister Deus, cùm Synagogæ suæ pædagogum legem dedisset, cùm sacrorum ritus & cęremonias præscripsisset, sacerdotes & Leuítas sacrificijs peragendis pręfecit, eosdemq; legis diuinę in-
Deut. 17. terpretes, & controuersiarum circa illam exortarum diremptores constituit. Hic inuestigandi veri modus, à natura paritèr & Deo præscriptus, quo non nostro singuli ingenio innitimur, sed ex legitimè firmata authoritate verum inquirimns, suijpsius πειθανάγκη adeò altas in ratione & iudicio humano radices egit, vt nullius quantunuìs improbi & impudentis audacia eum conuulserit aut labefactârit, immò ne tentârit quidem labefactare. Nam & Simiæ Christianorum hæretici, suos paralogismos, sua paradoxa & placita, ideò rata, firma & fixa opinantur, & tantùm non vt idola exosculantur, quia ex scrinio pectoris Luteri profecta sunt. Luterus autem suis commentis & schediasmatis indè πειθανολογίαν & probabilitatem adsciuit, quòd tota nocte excubans, colloquium & disputationem miscuerit cum rerum ferè omnium (iuxta nominis sui ἔτυμον) scientissimo dæmone: scilicet vt nouus βουληφόροσ Homericum παννύχιον repræsentaret. Ex huius Islebici Philosophi secta ante annos circiter quinq; prodijt quidam discipulus Iacobus Andreæ Smidelinus, (qui inscribit se pastorẽ Goppingensem) acri & plusquàm Thrasonico hyueraspistæ calumnijs & mendacijs cataphracto, scommatisq; & conuicijs ad miraculum vsque cornuto oppugnans librum de dissidijs Ecclesiæ componendis clarissimi quondàm, nunc pia & perpetua memoria mihi venerandi parentis Matthiæ Bredenbachij, scholę apud Embricam, dum vixit, Gymnasiarchę. Cum hoc tanto (si Deo placet) Goliath cur mihi pusillo dimicandum existimârim, rationibus aliquot in defensiõis nostræ procemio declaraui. Quas vnà cum ipso opere apte vestrum, Reuerendi viri & præceptores mihi colendissimi, cõspectum exami-

mi-

minandas & probandas sistere volui, vt sciam, quî placeant ac probentur vobis, ad quos propriè ratione officij & vocationis, ex ordinatione diuina & synceriores naturę dictamine cognitio & censura de huiusmodi pertinet. Ad hoc ijs quæ suprà commemoraui, inductus sum, ad hoc obseruatio & consuetudo omnium gẽtium & seculorum instigauit, ad hoc multò maximè impulit regula illa & amussis, quam publicæ pacis & concordiæ causa, tot locis nobis commendãt scripturæ diuinæ, immò quam suo ipsius exẽplo nobis commendauit ipse filius Dei. Is enim non priùs progressus est ad docendum, antequàm testimonium haberet à Ioanne, immò ab ipso Spiritusancto, ab ipso Deo Patre testificante hunc esse filium suum dilectum, & mandante, vt hunc audirent. Paulus Apostolus cùm ab ipso Christo vocatus esset ad munus Apostolicum, & per impositionem manuum Ananię ritè ordinatus, & in functiõe muneris iam aliquandiù etiàm magna cum laude versatus, tamen ascendit Hierosolymã, vt cum primarijs Apostolis, Iacobo, Cepha & Ioanne, conferret Euangelium, quod prædicabat Gentibus, vt datis vtrinq; dextris contestarentur, nõ esse dissidium inter vtrorunque doctrinam. Horum exempla libentèr imitamur, quorum sacratam doctrinam pio studio pro nostra facultatula feruentèr veneramur. Si vt nos eorum exempla sequẽda duximus, ità vestræ R. dignitates doctrinam eorundem rectè à nobis obseruatã & ꝓductam iudicauerint, agitè iacta sit alea: mittatur ad nutum vestrũ laboris nostri sagena in vastum hoc & turbulentum totius orbis pelagus. Enimuerò quandò vestra tam iusta censura diuinis eloquijs consentaneam pronunciârit, non poterit ad nos reuerti inanis, quemadmodùm nec Dei verbum vacuum reuerti potest. Nec futurum speramus, vt huius lucubrationis aliquandò nos pudere aut pœnitere possit, cùm non nostris, sed aliorum probatis, immò & sæpenumerò ipsorum antagonistatum testimonijs refellamus aduersarios. Nec sycophantarum calumniæ, rabularumque conuicia facilem habebunt accessum: quandoquidem vestris incorruptissimis calculis hanc lucubrationem vel approbandam, vel repudiandam, humili & ad editionem indifferenti animo subijcimus. Si tamen quisquam eò impudentiæ prosiliêrit, vt illud quod nos

Mat. 3. & 17.

Gal. 2.

Esa. 55.

nec temerè, nec citra vestrum iudiciũ moliri voluimus, ipse temerario ausu & sinè iudicio, criminationibus & improperijs proscindere & ludificari non erubescat, illa Cypriani parænetica chria animum meum facilè obfirmauero: Non mouere nos debent conuicia perditorum, inquit, quô minùs à via recta & à certa regula non recedamus, quandò & Apostolus instruit, dicẽs: Si hominibus placerem, Christi seruus non essem. Interest vtrùm quis homines promereri, an Deum cupiat: si hominibus placetur, Deus offenditur. Si verò illud enitimur & laboramus, vt possimus Deo placere, & cõuicia & maledicta debemus humana contemnere. Hæc ille. Nolite timere opprobrium hominum, inquit Isaias, & blasphemias eorum nè metuatis. Certè D. Hieronymus ait, gloriæ sibi fore Heluidij conuicia, cùm eodem quo Mariæ detraxit ore, se laceret. Et Augustinus contra Iulianum: Cernis, inquit, cum quibus tua maledicta sustineam: cernis, cum quibus mihi sit causa communis: cernis, quàm tibi perniciosum sit, tam horribile crimen obijcere talibus, & quàm mihi gloriosum, quodlibet crimen audire cũ talibus. Hęc ibì D. August. Loquitur autem de S. Patribus, qui ante sua tempora in ecclesia floruerant, quorum testimonijs suam aduersùs Iulianum causam confirmauerat. Eosdem cùm & nos passìm contra Smidelinũ producamus, si perget nobis & Ecclesiæ Catholicæ rebellis obstrepere, non exquiret ille modum quo suam rebelliõem excuset, sed quo tantos Catholicæ Ecclesiæ principes ac doctores accuset. Nunc superest, vt vestrę R. D. postpositis aliquantulùm grauioribus studijs, nostram lucubrationem examinent, suamq; de ea sententiam pro sua authoritate & incorruptissimo iudicio benignè nobis communicent.

li. 1. epist. 3.

Gal. 1.

Esa. 51.

lib. 1. cap. 2.

RE-


Onestissimis & iustissimis tuis precibus, doctissime Bredenbachi, quibus apud nos egisti, vt quænam esset nostra sententia de tuo libro, quem aduersùs cuiusdam Iacobi Smidelini exitiale virus, tanquàm ἀντίδοτον quoddam in publicam lucem emittere constituisti, scripto testaremur: non modò libenter, verùm etiàm percupidè, vt debuimus, sumus obsecuti. Cùm enim tui libri doctrina, partìm ex nitidissimis propheticæ & Apostolicæ doctrinæ fontibus, partìm ex probatissimorum quorunque Theologorum, præstantissimorumque fidei Catholicæ propugnatorum monumentis sit hausta: in certam spem adducimur, fore vt omnes ad quorum manus hic liber peruenerit, conspectis technis & fraudrbus, ex quibus totus Smidelini libellus contextus est, (vt tu apertissimè, firmissimeque conuincis) veritatem orthodoxæ fidei lubēti animo & obuijs vlnis amplectantur: imposturas verò & dolos hominis, longissimè à recto itinere aberrantis, perspiciant, perspectosque fugiant & abominentur. Quocircà istum tuum librum, quo vanissima & pestilentissima Smidelini commēta refellis, nō modò comprobamus, & cum Catholica orthodoxaq; fide consentire affirmamus, verùm etiàm eximia quadam & peculiari excellentia in suo genere eminere, eiusq; lectionē omnibus veritatis & syncera religionis amatoribus vtilissimam fore censemus: teque hortamur, vt studium in quo feliciter versaris, magno constantique animo prosequi velis, ad ferendam opem labenti, & in multis mundi partibus labefactatæ religioni Christianæ. Id si feceris, & à pijs omnibus summam laudem, & à Deo sanctorum operum largissimo remuneratore, æternæ beatitudinis prēmium consequeris.

Ità testor August. Hunæus Machlinianus, S. Theol. Doctor, & ex Regis Philippi decreto, catholici catechismi apud Louanienses professor.

Et ego idem iudico Cunerus Petri à Brouuershauen, S. Theologiæ professor, & Pastor S. Petri Louaniē.

PRAXIS ECCLESIAE PRIMItiuæ in extirpandis hæresibus.




Olenne est hæreticis, collapsam Ecclesiæ primitiuæ imaginem operoso quidem, sed versuto & seditioso conatu restauraturire, calumniari domum Dei, quasi lutulentis abusibus oppleta, in turpium errorum lupanar, (vt loquitur catholicus ille Vincentius Lirinensis) atq; in Augiæ stabulum (vt criminatur aduersarius) sit deformata. Quocircà sicutì hactenùs toto hoc Anthyperaspiste nostro, primęuę Ecclesiæ dogmata, ritus, cęremonias & religionem produximus, ità & componendorum dissidiorum normam à colendo mihi parente Matthia Bredenbachio propositam, à priscæ Ecclesiæ moribus, legibus & consuetudine nec latum quidem vnguem distare, superest nunc vt hac appendice doceamus. Cùm Apollinaris, Eutyches ac Dioscorus religionem suis hæresibus turbâssent, qua componendi ratione occursum sit inualescentibus dissidijs, videamus.

In l. qcunq; C. de hæreticis & Manichæis.

IMPP. VALENTINIANVS ET MARTIANVS AA.

PALLADIO PRAEFECTO SIC RESCRIPSERVNT:



Vicunque in hac sacra vrbe, vel Alexādrina, vel in omni Aegyptiaca Dioecesi, diuersisq; alijs prouincijs Eutychetis profanam peruersitatem sequũtur, & ità non credunt, vt trecenti decem & octo S. Patres tradiderunt, Catholicam fidem in Nicena ciuitate fundantes: Centum quoq; & quinqua-

Nota, quō & quid crediderint in ecclesia primitiua.

quaginta alij venerabiles episcopi, qui in alma vrbe Constantinopolitana posteà conuenerũt, & sicut Athanasius & Theophilus & Cyrillus sanctæ recordationis episcopi Alexandrinæ ciuitatis credebant, quos etiàm Ephesina synodus (cui B. memoriæ Cyrillus præfuit, in qua Nestorij error expulsus est) in vniuersis secuta est, quos & nupèr Venerabilis Chalcedonẽsis synodus est secuta, prioribus concilijs sacerdotũ ex omni prorsùs parte consentiens: nihilque adimens sacrosancto symbolo, neque adijciens, sed Eutychetis dogmata funesta condemnans: sciant se esse hæreticos Apollinaristas. Apollinaris enim facinorosissimam sectam Eutyches & Dioscorus mẽte sacrilega sunt secuti. Ideoq; hi homines, qui Apollinaris vel Eutychetis peruersitatem sequuntur, illis pœnis, quæ Diuorũ retrò principum Constitutionibus contra Apollinaristas, vel serenitatis nostræ postmodùm sanctione contra Eutychianistas, vel hac ipsa augustissima lege contra eosdem decretæ sunt, nouerint se esse plectendos. Idcircò Apollinaristas, hoc est, Eutychianistas (quibus etsi est in appellatiõe diuersitas, tamen est in hæresis prauitate coniũctio, & dispar quidem nomen, sed idem sacrilegium) siue in hac alma vrbe, diuersisque prouin-

Nunc pro Concilio & patribus seqmur solum scripturæ corticem, eumq; corrosum & mutilatũ ab hæreticis.

Hæretici non cum zizania tolerandi, sed pœnis legitimis plectendi.

Sic & nostri temporis hæretici etsi nominibus discrepent, sacrilegio conueniunt, cum antiquis hæreticis.

cijs, siue in Alexādrina ciuitate, siue intra Aegyptiacam diœcesim sunt, & neque ità credunt, vt prædicti venerabiles Patres credebant, neque viro reuerendissimo, Alexandrinæ vrbis antistiti Proterio fidem orthodoxam tenenti communicant: Episcopos vel presbyteros, aliósve clericos creare, & habere prohibemus: scientibus tam his Eutychianistis & Apollinaristis, qui ausi fuerint cuiquam episcopi, vel presbyteri, vel clerici nomen imponere, quàm his, qui passi fuerint impositum sibi nomen sacerdotale retinere, pœnam exilij cum facultatū suarum amissione se subituros. Vniuersi prætereà Apollinaristæ, vel Eutychianistæ non ecclesias, non monasteria sibi construant: parasynaxes & conuenticula tam diurna quàm nocturna non contrahant: neq; ad domum vel possessiones cuiusquā, neque ad monasterium vel quemcunque alterū locum operaturi, sectæ funestissimæ congregentur. Quod si fecerint, & hoc factum fuisse, domino volente, constiterit: post rem in examine iudicis approbatam, domum vel possessiones eius, in qua conuenerint, vel monasterium eius ciuitatis orthodoxæ Ecclesiæ, in cuius territorio est, iubemus addici. Si verò ignorante Domino, sciente verò eo, qui pensiones domûs exigit, vel acto-

Ordinarij episcopi approbata per Concilium Religio sequenda.

Præcones, verbi ministri & Superintendentes hæreticorum non admittendi.

Crudus & insulsus suopte testimonio Smidel. quò cum suis symmystis relegādus sit.

Synagogæ & conuēticula hæreticorum dissipanda.

Orthodoxa ecclesia Aegyptiacis hæreticorum exuuijs ornanda.

actore vel conductore prædij paraſynaxes & cõuenticula interdicta collegerint: conductor vel procurator, ſiue actor, vel quicunque eos in domum, vel poſſeſſiones, vel monaſterium receperint, ac paſſi fuerint illicitas paraſynaxes conuentusque celebrari: ſi vilis & abiectæ ſint conditionis, fuſtibus publicè, & in pœnam ſuam, & in aliorum coërceantur exemplum. Si honeſtæ verò ſunt perſonæ, decem libras auri mulctæ nomine fiſco noſtro cogantur inferre. Nullũ prætereà Apollinariſtam vel Eutychianiſtam ad aliquam iubemus adſpirare militiam. Et ſi inuenti fuerint: militari cingulo ſoluti, honeſtorum hominum & palatij communione priuentur: nec in aliqua, nec in qua nati ſunt, ciuitate, vel vico, aut religione verſentur. Si qui verò in hac alma vrbe nati ſunt, tam ſacratiſſimo comitatu, quàm omni per prouincias Metropolitana ciuitate pellantur. Nulli inſupèr Eutychianiſtæ vel Apollinariſtæ publicè vel priuatìm cõuocandi cœtus, vel circulos contrahendi, & de errore hæretico diſputandi, ac peruerſitatẽ facinoroſi dogmatis aſſerendi, tribuatur facultas. Nulli etiàm contra venerabilem Chalcedonenſem Synodum liceat aliquid vel dictare, vel ſcribere, vel edere atque emittere, aut aliorum dicta vel ſcripta ſuper eadẽ

Receptatores hæreticorum quô excipiendi.

hæretici, Caluiniſtæ, Goſitæ, & ſimiles nec ad militiã, nec ad honeſtorum hominum communionem admittendi.

Nũc hæretici maximè irreptant in palatia principum.

Hæretici exterminandi.

Conciliorum œcumenicorum decretis obtemperandum.

Hæreticorum libri ſunt ſacrilegi & proindè non legendi.

re proferre. Nemo huiuſmodi habere libros, & ſacrilega ſcriptorum audeat monumenta ſeruare. Quòd ſi qui his criminibus fuerint depræhenſi, perpetua deportatione damnentur. Eos verò, qui diſcendi ſtudio audiêrint de infauſta hæreſi diſputantes, Decem librarum auri, quæ fiſco noſtro inferendę ſunt, iubemus ſubire diſpendium. Vltimo etiàm ſupplicio coerceantur, qui illicita docere tẽtauerint. Omnes verò huiuſcemodi chartæ ac libri, qui funeſtum Eutychetis ſcilicet & Apollinaris complexi fuerint dogma, incendio concrementur, vt facinoroſæ peruerſitatis veſtigia ità flammis combuſta depereãt. Aequum nanque eſt, vt immaniſſima ſacrilegia par pœnæ magnitudo percellat: ſcientibus moderatoribus etiàm prouinciarum, eorumque apparitoribus, defenſoribus etiàm ciuitatum, quòd ſi ea, quæ legis huius religioſiſſima ſanctione cuſtodienda decernimus, aut neglexerint, aut aliqua ꝑmiſerint temeritate violari, denarum librarum auri mulctam fiſco noſtro inferre cogantur, inſupèr etiàm exiſtimationis ſuę periculum ſuſtinebunt. Datum Conſtantinopoli, Idibus Auguſt. Conſtantio & Rufo Coſſ.

Illicita docentes, vltimo ſupplicio coercendi.

Hæreticorum libri incendio tollendi.

Veſtigia peruerſitatis hæreticæ penitùs abolenda.

Imperatorum eſt cõciliorum decreta executioni demãdare: Principum & præſidum prouinciarum, exequi.

QVE-

QVERIMONIA M. LVTERI DE PERFIDA DEFECTIONE SVORVM discipulorum.

SI qua mihi iustas expreßit causa querelas,
Heu nunc præ cunctis digna querela venit.
Ille ego qui quondàm fama super æthera notus,
Nunc me vix aliqua gloria parte manet.
Omnia Caluinus rapuit, totumq́ue per orbem
Illita vipereo dogmata felle serit.
Tu quoq; dilectos inter pars prima Melanchthon,
Qui mihi præ cunctis fidus amicus eras,
Diceris extrema liquisse in morte Luterum,
In noua Caluini dogmata falsa ruens.
Hic vbì pallentes peruenit rumor ad vmbras,
Heu mea concußit quàm grauis ossa dolor.
Hinc Anabaptistæ, Smidelinus, Brentius, & qui
Musculus exigui nomina muris habet,
Gallus & Illyricus, nupèr quoquè missus ad Orcum
Zuinglius, & reliqui turba prophana vigent.
Ast ego qui quondàm Doctor, primusq́ue magister,
Quiq́; his discipulis semina prima dedi.
Heu miser ignotas profugus compellor ad oras,
Vixq́; aliqua nomen parte Luterus habet.
Quamq́; ego venabar laudem, famamq́; decusq́;
Hæc modò discipuli cuncta tulêre mei,

Perit memoria eorũ cum sonitu. Psal. 9.

Vidi impium superexaltatum sicut cedros Libani, & transiui, & eccè non erat, &c. Psal. 36.

Quos genui, quos hæc peperit mihi lingua manusq́;,
Quorum præcipuus fautor & author eram.
Hæc promissa fides? pietas hæc debita patri?
Heu mihi quàm precium triste magister habet.
Degeneres animi, genus execrabile mundo,
Tempore percipies præmia digna suo.
Hæc ego vaticinor: vates quoquè vanus habebor,
Ni te, perfida gens, pœna parata manet.

MARTINVS LVTERVS IN Psalm. 5.

Hoc vidimus & videmus in omnibus hæreticis obtigisse, vt primùm quidem hominib⁹ placuerint, sed posteà dissipata sunt ossa eorum, confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos.

Neq; vnquàm vlli hæretici victi sunt vi aut astu, sed mutua dissensione, sicut inter Sichimitas Iudic. 9. inter Babylonicæ turris operarios, & in nostro Testamento inter Arrianos, Donatistas, Pelagianos. Sed & Iudæi nouissima vastitate periérunt dissensione.Ità vt Hilarius sanctiss. vir glorietur in libro de Trinitate, bellum hæreticorum esse pacem Ecclesię.

Mart. Lut. ibidèm.

Quanuìs plantentur hęreses, & nonnihìl floreant, tamen non ferunt fructum. Martinus Luterus in cap. 3. Ionę.

CAN-

CANDIDO LECTORI S.



Vm ante triennium exactissimis quibusdam Louaniensis Academię Theologis, hunc anthyperaspisten nostrũ probandum examinandumque offerrem, censuramque eorundem cõsecutus essem, euenit, vt aliò vocarer, nec commoda ratione editionem prosequi liceret mihi peregrinis in locis tum agenti. Posteà reuersus, operæprecium iudicaui, quædam Religionis nostrę themata paulo fusiùs & enucleatiùs tractare: quod & Reuerendus vir D. Cunerus Petri Theologus Louaniensis corã submonuerat. Etenim quoniam de hoc auctario faciendo, tunc demùm consiliũ cepimus, cùm iam ad editionem accingerentur Typographi, factum est, vt ea quæ locis quibusdam addidimus, ijsdem Theologis, priorum laborum censoribus, communicari cõmodè non possent. Itaque si quid in ijs fortè peccatum sit, eius culpa censores liberatos velim. Quicquid autem eiusmodi fuerit, id ab ECCLESIA cupimus emẽdari, quæ Petri Cathedram & fidem tenet, hoc est, Romana Catholica & Apostolica, cui nos nostraque subiecta volumus.

FINIS. Δόξα τῷ θεῷ.

INDEX RERVM ET VERBORVM

IN PRAECEDENTES IIII. ANTHYPERASPISTAE LIBROS.

A, numeris adiectum, notat anteriorem paginæ partem: b, posteriorem. sicubi verò neutrũ istorum adijcitur, ibi indifferenter, quod quæritur, vtrinque nôris quærendum.

Tra-

CANDIDO LECTORI.

Antequàm ad lectionem huius operis dijudicandam accingaris,, amice lector, rogatũ Te volunt hi, quorum Editionis huius potissimũ interest, vt priùs Errata, quę per archetypi obscuritatem, Authorisq; remotum à ciuitate ac typographia nostra domicilium, operarum item Typographicarum festinatiõem, vt fieri solet, irrepserunt, atque hic ad calcẽ Operis annexa sunt, corrigere non graueris.

ERRATA partìm autographi obscuritate, partìm nimia Typographorum properatione admissa.

Horum succincta recensio sic intelligetur, vt sciatur priori numero paginam, posteriori lineam seu versum intelligi: indeq; sequi, aut breuissimè saltem innui lectionẽ veram.

Pag.7.lin.9. nes inualescunt,& 15. 5. & tuam ibid. 15. vix ferè ibi. 17. lem con- ibi. 19.

quæte 16. 29. nouè 18. 29. tam aut 21. 14. homine ibi. 35. esse,ac 37. 18. offundat. 43. 91
perferentem, 46. 28. nomina 49. 22. ecclesia 55. 2. Iudicabunt 56. 25. tibi, Secundùm legē
& secundùm iudicium quod dixerint tibi, facies. Non 61. 21. ferè consentit 71. 25. responde-
rint,non 76. 25. aciem 88. 8. gubernatorem 90. 7. nobilem 96. 3. adsit,non 98. 2. saxum
113. 27. vlla 113. 1. *destructa* 137. 1. περιστάσεων ibi. 16. ἀλλοτριοεπίσκοποι
144. 9. effoderunt 150. 10. ponius l. 2. ff. 165. 25. Non tam 167. 10. quid solidæ 188. 18. ra-
ro 198. 29. laborare? 199. 2. Hæc tu istic 215. 8. quærat in ibid. 33. conuocatos 226. 3.
tuo iudicare, 227. 6. excedant. ibid. 31. πολυθεΐαν 230. 5. prorūpit ibid. 15.
tam impiam 233. 33. recidit 252. 2. & verborum ibid. 3. quisquam bonus 268. 25. voluerit
269. 1. damnationem 276. 27. illius, 279. 3. vllus 292. 6. impiorum errorum turpissimum
lu- 293. 25. cogatur 296. 5. Sacramenta 307. 23. Sensus 324. 26. non habebit ibid. 30. for-
tissimè 325. 10. inquit, 328. 22. sacrorum 331. 31. veluti porci 333. 4. coram 345. 3. Videtur
ibid. 17. His verbis ibid. 21. εἰσ τοὺσ νῦν ἱερουργοὺσ, δι᾽ ὧν μέσων χριστὸσ ἱερουργεῖ
καὶ ἱερουργεῖται ὁ καὶ παραδοὺσ 347. 2. lit ibì sa- 352. 30. minit 356. Hebræa
vox הוציא sic scribatur 364. 18. consequuntur 368. 28. θυσίασ, προσφορᾶσ
369. 16. ·τῆσ 370. 7. θεόθυτα 371. 8. stris pro 373. 22. frequenti 376. 36. qt,
399. 8. habeat 419. 16. Philippi? ibid. 18. lenitate 423. 21. in triumpho ver- 427. 21. col-
lectio? 428. 16. inanimes ibid. 19. Deū 444. 28. ndis charissimi 425. 29. antagonistarum
455. 13. rat, Cæterùm quo- ibid. 20. ab ea ecclesia

